



## **Scientia Sanctorum**

Collecta Ex Meditationibus Ludovici De Ponte, Joannis Busaei, Joan. Suffren, Juliani Hayneufve, Et Antonii Gaudier, &c. E Societate Jesu, In Dominicas, Festa & ferias totius Anni digesta. Cum Indicibus duobus. I. In singulos dies. II. Ad Exercitia Spiritualia

**Puente, Luis de la**

**Dilingæ, 1685**

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60561](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-60561)








L. III


Th. 4575

21











SCIENTIA  
SANCTORUM.

Optimum primum et secundum





Optimam partem elegit. Lucæ C. 10. v. 42.



# SCIENTIA SANCTORUM

Collecta

## EX MEDITATIONIBUS

LUDOVICI DE PONTE, JOANNIS BUSÆI, JOAN.  
SUFFREN, JULIANI HAYNEUFVE, ET  
ANTONII GAUDIER, &c.  
E Societate JESU,

In Dominicas, Festa & ferias totius  
Anni digesta.

*Cum* INDICIBUS duobus. I. In singulos dies.  
II. Ad Exercitia Spiritualia.

## TOMUS PRIMUS.

Post Editionem Parisiensem

PRIMA IN GERMANIA.

*Cum Gratia & Privilegio Sac. Ces. Majestatis,  
Collegii Et facultate Superiorum. Societatis  
Paderborne JESU  
1716*



DILINGÆ,

*Typis & Sumpt.* JOANN. CASPARI BENCARD,  
Bibliopolæ Academici.

Per JOHANNEM FEDERICUM.

---

M. DC. LXXXV.



2. CLINICAL  
SALICETORUM

EX MEDICINA

INDICATIO DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

DE TONICIS, JOHANNES DE TONICIS

R  
O  
T  
p  
b  
re  
ra  
n  
q  
q  
n  
li  
ne  
fu  
cu  
bu  
re  
fu





## PRIVILEGIUM CÆSAREVM.

**L**EOPOLDUS Divinâ favente clementiâ electus Romanorum Imperator semper Augustus, ac Germaniæ, Hungariæ, Bohemiæ, Dalmatiæ, Croatiæ, Sclavoniæ, &c. Rex, Archidux Austriæ, Dux Burgundiæ, Styriæ, Carinthiæ, Carniolæ & Wirtembergæ, Comes Tyrolis. Augustalis est munificentia eorum, qui publicis insudant utilitatibus, curas, vigilias & labores benigniore Cæsarei favoris affectu suscipere adjuvandos tuendosque. Cum itaque venerandæ Societatis JESU Pater Provincialis Superioris Germaniæ nobis humillimè exposuerit, quòd, licèt à sacratissimis Imperatoribus, Divis quondam Rudolpho Secundo, Matthiâ & Ferdinandis II. & III. Dominis, Magnis Propatruilibus respectivè, Avo ac Genitore prædecessoribus nostris gloriosissimæ memoriæ privilegio donata fuerit, ne libri à Patribus dictæ Societatis, unâ cum imaginibus per Typos emissi, passim à quibuslibet Typographis & sculptoribus imprimerentur, & pro libitu evulgarentur citra consensum ejusdem Societatis; nihilominus illa experiat

riatur



P R I V I L E G I U M

riatur adhuc indies hac in re magno se affici incommodo, dum libri quidam à suis Patribus, elucubrat, improbantibus ac reluctantibus Auctoribus eorum in toto & in parte à lucris quibusdam Typographis subindè etiam corruptè recudantur, & quidem sub prætectu privilegii à Nobis desuper obtenti, & hujusmodi libris à Societate JESU scriptis, temerariè præfixi, in lucem prodeant cum magno Authorum incommodo, atque etiam, si res mala in exemplum abeat, non sine gravi Religionis Catholicæ præjudicio; adeoque Nos demissimè, pariter ac enixissimè rogârit, ut privilegium antehac gratiosissimè concessum nostra etiam auctoritate de novo confirmare, corroborare & contra recentem illam audaciam declarare clementissimè dignaremur. Nos benignè considerantes, quàm gnaviter & strenuè dicti Patres in Vineâ Dominicâ excolendâ, Catholicæ Religionis pomerijs proferendis desudent; tum etiam quantum Christianæ rei intersit, ut Catholicorum libri ac scripta & imagines hujusmodi à Catholicis & probatis Typographis & Calcographis cum Theologorum censurâ edantur, humillimis ipsius Patris Provincialis precibus eò annuimus libentius, quò certius Nobis constat, quòd  
omni-



CÆSAREVM.

omnium ipse scriptor optimè libros suos, ne Religioni, authoribúsve injuria, aut fraus aliqua inferatur, censere & recensere noverit. Ideoque privilegium à præmemoratis, Augustissimis Cæsaribus Divis quondam Rudolpho Secundo, Matthiâ, Ferdinandis II. & III. Dominis nostris Propatruelibus Magnis respectivè Avo ac Genitore sacratissimæ recordationis, dictæ societati concessum clementer confirmantes & corroborantes, nec non declarantes, nostræ intentionis nunquam fuisse, nec esse, ut in privilegiis Impressoriis ad edendum quibuscunque aliis hætenus concessis vel in futurum concedendis includantur, aut inclusa comprehensaque intelligantur, libri ab authoribus è sæpe laudatâ Societate JESU scripti, nisi in Concessione aliquâ expressa & specifica eorum mentio fuerit facta; Ac proinde auctoritate nostrâ Cæsareâ omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, Calcographis, Sculptoribus, atque aliis quæmcunque librariam negociationem exercentibus seriò vetamus, atque inhibemus, ac jam ante vi sæpe dicti privilegii vetitum & prohibitum fuisse declaramus, ne quis libros, vel æri insculptas imagines, ac scripta ab ipsis Patribus hætenus edita, vel imposterum edenda, ne quidem prætextu ullius privile-

vile-



## P R I V I L E G I U M

vilegii nisi, ut præfertur, intra sacri Romani Imperii, Regnorumque ac Provinciarum nostrarum hæreditariarum fines simili vel alio characteris genere aut formâ, sive in toto, sive in parte, recudere, sculperè, vel aliò recudenda, sculpendâve mittere, aut impressa vel sculpta adducere, vendere aut distrahere, clâm seu palâm, citra præmemorati Patrum consensûs indicium, ac testimonium, quod nobis, cùm nostrum impetrare privilegium volent, ostendere teneantur, audeat, vel præsumat. Si quis autem secus faciendo privilegium hoc nostrum, & Divorum Antecessorum nostrorum temerario quodam ausu negligere, transgredi aut violare non fuerit veritus, is non solum prædictis libris & iconibus, perperam quippe recusis & adductis (quos præ-nominati Patres, eorumve Mandatarii ubicunque locorum deprehensos, vel propriâ auctoritate, vel Magistratûs illius ope & auxilio sibi vendicare poterunt) de facto privandus, sed viginti insuper marcarum auri puri puti probi Ærario sive Fisco Imperiali, fraudis nimirum vindici ex uno, ex altero semisse sæpè dictis Patribus, eorumve Mandatariis, omni spe veniæ ac remissionis præcisâ pendendarum mulctam dare damnatus esto. Hanc tamen legem ac conditionem

ex-



## CÆSAREVM.

expresse ac disertim adjicimus, ut omnium & singulorum Operum, seu librorum quaterna ut minus exempla ad Cancellariam nostram Imperialem quamprimùm per eosdem Patres, vel Typographum privilegii hujus beneficio uti volentem, transmittantur. Mandamus ergo omnibus & singulis nostris ac sacri Romani Imperii, Regnorumque ac Ditionum nostrarum hæreditariarum subditis, cujuscunque statûs, ordinis, dignitatis, conditionis ac fortunæ existant, tam Ecclesiasticis quàm sæcularibus præsertim verò iis, qui in Magistratu constituti, vel proprio vel Superiorum nomine, & loco jus dicunt, ac justitiæ administrationem exercent, ne quenquam hoc privilegium nostrum Cæsareum temerè & impunè transgredi aut violare patiantur, quin potius contumaces, siquos fortè compererint, præscriptâ poenâ puniri, aliisque modis idoneis coerceri curent, quatenus & ipsi eandem multam evitare voluerint. Harum testimonio litterarum, manûs nostræ subscriptione, & sigilli nostri Cæsarei impressione munitarum, quas dedimus in Civitate nostra Viennâ die sextâ Maij, Anno millesimo, sexcentesimo septuagesimo septimo, Regnorum nostro-

)( 4 rum



**PRIVILEGIUM CÆSAREUM.**

rum Romani decimo nono, Hungari-  
ci vigesimo secundo, Bohemici verò vigesi-  
mo primo.

**LEOPOLDUS**

**V. Leopoldus Guillielmus**

Comes in Kinigsegg.

( L. S. )

*Ad Mandatum Sacre Cæsareæ  
Majestatis proprium.*

Christoph Beüer.

PRI-



*PRIVILEGIUM ET FACULTAS*  
*Adm. R. P. Præpositi Provincialis*  
*Soc. JESU per Provinciam superio-*  
*ris Germaniæ.*

**C**UM Sacræ Cæsareæ Majestatis rescripto, omnibus & singulis Typographis, Bibliopolis, ac aliis, quancunque librariam negotiationem exercentibus seriò, firmiterque inhibeat, ne quisquam libros à Societatis Jesu Patribus editos, vel in posterum edendos, intra S. R. Imperii, Regnorum & Dominiorum suæ Cæsareæ Majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio characteris genere, aut forma sive in toto, sive in parte recudere, vel aliò recudendos mittere, aut alibi jam impressos adducere, vendere, & distrahere, clam seu palam, citra consensum ac testimonium supra dictorum Patrum audeat vel præsumat; Ideo Ego Benedictus Painter Societatis Jesu per Superiorem Germaniam Præpositus Provincialis, juxta potestatem mihi ab Adm. Reverendo Patre nostro Joanne Paulo Oliva, ejusdem Societatis Jesu Præposito Generali factam, Domino Joanni Casparo Bencard, Typographiæ Dilinganæ Possessori, & Bibliopolæ Academico, ejusque Hæredibus seu Successoribus, omnes prædictæ Typographiæ hæcenus concessas, & usurpatas facultates concedo, libros à Patribus nostræ Societatis conscriptos, singulariter

R. P. Ernici Pirhing S. I. Commentarium in quinque Libros Decretalium. &c. &c. &c.

Cæterosque omnes tam Scholasticos, quàm non Scholasticos antehac Dilingæ, cum simili Cæsareo Privilegio editos, & in futurum scribendos, cum Consensu Societatis Jesu recudendi, vel de novo edendi, liberam potestatem



*PRIVILEG. ET FACULTAS.*

statem facio. Eidemque & ipsius hæredibus Privilegium Cæsareum Societati nostræ concessum, eatenus indulgeo, ut Societate, & ipso invitis, nemo supradictos libros recudere, nemo intra Sacri Romani Imperii fines, & hæreditarias Sacræ Cæsareæ Majestatis Provincias importare, aut venum exponere audeat.

Et quia ex prædictis libris jam antea editis, aliquos sine licentia Societatis Jesu, in grave nominatæ Typographiæ, & prædicti D. Joannis Caspari Bencard præjudiciū, & detrimentum, nonnulli recudere præsumperunt; Eidem D. Joanni Casparo Bencard de damnis illatis querenti omnia hujus Generis Privilegia hæctenus illi Typographiæ competentia, & à prædecessore meo in ipsum collata, tribuo & confirmo; Ut iisdem omni meliore modo, contra ante dictos, & quoscunque alios illius Cæsarei Privilegii Violatores utatur, & indemnitati suæ consulat, in librorum ante memoratorum, aliorumque cum supra posito Societatis Jesu consensu Dilingæ impresorum, ac imprimendorum distractione. In quorum omnium fidem, ac testimonium, has meâ manu subscripsi, ac Sigillo mei officii, communivi. Dilingæ 22. Junii. Anno 1676.

BENEDICTUS PAINTER S. J.





## LECTORI.

**Q**uatuor hae editione, pie Lector, effici-  
mus.

I. Librum infinitis ubique mendis scatentem,  
ut sæpissimè autoris mentem assequi nemo pos-  
set, integrum damus.

II. Subjicimus *Supplementum* meditationum,  
maximè ex *Joanne Busao*, *Joanne Suffren*, &  
*Juliano Hayneufve* è *Societate Jesu* in Domi-  
nicas quasdam & Festa; Item ex *Antonio Gau-  
dier ejusdem Societatis* de Renovatione voto-  
rum: de quibus omnibus in Ludovico à Ponte  
nihil extat.

III. Indicem meditationum conteximus in  
singulos anni dies: nisi quod diebus duobus af-  
signatæ sunt, quæ justo ampliores videban-  
tur.

IV. Addimus *Indicem ad Exercitia spiri-  
tualia*, in quo selectas habes ex opere toto me-  
ditationes, & capita ex libro *De Imitatione Chri-  
sti*, iisdem accommodata. Denique *Conside-  
rationes* de præcipuis Christianæ vitæ officiis in  
dies singulos subjunximus.

INDEX





# INDEX MEDITATIONUM.

In singulos anni dies.

<b>D</b> ominica 1. <i>Adventus.</i>	De Resurrectione corporum, &c. tom. I.	63
	<i>Vel</i> De sententia judicis, tom. I.	67
<i>Fer.</i> 2. & 3.	Fundamentum de Christo rege invitante ad imitationem, tom. I.	142
<i>Fer.</i> 4.	De decreto divino Incarnationis Verbi, t. I.	153
<i>Fer.</i> 5.	De infinita Dei charitate in mysterio Incarnationis, t. I.	156
<i>Fer.</i> 6.	De electione Matris Christi ac ejus Conceptione, t. I.	158
<i>Sabbato.</i>	De Nativitate B. Virg. t. I.	162
<i>Dominic.</i> 2. <i>Adventus.</i>	Vita Præcursoris, t. I.	237
<i>Feria</i> 2.	De vita B. Virg. usque ad Annunciationem, t. I.	162
<i>Feria</i> 3.	De tempore exhibitæ Redemptionis, t. I.	166
<i>Fer.</i> 4. & 5.	De missione Gabrielis & salutatione Virginis, t. I.	167
<i>Fer.</i> 6.	De expositione nunciî ad Virginem, t. I.	170
<i>Sabbato.</i>	De assensu Virginis, t. I.	172
<i>Dom.</i> 3.	<i>Adventus.</i> Testificatio Joannis Baptistæ de Christo, t. I.	240
<i>Feria</i> 2.	Executio Incarnationis, t. I.	157
<i>Feria</i> 3.	De perfectionibus animæ Christi, &c. t. I.	177
	<i>Fer.</i>	



*Index Medit. In singulos dies.*

<i>Fer. 4.</i> De profectione B. Mariæ ad Elizabethā, t. 1.	160
<i>Fer. 5. &amp; 6.</i> De ipsa Visitatione Elizabethæ, t. 1.	181
<i>Sabbato.</i> De Nativitate Præcursoris, t. 1.	187
<i>Dom. 4. Adventus.</i> Prædicatio Joannis, t. 2.	452
<i>Fer. 2.</i> De eo quod Joseph voluit dimittere Mariam, t. 1.	189
<i>Fer. 3. &amp; 4.</i> De expectatione partus, t. 1.	191
<i>Vigilia Nativ.</i> Profectio B. V. in Bethleem, t. 1.	193
<i>In Nativitate Christi.</i> t. 1.	194
<i>In Festo S. Stephani,</i> t. 2.	238
<i>In Festo S. Joannis Evangelistæ,</i> t. 2.	476
<i>In Festo SS. Innocentium,</i> t. 1.	217
<i>Dominica infra Octavam Nativitatis.</i> De Simeone & Anna, t. 1.	211
<i>Vel Vita Christi ad annum 30.</i> t. 1.	223
<i>29. DEC.</i> Annunciat ad Pastores, t. 1.	196
<i>30. &amp; 31.</i> Adoratio Pastorum, t. 1.	198
<i>Circumcisio Christi,</i> t. 1.	200
<i>2. JANU.</i> De impositione nominis Jesu, t. 1.	202
<i>3. In Festo S. Genovefæ,</i> t. 2.	478
<i>4. &amp; 5.</i> Magorum profectio, t. 1.	204
<i>In Epiphania Domini.</i> Inventio & adoratio Christi, t. 1.	206
<i>Dom. infra Octavam Epiphania.</i> Christus ascendit in templum, t. 1.	218
<i>Vel Quæritur Jesus &amp; invenitur,</i> t. 1.	220
<i>7. Jan.</i> Purificatio Matris & Præsent. Filii, t. 1.	209
<i>8. Jan.</i> De Simeone & Anna, t. 1.	211
<i>9. Jan. &amp; 10.</i> Fuga in Ægyptum, t. 1.	214
<i>11. Jan.</i> Cædes Innocentiū & reditus ex Ægypto, t. 1.	217
<i>12. Jan.</i> Christus ascendit in templum & manet, t. 1.	218
<i>13. Jan.</i>	



## Index Meditationum

13. Jan. & 14.	Quæritur Jesus & invenitur, t. I.	220
15. Jan. & 16.	Vita Christi usque ad annum 30. t. I.	223
17. Jan.	Vita Præcursoris, t. I.	237
18. Jan.	Testificatio Joannis Baptistæ de Christo,	240

19. Jan.	Christus baptizatur, t. I.	243
Dom. 2.	Post Epiph. De nuptiis in Chana, t. I.	267
Fer. 2.	Christus baptizatur, t. I.	243
Fer. 3.	Christus in desertum secedit, & jejunat, t. I.	247
Fer. 4. & 5.	Christus tentatur à diabolo, t. I.	249
Fer. 6. Sabb.	De vocatione Apostolorum, t. I.	253

*Quo die celebrabitur Septuagesima, omitte reli-  
quas istas meditationes, post 23. hebdomadam  
post Pentecosten rejiciendas.*

Dominica 3. post Epiph.	De leproso sanato, t. I.	354
	Vel De servo Centurionis, t. I.	347
Fer. 2. & 3.	De generali vocatione hominum, t. I.	258
Fer. 4.	De resignatione ad sequendam vocationem, t. I.	264
Fer. 5.	De ejectis è templo negotiatoribus, t. I.	272
Fer. 6. & Sab.	De sermone Domini in monte, de octo Beatitudinibus, t. I.	274
Dom. 4. Post Epiph.	Sedata tempestas, t. I.	307
Fer. 2.	De triplici munere Apostolico, t. I.	285
Fer. 3.	De excellentia legis Evangelicæ, t. I.	287
Fer. 4.		
Fer. 5. & 6.	De oratione Dominica, t. I.	288
Fer. 6.		
Sabbato.	Missio Discipulorum ad prædicandum, t. I.	297
		Dom.



*In singulos dies.*

Dom. 5.	Post Epiph. De zizaniis, t. 1.	384
Feria 2.	Martyrium Joannis Baptistæ, t. 1.	301
Feria 3.	Miraculum quinque panum, t. 1.	302
Feria 4.	Christus ambulat super mare, t. 1.	308
Feria 5.	Petrus divinitatem Christi confitetur, t. 1.	313
Feria 6.	Transfiguratio Christi, t. 1.	317
Sabbato.	Consecuta Transfigurationem, t. 1.	319
Dom. 6.	Post Epiph. De grano sinapis, t. 1.	388
Feria 2.	Filii Zebedæi petunt primas sedes, t. 1.	322
F. 3. & 4.	De Lazaro mendico, & epulone, t. 1.	326
Feria 5.	De conversione Magdalene, t. 1.	329
F. 6. & Sab.	Conversio Samaritanæ, t. 1.	334
Dominica Septuagesima.	De operariis conductis, t. 1.	409
Feria 2.	Flet super Jerusalem, t. 2.	20
Feria 3.	Cæna in Bethania, t. 2.	22
Feria 4.	Christus à Judâ venditur, t. 2.	24
Feria 5.	Esus agni Paschalis, t. 2.	28
Feria 6.	Lotio pedum, t. 2.	30
Sabbato.	De præmissis ante institutionem SS. Evchari- stie, t. 2.	34
Dominica Sexagesima.	De semine, t. 1.	382
Fer. 2.	De loco, tempore, & convivis in institutione SS. Evcharistie, t. 2.	36
Feria 3.	De conversione panis in Corpus Christi, t. 2.	37
Feria 4.	De conversione vini in Sanguinem, t. 2.	41
Feria 5.	De Sacramentalibus speciebus, t. 2.	43
Feria 6.	De insinuatione proditoris super Cænam, t. 2.	50
Sabbato.	Contentio Apostolorum, & prædictio scanda- li, t. 2	53
	)( (	De-



## Index Meditationum

<i>Dominica</i>	<i>Quinquagesima</i> . Prædicit Discipulis de passione sua, t. 2.	15
<i>Feria 2.</i>	Sermo Christi post Cœnam, t. 2.	56
<i>Feria 3.</i>	Oratio Christi ad Patrem, t. 2.	61
<i>Feria 4.</i>	<i>Cinerum</i> . Memento homo quia pulvis es, t. 1.	56
<i>Fer. 5. &amp; 6.</i>	De circumstantiis Dominicæ Passionis, t. 2.	6
<i>Sabbato.</i>	De doloribus B. V. Punctum 8. & 9. t. 2.	13
<i>Dom. 1.</i>	<i>Quadragesima</i> . Christus tentatur, t. 1.	249
<i>Feria. 2.</i>	Christus pergit ad hortum & tristatur, t. 2.	64
<i>Feria 3.</i>	Oratio in horto, t. 2.	68
<i>Feria 4.</i>	Confortatio & sudor sanguineus, t. 2.	71
<i>Fer. 5. &amp; 6.</i>	Osculum Judæ, t. 2.	74
<i>Sabbato.</i>	Comprehensio Christi, t. 2.	78
<i>Dom. 2.</i>	<i>Quadragesima</i> . Transfiguratio Christi, & consecuta Transfigurationem, t. 1.	317. & seq.
<i>Feria 2.</i>	Ducitur Christus ad Annam, t. 2.	80
<i>Feria 3.</i>	Alapam accipit, &c. t. 2.	83
<i>Feria 4.</i>	Triplex negatio Petri, t. 2.	84
<i>Feria 5.</i>	Accusatur apud Caipham, t. 2.	87
<i>F. 6. &amp; Sab.</i>	Iluditur apud Caipham, t. 2.	90
<i>Dom. 3.</i>	<i>Quadragesima</i> . De surdo & muto, t. 1.	363
<i>Feria 2.</i>	Trahitur ad Pilatum. Judas desperat, t. 2.	94
<i>Feria 3.</i>	Accusatur apud Pilatum, t. 2.	97
<i>Feria 4.</i>	Mittitur ad Herodem, t. 2.	100
<i>Feria 5.</i>	Barabbæ postponitur, t. 2.	102
<i>Fer. 6.</i>	Flagellatur, t. 2.	104
<i>Sabbato.</i>	Coronatur spinis, t. 2.	106
<i>Dom. 4.</i>	<i>Quadragesima</i> . Miraculum quinque panum, t. 1.	302
<i>Feria 2.</i>	Producitur ad populum, t. 2.	109
	<i>Fer. 3.</i>	



*In singulos dies.*

<i>Feria 3.</i>	Damnatur ad crucem, t. 2.	112
<i>F. 4. &amp; 5.</i>	Bajulatio crucis, t. 2.	113
<i>Feria 6.</i>	De loco & tempore Crucifixionis, t. 2.	118
<i>Sabbato.</i>	Cruci affigitur, t. 2.	119
<i>Dom. 5. Passionis.</i>	De immunitate Christi à peccato, t. 2.	455
<i>Feria 2.</i>	Myſteria in Chriſto crucifixo, t. 2.	122
<i>Feria 3.</i>	De titulo crucis, t. 2.	124
<i>Feria 4.</i>	Partitio veſtium, & blaſphemix, t. 2.	127
<i>Feria 5.</i>	Orat pro crucifixoribus, t. 2.	130
<i>Feria 6.</i>	Secundum verbum in cruce ad latronem, t. 2.	131
<i>Sabb.</i>	Tertium verbum. Commendat matrem Joanni, t. 2.	135
<i>Dominica Palmarum.</i>	Solemnis ingreſſus in Jeruſalem ante Paſſionem, t. 2.	17
<i>Feria 2.</i>	De tenebris & quarto verbo, t. 2.	137
<i>Fer. 3.</i>	Quintum verbum: <i>Sitio</i> , t. 2.	139
<i>Fer. 4.</i>	Sextum verbum: <i>Conſummatum eſt</i> , t. 2.	141
<i>Fer. 5.</i>	De Euchariftia, ut memoriali Paſſionis, t. 2.	423
	<i>Vel De converſione panis &amp; vini, t. 2.</i>	38.
		& 41
<i>Fer. 6.</i>	De ſeptimo verbo: Commendat & emittit ſpiritum, t. 2.	142
	<i>Vel De lateris apertione, t. 2.</i>	146
<i>Sabb.</i>	Depoſitio de Cruce, t. 2.	150
	<i>Vel De Chriſti ſepultura, t. 2.</i>	151
	<i>Vel Deſcenſus ad inferos, t. 2.</i>	161
<i>Dominica Reſurrectionis.</i>	De Reſurrectione Chriſti, t. 2.	165
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	Apparet euntibus in Emaüs, t. 2.	180
	)( )( 2	<i>Fer. 4.</i>



## Index Meditationum

<i>Feria 4. &amp; 5.</i>	Apparet matri & annuntiatur ab Angelis resurrectio, t. 2.	169
<i>Fer. 6. &amp; Sabb.</i>	Apparet Magdalensæ, t. 2.	173
<i>Dom. 1. Post Pascha</i>	Apparet præsentem Thomam, t. 2.	190
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	Apparet aliis mulieribus, t. 2.	176
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	Petrus & Joannes adeunt sepulchrum, t. 2.	178
<i>F. 6. &amp; Sabb.</i>	Apparet discipulis, t. 2.	184
<i>Dom. 2. Post Pascha.</i>	De ove perdita, t. 1.	393
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	Christus dat discipulis Spiritum S. in prima apparitione, t. 2.	187
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	Cur servaverit cicatrices in corpore glorificato, t. 2.	192
<i>Fer. 6. &amp; Sabb.</i>	Apparet discipulis piscantibus, t. 2.	195
<i>Dom. 3.</i>	<i>Post Pascha.</i> Sermo Christi post Cœnam. Punct. IV. t. 2.	60
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	Committit Petro oves, t. 2.	197
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	Apparet in monte Galileæ, t. 2.	200
<i>Fer. 6. Sabb.</i>	De mansionem Christi nobiscum usque ad consummationem sæculi, t. 2.	203
<i>Dom. 4.</i>	<i>Post Pascha.</i> Vado ad eum qui me misit, t. 2.	456
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	De variis apparitionibus, t. 2.	204
<i>Fer. 4.</i>	De actionibus vitæ contemplativæ, t. 1.	226
<i>Feria 5.</i>	Vita activa opus habet contemplatione, t. 1.	227
<i>Feria 6.</i>	De uno necessario, t. 1.	232
<i>Sabbato.</i>	De præstantia vitæ contemplativæ, t. 1.	233
<i>Dom. 5.</i>	<i>Post Pascha.</i> Sermo Christi post Cœnam, Punct. 3. t. 2.	63

*Vel*



*In singulos dies.*

*Vel* De providentia in orationibus exaudi-  
endis, t. 2. 405

*Feria 2.* De vitæ mixtæ excellentia, t. 1. 234

*Feria 3.* Quomodo Christus utramq; conjunxerit, t. 1. 235

*Feria 4.* Apparet Apostolis die Ascensionis, t. 2. 206

*In Festo Ascensionis.* Ascendit in cœlum, t. 2. 209

*F. 5. & Sab.* Triumphalis ingressus & sessio, t. 2. 212

*Dominica Post Ascensionem.* Sermo Christi post Cœ-  
nam, t. 2. 59

*Vel* Cùm venerit Paracletus, t. 2. 458

*Feria 2.* De gloria cœlesti: quid sit, de loco, & sociis,  
t. 2. 440

*Feria 3.* De essentiali gloria animæ & corporis, t. 2. 441

*Feria 4.* De gloria cœlesti, ut respondet octo beatitu-  
dinibus, t. 2. 444

*Fer. 5. & 6.* De gloria cœlesti, ut datur vincenti, t. 2. 446

*Sabbato.* Expectatio adventus Spiritus Sancti, t. 2. 215

*In Festo Pentecostes.* De beneficio dati Spiritus Sancti,  
t. 2. 219

*F. 2. & 3.* De modo quo datus est Spiritus S. t. 2. 222

*Feria 4.* De gestis ab Apostolis ipsa die Pentecostes, t. 2. 227

*Feria 5.* De vita primorum Christianorum, t. 2. 229

*Feria 6.* De Spiritus S. inspirationibus, t. 2. 231

*Sabbato.* De Septem donis Spiritus Sancti, t. 2. 233

*In Fest. SS. Trinitatis.* Quod Deus sit unus essentia, tri-  
nus personis, t. 2. 305

*Feria 2.* De Providentia in institutione venerabilis Sa-  
cramenti, t. 2. 418

))) 3

*Fer. 3.*



# *Index Meditationum*

<i>Feria 3.</i>	De præmissis ante institutionem SS. Eucharistia, t. 2.	34
<i>Feria 4.</i>	De loco, tempore & convivis, t. 2.	36
<i>In Festo.</i>	<i>Corporis Christi.</i> De conversione panis in Corpus Christi, t. 2.	37
<i>Feria 6.</i>	De conversione vini in sanguinem, t. 2.	41
<i>Sabbato.</i>	De Sacramentalibus speciebus panis & vini, t. 2.	43
	<i>Dominica infra Octavam Corporis Christi.</i> De invitatis ad nuptias, t. 1.	44
<i>Feria 2.</i>	Ritus à Christo usurpati in consecratione, t. 2.	45
<i>Feria 3.</i>	De potestate conficiendi Eucharistiam, t. 2.	47
<i>Feria 4.</i>	Quod Sacramentum Eucharistia sit memoria mirabilium Domini, t. 2.	41
<i>Feria 5.</i>	<i>Octava corporis Christi.</i> De supplicatione corporis Christi, t. 2.	43
<i>Feria 6.</i>	De Eucharistia, ut signo & causa sanctificationis, t. 2.	45
<i>Sabbato.</i>	De Eucharistia, ut est pignus futuræ gloriæ, t. 2.	47
<i>Dom. 3.</i>	<i>Post Pentecosten.</i> De ove perditâ, t. 1.	39
<i>Feria 2.</i>	De S. Stephano protomartyre, t. 2.	23
<i>Feria 3.</i>	Conversio Pauli, t. 2.	24
<i>Feria 4.</i>	De iis quæ secuta sunt Sauli conversionem, t. 2.	24
<i>F. 5. &amp; 6.</i>	Illustres Pauli virtutes, t. 2.	25
<i>Sabbato.</i>	Vocatio Cornelij & visum Petri, t. 2.	26
<i>Dom. 4.</i>	<i>Post Pentecost.</i> Christus docet è navi Petri, t. 2.	26
		46
		<i>Fer. 2.</i>



*In singulos dies.*

<i>Feria 2.</i>	De adultera, t. i.	339
<i>Feria 3.</i>	De Zachæo, t. i.	342
<i>Feria 4.</i>	De Chananæa, t. i.	345
<i>Feria 5.</i>	De servo Centurionis, t. i.	347
<i>Feria 6.</i>	De sanata à fluxu sanguinis, t. i.	349
<i>Sabbato.</i>	De sanato ad probaticam piscinam, t. i.	351
<i>Dom. 5.</i>	<i>Post Pent.</i> De ira, t. i.	93
<i>Feria 2.</i>	De leproso sanato, t. i.	354
<i>Feria 3.</i>	De decem leprosis, t. i.	356
<i>Feria 4.</i>	De cæco apud Jericho, t. i.	358
<i>Feria 5.</i>	De cæco nato, t. i.	360
<i>Feria 6.</i>	De surdo & muto, t. i.	363
<i>Sabbato.</i>	De dæmoniaci lunatico, t. i.	365
<i>Dom. 6.</i>	<i>Post Pent.</i> Miraculum quinque panum, tom. i.	302
<i>Feria 2.</i>	De filia Archisynagogi fuscitata, t. i.	368
<i>Feria 3.</i>	De filio viduæ fuscitato, t. i.	370
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	De Lazaro fuscitato, t. i.	372
<i>Feria 6.</i>	De concilio contra Christum, t. i.	378
<i>Sabbato.</i>	De sapiente & stulto, t. i.	380
<i>Dom. 7.</i>	<i>Post Pent.</i> De falsis Prophetis, t. 2.	462
<i>Feria 2.</i>	De semine, t. i.	382
<i>Feria 3.</i>	De zizaniis, t. i.	384
<i>Feria 4.</i>	De grano sinapis, t. i.	388
<i>Feria 5.</i>	De negotiatore margaritarum, t. i.	391
<i>Feria 6.</i>	De ove perdita, t. i.	393
<i>Sabbato.</i>	De filio prodigo, t. i.	395
<i>Dom. 8.</i>	<i>Post Pent.</i> De villico, t. i.	405
<i>Feria 2.</i>	De saucio à latronibus, t. i.	399
<i>Feria 3.</i>	De servo debitore decem millium talentorum; tom. i.	402



# Index Meditationum

<i>Feria 4.</i>	De operariis conductis, t. 1.	409
<i>Feria 5.</i>	De vinea, t. 1.	412
<i>Feria 6.</i>	De decem virginibus, t. 1.	418
<i>Sabbato.</i>	De talentis, t. 1.	420
<i>Dom. 9.</i>	<i>Post Pent.</i> Flet super Jerusalem, t. 2.	20
<p><i>Quia circa hoc tempus occurrit Assumptio Beate Virginis; de qua per octo dies in Proprio Sanctorum meditationes habentur, omittitur hic hebdomada. Quod si tardius Festum Beate Virginis celebretur, meditationum argumenta è sequentibus hebdomadis repetentur.</i></p>		
<i>Dominica 10.</i>	<i>Post Pentecost.</i> De Publicano & Phariseo, t. 1.	407
<i>Feria 2. &amp; 3.</i>	Quod Deus sit, t. 2.	224
<i>Feria 4.</i>	Quod Deus sit æternus, t. 2.	299
<i>Feria 5.</i>	Quod Deus sit infinitus & incomprehensibilis, t. 2.	301
<i>Feria 6.</i>	Quod Deus sit unus essentia, trinus personis, t. 2.	305
<i>Sabbato.</i>	Quod Deus sit infinitè perfectus, t. 2.	315
<i>Dom. 11.</i>	<i>Post Pent.</i> De surdo & muto, t. 1.	363
<i>Feria 2.</i>	Quod Deus sit summè bonus, t. 2.	316
<i>Feria 3.</i>	Quod Deus sit summè communicativus sui, t. 2.	318
<i>Feria 4.</i>	Quod Deus sit summè amabilis, t. 2.	320
<i>Feria 5.</i>	Qualem charitatem Deus habeat, t. 2.	324
<i>Feria 6.</i>	De quatuor excellentiis divinæ charitatis, t. 2.	329
<i>Sabbato.</i>	Quod Deus vult amari à nobis, t. 2.	334
		<i>Dom. 12.</i>



*In singulos dies.*

Dom. 12.	Post Pent. De saucio à latronibus, t. 1.	399
Feria 2.	Quod Deus sit infinitè misericors, t. 2.	338
Feria 3.	Quod Deus sit infinitè liberalis, t. 2.	342
Feria 4.	Quod Deus sit immensus, t. 2.	344
Feria 5.	Quod Deus sit infinitè sapiens, t. 2.	348
Feria 6.	Quod Deus sit omnipotens, t. 2.	352
Sabbato.	De omnipotentia Dei in creatione, t. 2.	354
Dom. 13.	Post Pent. De decem leprosis, t. 1.	356
Feria 2.	Circa id quod initio temporis creatum est, t. 2.	356
Feria 3.	De opere primæ diei, t. 2.	359
Feria 4.	De opere secundæ diei, t. 2.	362
Feria 5.	De opere tertiæ diei, t. 2.	365
Feria 6.	De opere quartæ diei, t. 2.	371
Sabbato.	De opere quintæ diei, t. 2.	375
Dom. 14.	Post Pent. De providentia in victu & bonis fortunæ, t. 2.	396
Feria 2.	De opere sextæ diei, t. 2.	378
Feria 3.	De creatione hominis, t. 2.	380
Feria 4.	De formatione corporis Adæ & inspiratione animæ, t. 2.	384
Feria 5.	De approbatione totius operis ac de sabbato, t. 2.	388
Feria 6.	De conservatione rerum, t. 2.	391
Sabbato.	Quid sit providentia, t. 2.	393
Dom. 15.	Post Pent. De filio viduæ suscitato, t. 1.	370
Feria 2.	De providentia in gubernatione mundi, t. 2.	395
Feria 3.	De providentia in victu & bonis fortunæ, t. 2.	396
Feria 4.	De providētia Dei in adversis & malis t. 2.	402
	)() ( 5	Fer. 5.



## Index Meditationum

<i>Fer. 5.</i>	De providentia in orationibus exaudiendis, t. 2.	405
<i>Fer. 6.</i>	De providentia in custodia Angelorum, t. 2.	407
<i>Sabbato.</i>	De providentia in reparatione hominis, t. 2.	411
<i>Dom. 16. Post Pent.</i>	De superbia, t. 1.	80
<i>Fer. 2.</i>	De providentia in Ecclesia fundanda, t. 2.	413
<i>Fer. 3.</i>	De providentia in vocatione ad fidem, tom. 2.	415
<i>Fer. 4.</i>	De providentia in sacramentorum institutione, t. 2.	417
<i>Fer. 5.</i>	De providentia in assignando cuique statu, t. 2.	432
<i>Fer. 6.</i>	De providentia erga prædestinatos, t. 2.	437
<i>Sabbato.</i>	De humilitate & resignatione pro consequendis fructibus pœnitentiæ, t. 2.	438
<i>Dom. 17. Post Pent.</i>	Quod Deus vult amari à nobis, t. 2.	334
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	De ultimo fine hominis, t. 1.	27
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	De triplici peccato Angeli, Adæ, & particulari quocunque, t. 1.	32
<i>Fer. 6.</i>	De gravitate peccatorum ex multitudine & pugnancia cum ratione, t. 1.	37
<i>Sabbato.</i>	De gravitate peccati ex vilitate hominis, t. 1.	39
<i>Dom. 18. Post Pent.</i>	De paralytico, t. 2.	464
<i>F. 2. &amp; 3.</i>	De gravitate peccati ex Dei offensi excellentia, t. 1.	40
<i>Fer. 4.</i>	De gravitate peccati ex pœnis, t. 1.	43
<i>Fer. 5.</i>	De proprietatibus mortis, t. 1.	45
	<i>Fer. 6.</i>	



*In singulos dies.*

<i>Fer. 6. Sab.</i>	<i>Ea quæ angunt moribundum, t. 1.</i>	47
<i>Dom. 19.</i>	<i>Post Pent. De invitatis ad nuptias, t. 1.</i>	414
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	<i>De particulari judicio, t. 1.</i>	49
<i>Feria 4.</i>	<i>De corpore anima destituto, t. 1.</i>	53
<i>Feria 5.</i>	<i>Super illa verba: Memento homo quia pulvis es, t. 1.</i>	56
<i>F. 6. &amp; Sab.</i>	<i>De oblivione mortis &amp; parabola divitis avari, t. 1.</i>	57
<i>Dom. 20.</i>	<i>Post Pent. De reguli filio, t. 2.</i>	465
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	<i>De signis præcedentibus judicium, t. 1.</i>	60
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	<i>De resurrectione corporum &amp; præcedentibus sententiam, t. 1.</i>	63
<i>Fer. 6. &amp; Sab.</i>	<i>Sententia judicis pro bonis &amp; contra malos, t. 1.</i>	67
<i>Dom. 21.</i>	<i>Post Pentecosten. De rege &amp; servo debitore, t. 1.</i>	402
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	<i>De inferno, quid sit, &amp;c. t. 1.</i>	72
<i>Fer. 4. &amp; 5.</i>	<i>De pœna sensus &amp; damni, t. 1.</i>	76
<i>Feria 6.</i>	<i>De Superbia, t. 1.</i>	80
<i>Sabbato.</i>	<i>De vitio gulæ, t. 1.</i>	83
<i>Dom. 22.</i>	<i>Post Pent. De creatione hominis ad imaginem Dei, t. 2.</i>	380
	<i>Vel De numismate census, t. 2.</i>	467
<i>Feria 2.</i>	<i>De luxuria &amp; bono castitatis, t. 1.</i>	86
<i>Feria 3.</i>	<i>De avaritia, t. 1.</i>	90
<i>Feria 4.</i>	<i>De ira, t. 1.</i>	93
<i>Feria 5.</i>	<i>De invidia, t. 1.</i>	96
<i>Feria 6.</i>	<i>De de acedia, t. 1.</i>	98
<i>Sabbato.</i>	<i>Aliqua superiorum iterabitur.</i>	
<i>Dom. 23.</i>	<i>Post Pent. De sanata à fluxu sanguinis, tom. 1.</i>	349

*Et de*



## Indnx Meditationum

<i>Et de filia Archisynagogi suscitata, t. I.</i>		368	29
<i>Fer. 2. &amp; 3.</i>	<i>Super Decalogi præcepta, t. I.</i>	101	2.
<i>Feria 4.</i>	<i>Circa quinque sensus exteriores, t. I.</i>	108	2.
<i>Feria 5.</i>	<i>Circa internas animæ potentias, t. I.</i>	110	7.
<i>Feria 6.</i>	<i>De quotidiano examine conscientiæ, t. I.</i>	113	19
<i>Sabbato.</i>	<i>De examine particulari, t. I.</i>	117	21
<i>Inferuntur hic ante Dom. 24. &amp; ultimam post Pent. hebdomadæ si quæ superfuerunt post E- piphaniam.</i>			
<i>Dom. 24. Et ultima post Pent. De signis præcedentibus judicium, t. I.</i>		60	6.
<i>Feria 2.</i>	<i>De sacramento poenitentiae, t. I.</i>	120	11
<i>Fer. 3.</i>	<i>Præparatio ad confessionem, t. I.</i>	123	2.
<i>Fer. 4.</i>	<i>Gratiarum actio pro beneficio absolutionis, t. I.</i>	128	2.
<i>Fer. 5.</i>	<i>Præparatio ad sacram communionem, t. I.</i>	131	2.
<i>Fer. 6.</i>	<i>De spirituali communionem, t. I.</i>	135	3.
<i>Sabbato.</i>	<i>Gratiarum actio post communionem, t. I.</i>	138	2.

## P R O P R I U M S A N C T O R V M.

30.	NOVEMBRIS. S. Andreæ, tom. 2.	469	4
	3. DECEMBRIS. S. Fancisci Xaverii, t. 2.	471	6
6.	S. Nicolai, t. 2.	473	1
8.	Conceptio B. V. t. I.	158	1
21.	S. Thomæ, t. 2.	190	1

*Habes, quæ hic desiderantur, in indice  
totius anni.*

25.	JANUARI. Conversio S. Pauli. t. 2.	242	1
		29. S.	2



*Proprium Sanctorum.*

29. S. Francisci Salesii, t. 2.	481
2. FEBRUARII. Purificatio B. V. t. i.	209
24. S. Matthiæ, t. 2.	217
7. MARTII. S. Thomæ Aquinatis, t. 2.	484
19. S. Iosephi, t. i.	189
21. S. Benedicti, t. 2.	486
25. Annuntiatio B. V. t. i.	167. & seq.
2. APRILIS. S. Francisci à Paula, t. 2.	488
25. S. Marci, t. 2.	491
1. MAII. SS. Philippi & Jacobi, t. 2.	493
6. JUNII. S. Norberti, t. 2.	496
11. S. Barnabæ, t. 2.	498
21. B. Aloysii Gonzagæ, t. 2.	501
24. Nativitas S. Joannis Baptistæ, t. i.	187
28. <i>Vigilia</i> SS. Petri & Pauli, t. 2.	197
29. S. Petri, t. i.	313
30. Commemoratio S. Pauli, t. 2.	252
2. JULII. Visitatio B. V. t. i.	181
22. S. Marię Magdalene, t. i.	329
25. S. Jacobi, t. i.	322
26. Parisiis 28. S. Annę, t. 2.	503
31. S. Ignatii, t. 2.	505
4. AUGUSTI. S. Dominici, t. 2.	508
6. Transfiguratio Christi, t. i.	317
10. S. Laurentii, t. 2.	511
15. Assumptio B. V. <i>Transitus à vita mortali</i> , t. 2.	268
16. <i>Glorificatio animæ B. V.</i> t. 2.	271
17. <i>Assumptio in corpore</i> , t. 2.	275
18. <i>De humilitate B. V. quæ meruit ita exaltari</i> , t. 2.	276
19. & <i>Qualiter vixerit B. V. post adventum Spiritus San-</i>	
20 <i>cti</i> , t. 2.	264
	<i>Item.</i>



## Index Meditationum

<i>Item</i> S. Bernardi, t. 2.	512
21. & 22. <i>De devotione erga B. V.</i> t. 2.	280
24. Romæ 25. S. Bartholomæi, t. 2.	516
25. S. Ludovici, t. 2.	518
28. S. Augustini, t. 2.	521
29. Decollatio S. Joannis Baptistæ, t. 1.	301
8. SEPTEMBRIS. Nativitas B. V., t. 1.	161
14. Exaltatio S. Crucis, t. 2.	523
21. S. Matthæi, t. 2.	525
29. S. Michaëlis, t. 2.	527
1. OCTOBRIS. Angeli custodis, t. 2.	407
<i>Vel</i> B. Francisci Borgiae, t. 2.	529
4. S. Francisci, t. 2.	532
6. S. Brunonis, t. 2.	534
9. S. Dionysii, t. 2.	537
15. S. Theresiæ, t. 2.	539
18. S. Lucæ, t. 2.	541
28. SS. Simonis & Judæ, t. 2.	544
1. NOVEMBRIS. SS. Omnium. <i>De Cœlesti gloria,</i>	
t. 2.	440. & seq.
<i>Vel De octo Beatitudinibus,</i> t. 1.	274
2. Commemoratio fidelium defunctorum. <i>De Purga-</i>	
<i>torio,</i> t. 1.	142
4. S. Caroli, t. 2.	546
11. S. Martini, t. 2.	550
21. Præsentatio B. V. t. 1.	161
25. S. Catharinæ, t. 2.	553
30. S. Andreæ, t. 2.	469
DE COMMUNI.	
<b>P</b> ro festis sanctorum, t. 2.	286
<b>A</b> postolorum. Devocatione Apostolorum, t. 1.	253
<i>Evange-</i>	



## Proprium Sanctorum.

<i>Evangelistarum.</i> Missio discipulorum, t. 1.	297
<i>Martyrum.</i> De sermone Domini in monte, t. 1.	274
<i>Confessorum.</i> De talentis, t. 1.	420
<i>Doctorum.</i> De triplici munere Apostolico, t. 1.	285
<i>Virginum.</i> De decem Virginibus, t. 1.	418
<i>Non Virginum.</i> De negotiatore margaritarum, t. 1.	393
<i>In dedicatione Ecclesiæ.</i> De Zachæo, t. 1.	342
<i>Pro Sacerdotibus.</i> De potestate sacerdotali conficiendi Evcharistiam, t. 2.	47
<i>Pro Religiosis.</i> De bono status religiosi, t. 2.	433
<i>Pro renovatione Votorum.</i> 1. Religiosi reformatio in re- novatione votorum, t. 2.	556
2. Idea Religiosæ reformationis, t. 2.	559
3. Defectus luminis spiritualis practici, t. 2.	563
4. Defectus amoris Jesu Christi, t. 2.	566
5. Levitas & inconstantia, t. 2.	569
6. Tepiditas, t. 2.	572

## I N D E X

### Ad Exercitia spiritualia.

#### PRIMO DIE.

1. <b>M</b> <i>editatio.</i> De ultimo fine hominis, t. 1.	27
<i>De Imitatione Christi</i> , l. 3. c. 9.	
2. <i>Medit.</i> De triplici peccato Angelorum, Adæ, & parti- culari quocunque, t. 1.	32
<i>De Imitatione Christi</i> , l. 1. c. 21.	
3. <i>Medit.</i> De gravitate peccatorum ex multitudine & pu- gnantia cum ratione, t. 1.	37
<i>De Imitatione Christi</i> , l. 4. c. 7.	

Con-



## INDEX.

*Consideratio. De Missæ sacrificio, sacra communione, & visitatione SS. Sacramenti, t. 2* 575

### SECUNDO DIE,

1. *Medit. De gravitate peccati ex vilitate hominis Dei-que offensi excellentia, t. 1.* 39. & seq.

*De Imitatione Christi. l. 3. c. 8.*

2. *Medit. De morte, t. 1.* 45. & seq.

*De Imitatione Christi. l. 1. c. 23*

3. *Medit. De corpore anima destituto, t. 1.* 53

*De Imitatione Christi. l. 1. c. 23.*

*Consideratio. De examine conscientiæ, & confessione sacramentali, t. 2.* 578

### TERTIO DIE,

1. *Medit. De particulari iudicio, t. 1.* 49

*De Imitatione Christi. l. 1. c. 24.*

2. *Medit. De inferno, t. 1.* 72. & seq.

*De Imitatione Christi. l. 1. c. 24.*

3. *Medit. De filio prodigo, t. 1.* 395

*De imitatione Christi. l. 1. c. 25. 21.*

*Consideratio. De oratione mentali, cæterisque precibus, t. 2.* 580

### QUARTO DIE.

1. *Medit. De Christo rege invitante ad sui imitationem, t. 1.* 149

*De Imitatione Christi. l. 1. c. 1. & l. 3. c. 32.*

2. *Medit. De Nativitate Christi, t. 1.* 194

*De Imitatione Christi. l. 2. c. 8.*

3. *Medit. De Circumcisione, t. 1.* 200

*De Imitatione Christi. l. 3. c. 12.*

*Consideratio. De lectione spirituali, sacra concione, & communicatione cum directore, t. 2.* 582

1. *Medit.*



# INDEX.

## QVINTO DIE.

1. *Medit.* De fuga in Ægyptum, t. 1. 214  
*De Imitatione Christi.* l. 1. c. 9. & l. 3. c. 13.
2. *Medit.* De vita Christi usque ad annum trigessimum, t. 1. 223  
*De Imitatione Christi.* l. 3. c. 53.
3. *Medit.* De generali vocatione hominum, t. 1. 258  
*De Imitatione Christi.* l. 3. c. 56.
- Consideratio.* De statu & officio uniuscujusque, deque temporis usura, t. 2. 584

## SEXTO DIE.

1. *Medit.* De tentationibus Christi, tom. 1. 249  
*De Imitatione Christi.* l. 1. c. 13.
2. *Medit.* De sermone Domini in monte, t. 1. 274  
*De Imitatione Christi.* l. 3. c. 2. & 3.
3. *Medit.* De Christi tristitia in horto, deque sanguineo sudore, t. 2. 64. & seq.  
*De Imitatione Christi.* l. 3. c. 29. & l. 2. c. 11.
- Consideratio.* De virtute, cui studere potissimum debemus, t. 2. 586

## SEPTIMO DIE.

1. *Medit.* De flagellatione, t. 2. 104  
*De Imitatione Christi.* l. 2. c. 12.
2. *Medit.* Mysteria in Christo crucifixo, t. 2. 122  
*De Imitatione Christi.* l. 4. c. 8.
3. *Medit.* ) ( ) (



## INDEX.

3. <i>Medit.</i> De resurrectione Christi, t. 2.	165
<i>De Imitatione Christi.</i> l. 3. c. 47.	
<i>Consideratio.</i> De conversione, t. 2.	588

## OCTAVO DIE.

1. <i>Medit.</i> De cœlesti gloria, t. 2.	440, & seq.
<i>De Imitatione Christi.</i> l. 3. c. 48. & 49.	
2. <i>Medit.</i> De quatuor excellentiis divinæ amicitiae, t. 2.	329
<i>De Imitatione Christi.</i> l. 3. c. 5. 6. & 22.	
3. <i>Medit.</i> De bonis status Religiosi, t. 2.	435
<i>De Imitatione Christi.</i> l. 1. c. 17. & 19.	
<i>Consideratio.</i> De mortificatione, t. 2.	591

# INDEX MEDITATIONUM. TOMI PRIMI.

### *Introductio totius operis.*

<b>C</b> Apud I. Quid sit oratio mentalis ?	pag. 1
2. De modo colloquiorum.	3
3. De excellentia orationis.	6
4. De materia meditationis.	7
5. De ingressu ad orandum.	9
6. De difficultate meditandi & distractionibus.	11
7. De extrinsecis ad jumentis ad meditandum.	13
8. De examine meditationum.	14
9. De	14



# INDEX.

9. De variis orandi modis. 16
10. De supplendo labore meditandi. 17
11. De extraordinariis orandi modis. 19
12. De præscribendo tempore meditationi. 23
13. De usu sequentium meditationum. 25

## I. PARS MEDITATIONUM.

*De pertinentibus ad purgandam animam à peccatis.*

- I**ntroductio. 26
- Meditatio 1. & fundamentalis de ultimo fine hominis. 27
2. De triplici peccato Angeli, Adæ & particulari. 32
3. De gravitate peccati ex multitudine & pungentia cum ratione. 37
4. De gravitate peccati ex vilitate hominis. 39
5. De gravitate peccati ex Dei offensi excellentia. 40
6. De gravitate peccati ex pœnis. 43
7. De proprietatibus mortis. 45
8. Ea, quæ angunt moribundum. 47
9. De iudicio particulari. 49
10. De corpore anima destituto. 53
11. Super verba illa. Memento homo, quia pulvis es, &c. 56
12. De oblivione mortis ex parabola divitis avari. 57
13. De signis præcedentib⁹ iudiciū universale. 60
14. De corporum resurrectione, & præcedentibus sententiam. 63
15. De

)()() 2

15. De



## INDEX.

15. De iudicis sententia.	67
16. De inferno.	72
17. De pœna sensus & damni.	76
Modus orandi pro puritate conscientiae acquirenda.	79
18. De superbia.	80
19. De vitio gulæ.	83
20. De luxuria & castitate.	86
21. De avaritia.	90
22. De ira.	93
23. De invidia.	96
24. De acedia.	98
25. De præceptis Decalogi.	101
26. De quinque sensibus exterioribus.	108
27. Circa internas animi potentias.	110
28. De quotidiano examine conscientiae.	113
29. De examine particularis vitii.	117
30. De Sacramento Pœnitentiae.	120
31. De præparatione ad Confessionem.	123
32. De gratiarum actione pro absolutione.	128
33. De præparatione ad SS. Communionem.	131
34. De spiritali Communionem.	135
35. De gratiarum actione post Communionem.	138
36. De Purgatorio.	142

## II. PARS MEDITAT.

<b>I</b> ntroductio.	146
<b>F</b> undamentum meditationum de Christo Rege.	149
Meditatio I. De decreto Incarnationis.	152
2. De	



# INDEX.

2.	De infinita charitate Dei in Incarnatione.	156
3.	De electione Matris & ejus Conceptione,	158
4.	De Nativitate & vita B. Virg.	161
5.	De tempore Incarnationis.	166
6.	De missione Gabrielis.	167
7.	De expositione nuncii ad Virginem.	170
8.	De assensu Virginis.	172
9.	Executio Incarnationis.	175
10.	De perfectionibus animæ Christi.	177
11.	De profectione B. Virg. ad Elizabetham.	180
12.	De ipsa Visitatione.	181
13.	De Nativitate Præcursoris.	187
14.	De revelatione facta Josepho.	189
15.	De expectatione partus.	191
16.	De profectione Beatæ Virginis in Bethle- em.	193
17.	De Nativitate Christi.	194
18.	De nuncio ad pastores.	196
19.	De Adoratione Pastorum.	198
20.	De circumcissione Domini.	200
21.	De impositione nominis Jesu.	202
22.	De magorum profectione.	204
23.	De adoratione Magorum.	206
24.	De purificatione matris.	209
25.	De Simeone & Anna Prophetissa.	211
27.	De fuga in Ægyptum.	214
28.	De cæde Innocentium.	217
29.	De Christo inter Doctores.	218
30.	De	



## INDEX.

30. De inventione in templo. 220  
31. De vita Christi ad annum 30. 223

### III. PARS MEDIT.

#### *De vita Christi à Baptismo ad Passionem.*

- I**ntroductio. Cap. i. De actionibus vitæ a-  
ctivæ. 226  
2. De actionibus vitæ contemplativæ. 227  
3. Vita activa opus habet contemplatione. 229  
4. De moderanda actione. 230  
5. De uno necessario. 232  
6. De præstantia vitæ contemplativæ. 233  
7. De excellentia vitæ mixtæ. 234  
8. Quo modo Christus concurrit ad utrumque. 235  
Meditatio I. Vita præcursoris. 237  
2. Testificatio Joannis de Christo. 240  
3. De baptismo Christi. 243  
4. De jejunio Christi. 247  
5. De tentatione. 249  
6. De vocatione Apostolorum. 253  
7. De generali vocatione hominum. 258  
8. De resignatione ad sequendam vocationem. 264  
9. De nuptiis in Cana Galilææ. 267  
10. De ejectis in templo negotiatoribus. 272  
11. De sermone Domini in monte. 274  
12. De triplici munere Apostolico. 285  
13. De



# INDEX.

13. De legis Evangelicæ excellentia.	287
14. De oratione Dominica.	288
15. De missione Discipulorum.	297
16. Decollatio Sancti Joannis.	301
17. Miraculum quinque panum.	302
18. De sedata tempestate.	307
19. De ambulatione Christi super mare.	308
20. De confessione Petri.	313
21. De Transfiguratione.	317
22. Consecuta Transfigurationem.	319
23. De petitione matris filiorum Zebedæi.	322
24. De Lazaro & divite Epulone.	326
25. De conversione Magdalenæ.	329
26. De Samaritana.	334
27. De adultera.	338
28. De Zachæo.	342
29. De Cananæa.	345
30. De servo Centurionis.	347
31. De Hæmorrhoiſſa.	349
32. De piscina probatica.	351
33. De leproſo ſanato.	354
34. De decem leproſis.	356
35. De cæco apud Jericho.	358
36. De cæco nato.	360
37. De ſurdo & muto.	363
38. De dæmoniaco lunatico.	365
39. De filia Archiſynagogi.	368
40. De filio viduæ ſuſcitato.	370
41. De Lazaro ſuſcitato.	372
42. De concilio contra Chriſtum.	378
43. De ſapiente & ſtulto.	380
44. De	



## INDEX.

44. De semine.	382
45. De zizaniis.	384
46. De grano sinapis.	388
47. De negotiatione margaritarum.	291
48. De ove perdita.	393
49. De filio prodigo.	395
50. De Samaritano & Levita.	399
51. De rege & servo debitore.	402
52. De villico.	405
53. De Publicano & Phariseo.	407
54. De operariis in vinea.	409
55. De vinea.	412
56. De invitatis ad cœnam & nuptias.	414
57. De decem virginibus.	418
58. De talentis.	420



INTRO-





# INTRODUCTIO AD MEDITANDUM.

## CAPUT PRIMUM.

*Quid sit Oratio mentalis?*



RATIO mentalis est exercitatio internarum animæ rationalis potentiarum, nempe memoriæ, intellectûs, & voluntatis, circa

Quid sit

Deum, & mysteria potissimum fidei, cum colloctione interna & familiari ad Deum. Unde quatuor habet partes.

Prima est exercitatio memoriæ, quâ Dei præsentia adducitur ante oculos, & mysterium illud, circa quod meditandum est, per puncta distinctum memoratur, & intellectui proponitur, cum fide viva, ac ferventi ipsius mysterij: sine qua languebit meditatio, nec intelligitur, quod frigide creditur, juxta illud: *Nisi credideritis, non intelligetis.*

Partes Medit.

1.

Isa. 7. 9.

Secunda est ratiocinatio intellectûs circa propositam materiam: tum, ut eam intimè percipiat; tum, ut eliciat documenta virtutum, quæ voluntati amplectenda proponat.

2.

Tertia est concitatio voluntatis, ut res fert

3.

A

con-



considerata, eliciendo varios actus & effectus vel erga Deum, amoris, fiduciæ, gratitudinis, vel erga seipsum, odij, compunctionis, desiderij meliorum, & similes: qui est finis meditationis.

4.

Quarta est petitio eorū, quæ meditando intelleximus nobis expedire, cum fiduciali colloquio, vel ad unam speciatim ex divinis personis, pro re nata, & affectu: vel universè ad omnes. In petendo autē proferemus rationes, cur exaudiendi simus, quæ potissimum sunt tres.

1. *Ratio.*

1. Ex parte Dei, quia bonus, quia ipse amat nos, quia vult à se peti, quia sic glorificabitur; & tandem per singulas ipsius perfectiones nominatim expressas, potest fieri obsecratio. 2. Ex parte

2.

Christi, obtrendendo illius merita universè: tum sigillatim singula ejus mysteria, & actiones, passionésque: Denique per ipsius virtutes, quibus placuit Patri, eundem Patrem obsecrando. Modo ipsum Filium rogando per amorem, quo nos amplexus est; per officiū, quod gerit Mediatoris, per magnitudinem pretij, quo nos redemit. Et ipsum quoque Spiritum sanctum compellendo, pro eo amore, quo Christum prosequitur, ejusque merita: in quem sine mensura effusus est. 3. Ex parte nostra, prætenso necessitate & miseria maxima. In iniquitatibus concepti sumus, intus urgemur à concupiscentijs, foris impedimur à dæmonibus, & à mundi illecebris provocamur, persequitur diabolus in nobis imaginem Dei, ut vel eo nomine debeat nos Deus ab injuria vindicare. Licebit hinc particu-

lares



lares necessitates, ac proprias sigillatim commem-  
morare, ad divinam misericordiam magis per-  
movendam. Aliquando etiam viri perfecti ob-  
tendere possunt obsequia, ut Ezechias: *Memor-  
to Domine, quod ambulaverim coram te in verita-  
te.* Et Christus ipse: *Ego te clarificavi super ter-  
ram, & nunc clarifica me tu Pater.*

R. Reg.

20. 3.

Ioan. 17.

4.

Atque modus iste orandi traditur ab Aposto-  
lo: *In omni oratione & obsecratione cum gratiarum* Philip.  
*actione petitiones vestrae innotescant apud Deum.* 4. 6.

Nec istae obsecrationes tam adhibentur ad per-  
suadendum Deo, qui urget ipse, & praecipit, ut  
petamus; quam ad excitandum in nobis fervo-  
rem devotionis, & impetrandi fiduciam, quo  
mereamur exaudiri. Consentit praedictis illa

Augustini sententia: *Meditatio parit scientiam, Lib. de*  
*scientia compunctionem; compunctio devotionem, spir. &*  
*devotio vero perficit orationem.* An. 6.  
Etenim per me- 70.

ditationem homo in Dei, & sui ipsius cogniti-  
onem venit. Hinc compungitur, & erubescit de  
propria vilitate, compunctus, in Dei misericor-  
dia & bonitate conquiescit dulciter. Huc pro-  
vectus, miscet colloquia cum Deo; necessitates  
exponens suas, fidenterque postulans auxilium  
opportunum.

## CAPUT II.

### De modo Colloquiorum.

**I**N colloquiis potissimum consistit oratio, Finis  
quorum finis est duplex: alter confessio lau- collo-  
dis divinae, alter imploratio gratiae. Ad priorem qui du-  
plex.

A 2

per-

plex.



Primus  
finis.  
Eph. 5.  
15.

pertinent quatuor affectus à Paulo recensiti  
*Impleamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsi  
in psalmis, hymnis, & canticis spiritualibus: can-  
tantes & psallentes in cordibus vestris Domino,  
gratias agentes semper pro omnibus, in nomine  
Domini nostri Jesu Christi, Deo & Patri.*

Primus affectus: *In psalmis.* Hic & amor in  
Deum cum deliberata voluntate non disceden-  
di minimum ab illius mandatis. Hoc est psalte-  
rium decem chordarum, quod in oratione pul-  
satur, quando anima concipit alia, atque alia de-  
sideria perficiendæ divinæ voluntatis.

Secundus affectus: *in hymnis.* Hic est admi-  
ratio & prædicatio divinarum perfectionum in  
se, & operum mirabilium extra se: propter qua  
Seraphim atque Cherubim incessabili voce pro-  
clamant. *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* Adde tu  
Bonus, misericors, sapiens, omnipotens; & si  
quid aliud voles. Dico illi cum senioribus:  
*Isa. 6. 3.* *Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtu-  
tem & divinitatem, & sapientiam, & fortitudi-  
nem, & honorem & gloriam, & benedictionem in  
secula seculorum. Amen.*  
*Apo. 5. 12.*

Et quia major est omni laude, in vita omnes  
etiam inanimas creaturas, ad eum laudandum,  
ut fecerunt tres pueri in fornace; & totus ipse  
in laudes effundere cum Davide, dicens: *Bene-  
dic anima mea Dominum, & omnia quæ intrin-  
seunt, nomini sancto ejus.*  
*Ps. 102. 1.*

Tertius affectus: *in canticis spiritualibus.* Hic  
est gaudium & exultatio de divino bono in se,  
& quod glorificatur à Sanctis in cælo & in terra

illie



## Caput II.

5

illuc per possessionem plenam, istuc per spem.  
Unde dicunt: *Alleluja, quoniam regnavit Domi-* *Apoc. 19.*  
*nus Deus noster omnipotens, gaudeamus & exul-* *6.*  
*temus, & demus gloriam ei.*

Quartus affectus gratitudinis, *agendo gratias*  
pro beneficiis acceptis, nec non pro collatis in  
alios etiam, sive homines, sive Angelos: quin in  
ipsa inanimata, quæ per se nequeunt gratias age-  
re, & in ipsos dæmones, qui nolunt, quia sunt  
obstinati in malo.

Alter finis colloquiorum est, *petitio gratiæ*. Secundus  
In petendo autem variè affici possumus: vel spi- finis.  
ritu filiali erga Patrem, quâ ratione iussit nos ora-  
re: *Pater noster, qui es in calis!* vel; ut mendicus  
à prædite petit: nam *Dives est in omnes, qui in-* *Rom. 10.*  
*vocant illum;* vel, ut æger medico infirmitatem *12.*  
suam exponit: vel ut discipulus à magistro edo-  
ceri cupit: vel si eò fiducia surgat, tanquam spon-  
sa cum dilecto suo colloquatur. Sed in his om- *Rom. 8.*  
nibus Spiritus sanctus est præcipuus director, *26.*  
qui & *postulat pro nobis gemitibus inenarrabili-* *Serm.*  
*bus,* suum affectum inspirans, qui est maximè *45. in*  
opportunus. Quare Bernardus rectè dicit: *De-* *Cant.*  
*votionem esse linguam animæ, & qui illam te-*  
*nent, optimè loqui & conversari posse cum Verbo*  
*æterno.* Licet etiam colloqui nobiscum ipsis, ar-  
guendo, increpando, excitando, ut sæpe in  
Psalmis: *Quare tristis es anima mea? Spera in* *Pf. 41. 6.*  
*Deo. Nonne Deo subjecta erit anima mea? Sur-* *Pf. 61. 2.*  
*gam, & ibo ad Patrem meum.* Sanctos etiam  
alloquemur, tum gratulando ipsis bona sua, tum  
nobis similia postulando.

A 3

CAPUT



## CAPUT III.

*De excellentia Orationis.*

Virtutes  
Orat.

**P**Ræstantia apparet, quòd in ea exerceantur tam sublimes actus, ut in præcedentibus capitibus ostensum est. Quare Chrysostomus eam comparat Reginae cum amplissimo comitatu. Aliæ enim virtutes præcedunt, quibus præparatur anima orationi, fides, humilitas, reverentia, intentio pura: aliæ comitantur, charitas, religio, devotio, intellectus, sapientia, aliæque dona Spiritûs sancti: aliæ sequuntur, ardentia desideria, & exercitia virtutum, obedientiæ, patientiæ, temperantiæ, & reliquarum.

Oratio facit similes Angelis; Seraphinis, per ardentem amorem; Cherubinis, per scientiæ plenitudinem; Thronis, per altissimam in Deo quietem; Dominationibus, per dominium appetitûs proprii; Potestatibus, per imperium in dæmones; Virtutibus, per admirabilem operationem; Archangelis, per fortitudinem in arduis: Angelis, per obedientiæ promptitudinem; denique omnibus Spiritibus cælestibus, per sanctitatem & sapientiam.

Fructus.

Ser. 45.

1. Pet.

1.8 Phil.

4. 7.

Ps. 48. 9.

In oratione non ipse homo tantum cum Deo loquitur: sed vicissim Deus cum homine: *Locutio autem Verbi* (ut ait Bernardus) *est infusio doni. Inde letitia spiritûs inenarrabilis pax exuperans omnem sensum: Quare audiam, quid loquatur in me Deus, quoniam loquetur pacem in plebem*



ben suam, & super Sanctos suos, & in eos, qui convertuntur ad cor.

Oratio est connexa cum omnibus virtutibus, ut Cassianus docet: quod oratio perfecta, sine istis esse non valeat: neque istæ absque oratione acquiri vel conservari possint, ex quo necessitas orationis commendatur. Oratio est finis omnium virtutum: quia per orationem inhæretur Deo, unione intima: quo refertur quidquid boni in vita agitur. Ibi Deus reddit centuplum pro iis, quæ ipsius causâ contempsimus, vel toleravimus, & arrham præbet vitæ æternæ.

Col. 9. 6.

Clim.  
gradu.  
28.

## CAPUT IV.

*De Materia Meditationis.*

**M**ateria est universè, quidquid divinitus revelatum est. Potest autem distinguì, juxta conditionem meditantium, tripliciter. Nam aliqui peccatores sunt, sed cupiunt resipiscere: vel, si peccatum reliquerunt, adhuc subjacent vitæ prioris passionibus, quas mortificare desiderant. Unde Purgativam adhuc viam ingrediuntur. Alij, his superatis difficultatibus, profectui virtutum, & ampliori luminì cælestium acquirendo intendunt, quæ est Via Illuminativa. Alij denique progressi sunt ad familiarem & intimam cum Deo unionem, quæ dicitur Via Unitiva.

Via Purgativæ convenit meditatio circa ipsa peccata: ut cognoscatur eorum multitudo &

A 4

gravitas:



gravitas: tum dolor concipiatur admissorum, atque horror peccandi. Ad quem finem juvant, quæ timorem incuriunt, qui est initium sapientiae: qualia sunt novissima nostra, mors, iudicium, & infernus: de quibus, ut de aliis, ad ritè confitendum, & ad justificationis gratiam percipiendam, agitur in prima parte meditationum. Id ubi incipiens peregit, quo etiam à reliquiis peccatorum purgetur, incumbet in meditationem mysteriorum vitæ Christi Domini, & maxime ejus infantiae (de qua est secunda pars Meditationum) studens evadere quasi modò genitus infans.

2. Viæ Illuminativæ, quæ est jam purgatorum & in virtute proficientium, convenit meditatio, gestorum Christi per tempus suæ prædicationis, nec non Passionis obitæ: Nam proficimus agendo & patiando: utriusque documenta præbuit Christus eximia in vita & morte sua, cujus  
*In Ps. 49.* conversatio fuit, ut August. ait: *Mira facere & mala pati.* De his tractatur in III. & IV. parte Meditationum.

3. Viæ Unitivæ convenit meditatio, tum Christi humanitatis jam resuscitatæ & glorificatæ, tum Divinitatis in Trinitate personarum, divinarumque perfectionum, quæ tractantur in V. & VI. parte. *Montes excelsi cervis, petra refugium herinaceis.* Alta Divinitatis juga petunt agiles & expediti ab omni terreno affectu: imperfectis autem petra est refugium. *Petra autem erat Christus, ejusque humanitas.*  
*Pf. 107.*  
*18.*  
*Cassian.*  
*Coll 10.*  
*c. 10.*

Istæ sex partes Meditationum sunt instar sex alarum



alarum Seraphim, quibus ad DEUM attollimur, indèque purgati, illuminati, atque consummati, regredimur ad perficiendos alios; quia non debemus profectu proprio esse contenti, nisi & alios juvemus. Deinde ita ex his Meditationibus aliæ aliis conveniunt: ut quivis exercere se possit aliquando in omnibus, tametsi non eodem modo. Nam Perfectus, ex quibuscumque colliget fructum unionis: Incipiens autem seu Proficiens, pro sua necessitate, juvari poterit ex qualibet etiam Meditatione. Sed & Imperfectus potest aliquando assurgere ad actus unionis: ut & Perfectus timore concuti, ob admissa peccata. Et est varietas ingeniorum: ut quidam à suppliciis minùs percellantur, ad detestanda peccata: magis autem ex consideratione divini amoris. Ordinariè autem, viâ incedendum est cuiusque gradûs propriâ, & Meditationes adhibendæ ac accommodatæ.

## CAPUT V.

*De ingressu ad orandum.*

**A**NTE orationem præpara animam tuam, & Eccl. 19. noli esse quasi homo, qui tentat Deum. Huc Materia pertinet præparatio certæ materiæ, & digestio præparata. in puncta: alioqui anima evagabitur per varia sine fructu. Licet autem sequi impulsu Spiritûs sancti, si quando trahit aliò à materia proposita, dum non leviter fiat.

Primum igitur cogitabimus DEUM præsentem, qui cùm sit ubique, non acceditur ad illum sentia.



passibus corporis, sed fide vivâ præsentiæ ipsius. Variè autem cogitari potest præsens, vel tanquam mare immensum me circumvallans, & continens, vel tanquam intrâ me existens per essentiam, præsentiâ, & potentiam. Et hoc

*Mat. 6. 6.* est, quod ipse Dominus jussit: *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum, & clauso ostio, ora Patrem tuum.* Pete secretum cordis, & occlude ostia sensuum tuorum. Quod si in hac repræsentatione præsentiæ DEI, sentiat se homo affici singulariter, morari in ea licebit: ordinariè autem non, nisi ad se sistendum mente coram DEO: à cujus conspectu in reliquo etiam orationis decursu non est discedendum, ut monet David:

*Pf. 18. 15.* *Meditatio cordis mei in conspectu tuo semper,*  
*Pf. 54. 13.* *sed præcipuè in colloquiis, quando effundo orationem meam in conspectu ejus, & tribulationem meam ante ipsum pronuntio.*

Reverentia.

Secundò exhibenda est profunda reverentia DEO præsenti, tum gestu corporis, tum animi sensu, semel iterum ac tertio flexo poplite venerabitur illam majestatem, tanto majori jure, quàm id præstatum Regibus terrenis: dein etiam procidemus ad terram, exemplo Christi, qui

*Heb. 5. 7.* *preces supplicationesq; cum clamore valido, & lachrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.*

Oratio præparat.

Post hæc in loco orationi designato genua flectam, & cruce me signabo, præmittens illud: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos DEUS noster:* ne ab illis impediatur in orando. Tum invocabo SS. Trinitatem; *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti,* in cujus virtute insti-



instituo, orationem auspicari. Sunt, qui præmittant etiam confessionem generalem. Quia *Iustus Prov. 12.* in principio orationis accusator est sui. Et sunt, qui <sup>17.</sup> ab actione gratiarum ordiantur, ut S. Basilus monet: in quo sequi licet propriam devotionem. Sed illud tamen ab omnibus servandum, ut aliquâ brevi precatione dirigatur præsens opus ad gloriam Dei, & postuletur gratia rectè perficiendi.

## CAPUT VI.

## De difficultate meditandi, &amp; de distractionibus.

**M**editatio, quæ est operatio mentis, & difficultas <sup>Difficul-</sup> <sup>tas Me-</sup> <sup>ditat.</sup> <sup>ditatio</sup> propositæ materiæ, magnam habet difficultatem, ut absque evagatione fiat: de quo etiam Sancti queruntur. *Cogitationes meæ, in-* <sup>Iob. 17.</sup> <sup>quit Job, dissipatæ sunt, torquentes cor meum: 11.</sup> Et David: *Cor meum dereliquit me.* Provenit autem <sup>Pf. 39.</sup> <sup>tem ex diversis causis. Vel à dæmone satagente 13.</sup> impedire fructum orationis, vel ex conditione phantasiæ per se vagæ & volubilis, vel ab affectibus immortificatis, mentem ad se rapientibus, vel à curis sollicitantibus animam, atque pungentibus, vel à remissione & ignavia, vel denique à defectu discursus.

Universè oportet rem meditandam probè concipere: deinde circa illam expendere causas, effectus, circumstantias. Velut in mysterio Incarnationis; primò rem ipsam, prout fides docet, menti distinctè objiciam: deinde considerabo

rabo



rabo causam motivam tanti operis, quæ fuit bonitas & misericordia DEI, non merita hominum: tum finem, ostensionem divinæ bonitatis, & reparationem generis humani, postmodum fructus, justificationem, resurrectionem, & glorificationem nostram: item damna aliqui obventura: denique circumstantias loci, temporis, & modi, & qualem carnem & animam assumpserit. Cæterum in singulis punctis immorandum est, quoad fructus eliciatur, nec ad alia properandum: Et quia, cum à Spiritu sancto peculiariter impellimur, succedunt omnia, oportet etiam, quando extraordinario illo ductu destituimur, per ordinarium gratiæ auxilium, quod non negatur volenti, adniti, quantum possumus, qui conatus, ut minùs habeat internæ consolationis, fortè plùs meriti, ob majus nostrum studium, & conflictus difficultatem.

*Mat. 14. 32.* Aderit Christus laborantibus in remigando, & tranquillum faciet.

Remedia. Adversus evagationes & ariditatem Spiritûs juvant ista. 1. Humilitas ex cognitione propriæ infirmitatis, & confusione, quod ita cum DEO versemur. 2. Constantia propositi non admit-  
tendi ullam cogitationem alienam, conatûsque

*Gen. 15. 11.* repellendi, exemplo Abrahæ, qui à sacrificio abigere volucres perseveravit, donec ecstasi correptus, meruit de maximis divinitûs edoceri.

3. Oratio, quâ petatur à DEO remedium. *Cor meum dereliquit me: complaceat tibi Domine, ut eripias me. Et: Anima mea sicut terra sine aqua tibi. Velociter exaudi me Domine, defecit spiritus meus.*

*Pf. 39.*

*13.*

*142. 7.*



*mens.* 4. Fiducia, quòd DEUS aderit conanti- 4.  
bus, cùm ipse jubeat orare. Dicam : *Declinate Ps. 118.*  
*à me maligni, & scrutabor mandata DEI mei. 115.*  
Et : *Venite adoremus, & procidamus, & plore-* *Ps. 94. 6.*  
*mus ante DEUM, qui fecit nos.*

## CAPUT VII.

*De quibusdam extrinsecis adjumentis  
ad meditandum.*

**E**T si meditatio est opus intellectûs : juvatur Admini-  
tamen ab imaginatione, linguâ, & sensi- cula me-  
bus. I. Phantasia, etsi alioqui impedit, cùm va- dit.  
ga est : tamen confert vis illius ad repræsentan- I.  
dum intus rem per imagines, ut quasi præsens Imagi-  
cernatur. Quare id erit faciendum in exordio natio.  
meditationis, pro qualitate rei meditandæ. Ut  
si de inferno, cogitetur locus tanquam carcer,  
obscurus, arctus, profundus, horridus, igni-  
vomus, quo detineantur damnati. Si de Christi  
Nativitate, specus ventis pervia, in qua jaceat  
Salvator. Verùm, qui difficulter efformant hâsce  
imagines corporeas, potiùs abstineant, ne caput  
lædant : qui verò facilè, & vehementer conci-  
piunt, caveant tum à læsione capitis, tum ab  
elusione diabolica, quâ fit ut phantasma pro re  
accipiat, & putetur divina ostensio, quæ est  
imaginationis propriæ figmentum.

II. Juvat lingua, sive oratio vocalis ipsam II.  
meditationem, præcipuè in ariditate & distra- Lingua.  
ctionibus ; nam excitatur ad attentionem ani-  
ma, & ad torporem excutiendum. Fit autem  
dupli-



14 *Introducet. ad Medit.*

dupliciter : vel cū mens ex affectu prorumpit in verba minimè præmeditata, aut composita : vel cū aptam aliquam precationem ab alio compositam in eum finem excitandi seipsam, assumit.

III.  
Sensus.

III. Quod ad sensus externos attinet, quidam sunt collectiores, vitatis omnibus objectis, occlusisque sensibus : alij autem aspectu cæli, aut plæ imaginis, vel etiam conventu pio permoventur, & motibus cæteris, ut tunctione pectoris, geniculatione frequenti, prostratione corporis, expansione brachiorum, statione : alij aliter afficiuntur, vitanda autem in publico, quæ insolita sunt.

CAPUT VIII.

*De examine faciendo super Meditatione.*

Quid examinandum.

CONFERT multū ad fructum, ut super meditatione jam peracta instituatur examen. Id, quod circa alias quoque orationes vocales, præsertim longiores facere, operæ pretium erit.

I.

I. Examinabo accessum ad meditandum : an præparata sufficienter materia : an præsentia DEI ante oculos studiosè posita : an opus illud purâ intentione in DEUM direxerim, & obtulerim, gratiâ dignè perficiendi postulata. Quod si minùs præstiterim, dolebo, cum proposito emendationis.

II.

II. Examinabo progressum orationis : distractionisne, atque aridus, an collectus & devotus fuerit.



fuerim, an multus in discursibus, & parùm affectibus intentus: an bona desideria ac proposita in posterum conceperim: & quâ reverentiâ in colloquiis cum Deo meo habuerim. Si quid bene gestum, Deo referam acceptum, gratiasq; agam: quod si minùs, ejus rei causam investigabo, ad removendum.

III. Examinanda sunt ipsa lumina in meditatione percepta, & affectus spirituales, dispiciendo, quò ducant animam, & quales in ea pariant effectus, ut discamus varios spiritus discernere. III.

IV. Dispiciendum quâ ratione exequi valeamus, atque in praxim quamprimum deducere, quæ intelleximus, nobis esse facienda: nam arbor infructuosa excinditur: Justus autem erit *ps. 1.3.* *tanquam lignum, quod plantatum est secùs decursus aquarum, quod fructum suum dabit in tempore suo.* Cæterùm fructus meditationis esse IV. Fructus debent, reformatio morum, vitatio culparum medit. etiam levium, declinatio occasionum mali, & quarumvis imperfectionum, refrænatio passionum, victoria difficultatum in exercitio virtutum, superatio tentationum: studium laborandi ac patiendi in iis, quæ sunt proprii statûs, & vocationis accurata exercitatio: denique imitatio Christi, in charitate, humilitate, patientiâ, obedientiâ, Crucis amore, mortificatione, cæterisque virtutibus, ac præsertim, quâ quisque maximè indigere se sentit.



## CAPUT IX.

*De variis orandi modis.*

**Q**Uæ est hominis infirmitas, ut spiritualium rerum tædium faciliè concipiat, ad illud vitandum excogitati sunt à viris sanctis diversi modi orandi. Tres S. P. noster Ignatius quàm accommodatissimos tradit.

I. I. Modus est, quo Decalogi præcepta, aut vitia capitalia, aut internæ animæ potentiæ, ipsiq; sensus exteriores pro materia meditandi assumuntur. Qui modus convenit viæ purgativæ, ac de illo agitur in 1. parte Meditationum, ubi propriæ de iis capitibus considerationes proponuntur.

II. II. Modus, cùm Psalmi alicujus versiculus, aut alia Scripturæ sententia, aut etiam Hymni Ecclesiastici pars ad meditandum proponitur, eliciendo ex ea spiritum, fructumque latentem. Itaque singula verba pensitanda sunt, & quò spectent, considerandum. Nam si DEUS in proposita sententia loquatur homini, aut docet, aut præcipit, aut corripit, aut terret: vel contrà, erigit, solatur, allicit: & pro affectu flectendus est animus, DEOq; subjiciendus. Si autem homo loquatur DEO, ut passim in Psalmis, aut laudat & gratias agit, aut petit peccatorum veniam, vel liberationem à malis, aliave beneficia: Induendus porrò est ille affectus, quem verba præ se ferunt, vel ejusmodi sententia debet assumi, quæ conveniat affectui, quem volumus in nobis exci-



excitare. Convenit iste modus viæ Illuminati-  
væ, quæ scrutatur mysteria divinorum eloquio-  
rum, ad proficiendum in spiritu. Praxis trade-  
tur in 2. & 3. parte Meditationum, circa oratio-  
nem Dominicam, & salutationem Angelicam,  
& alias Christi Domini sententias, quæ in primis  
efficaces sunt. Nam *labia ejus lilia distillantia Cant. 5.*  
*myrrham primam.* Et ipse de se : *Verba, quæ* <sup>13.</sup>  
*ego locutus sum vobis, spiritus & vita sunt,* quod <sup>Ioan. 6.</sup>  
Petrus agnovit, cum dixit : *Verba vite aterna* <sup>4. 69.</sup>  
*habes.*

III. Modus constat variis affectibus per in- III.  
tervalla respirationum, non enim hæretur diu-  
tius in verbo aut parte aliqua sententiæ, nisi  
quantum inter unam aut alteram respirationem  
intercedit, veluti carpendo cursim ex propo-  
sitis fructum, & alium post alium affectum con-  
cipiendo, & quasi jacula in cælum jaciendo.  
Quod exprimere videtur David in illis verbis :  
*Os meum aperui, & attraxi spiritum : quia man-* <sup>psal. 18.</sup>  
*data tua desiderabam :* quasi ad singulas attra- <sup>13.</sup>  
ctiones funderet orationem. Convenit hic mo-  
dus viam ingressis Unitivam.

## CAPUT X.

*De supplendo labore meditandi.*

**T**Ripliciter se habent homines in meditan- Diversi-  
do : quidam plus ratiocinationi dant, mi- tas me-  
nus affectui : alij plus affectui, sed cum ratio- ditat.  
cinatione, alij simplici intuitu rei in affectus  
assurgunt : quæ est contemplatio. Verum ad

B

hanc



Simile.

hanc fere non perveniunt, nisi qui in meditando & inquirendo, se diu exercuerunt. Velut cum puella nubere volens, de sponsi conditione multa exquirat, sed omnibus compertis, ad solam illius mentionem, aut subitum conspectum, tota exhilarescit, nequicquam expendens singula, ob quæ est sibi amabilis: sed ex præconcepta cognitione subito exardescens. Ita, qui diu multumque per meditationis studium in Christi Domini gesta inquisierunt, & deprehenderunt, qualis, quantusque sit, tandem absque alio discursu, ad quamvis occasionem, in eum rapiuntur, atque ita de aliis meditationis argumentis. Quia tamen in nobis facilius delentur spiritualium rerum imagines, oportet etiam, exercitatos viros renovare subinde ipsas meditationes, quibus foveatur ac confirmetur notitia illa habituata, lumenque rerum divinarum.

DEI bonitas.

Cæterum solet Deus quosdam etiam minus in meditando antea versatos prævenire in benedictionibus suis, & speciali lumine perfusos subito illustrare, atque ob oculos intuendum ponere, unde in varios affectus incallescant. Idcirco, qui debilitate capitis, aut alio impedimento prohibentur meditationi intendere, hanc rationem poterunt servare: ut proposita sibi aliqua certa materia, cæleste lumen implerent, quod suppleat conatum laboremque meditandi: præsertim, quia ex præterito usu accedit semper aliquod juvamen, cum non planè sint res ignotæ, & nunquam antea perpenisæ. Ade-  
rit



rit DEUS, qui non deserit in se confitentes. Triplex autem notitia universè spectatur: sui ipsius, Christi Domini, DEI ac ejus perfectio- num & operum: quæ notitiæ ita sunt connexæ inter se, ut ex alia in aliam facilè fiat gradus inter meditandum: & habent singulæ proprios quos- dam affectus.

## CAPUT XI.

*De extraordinariis orandi modis.*

**O**Rationis donum à Spiritu sancto est, illic promissum: *Effundam super domum Da-* Zach. 12.  
*vid & super habitatores Jerusalem Spiritum gra-* 10. Rom.  
*ria & precum: nam, nescimus, quid oremus. si-* 8. 2.  
*cut oportet.* Non tamen uno modo Spiritus san- ctus docet orare, ut valde sit reprehensibile, quod quis velit, omnes alios tenere eum mo- dum, quem ipse probat, ac sequitur: cùm *Spi- ritus sit unus & multiplex.*

Porro generatim modi orandi sunt duo, alter ordinarius, de quo hætenus dictum est; alter *Sap. 7.* verò extraordinarius, isque multiplex. Sed *22.* hunc nec postulare, nec expetere quidem licet; quòd id sit præsumptionis, & periculo illusio- nis expositum, *transfigurante se diabolo in An-* 2 Cor. 11.  
*gelum lucis: oblatum autem à Deo submissè &* 14.  
cautè oportet admittere, servatis documentis, quæ 3 p. medit. 19. traduntur, & p. 5. ubi de ap- paritionibus Christi: juvat tamen quædam non ignorare ad hunc modum pertinentia.



Est igitur sciendum, quòd quemadmodum in parte animæ sensitiva habemus quinque sensus exteriores, quibus res sensibiles & delectabiles percipimus: ita proportionem quadam in parte rationali sunt actus illis similes, quibus invisibilia DEI & delectabilia percipiuntur: unde existit cognitio quædam experimentalis divinorum: quæ tantò præstat notitiæ ratiocinationibus comparatæ, quantò degustatio mellis antecellit omnem de ea re discursum. Hinc existit mystica Theologia, quæ est sapientia, sive sapida scientia Dei. de qua Dionysius, & alij Patres, & nominatim Bonav. de 7. itineribus æternitatis, in 6. itinere. Sed in huiusmodi, ut Bernardus ait, *Non capit intelligentia, nisi quantum experientia attingit.*

I.  
Visio.

Job 33. 2.

Pf. 45.

11.

Primus modus communicationis est, velut aspectui obijciendo aliquod mysterium in tam claro lumine, ut videre homo sibi videatur ipsam rem: quamvis ea visio non excludat fidem. Hanc notitiam comitatur júbilus, qui est gaudium velut exilentis animæ præ lætitiâ, ob tam eximiam charitatem; quale apud Job: *Deprecabitur DEUM, & placabilis ei erit, & videbit faciem ejus in júbilo.* Ad quod invitamur à DEO ipso: *Vacate & videte, quoniam ego sum DEUS.* Sed vacare oportet à terrenis. Tales illustrationes immittere solet Deus servis suis, sed tanquam fulgurationes transeuntes: ut subito cernant quasi oculis mysterium quoddam, aut fidei veritatem: ex quo mirifici in anima affectus relinquuntur. Quin ipsi peccatores non-



nonnunquam similiter illustrantur, ut perspiciant vel peccati malitiam, vel quid aliud, unde penitus immutentur. De quo in P. 5. de conversione Pauli.

Secundus modus per internum auditum: quando Deus ita se interiùs communicat, ut quædam spiritualia verba formet, quibus doceat animam, vel voluntatem suam circa rem aliquam disertè intimet. Ubi non res ipsa cernitur, ut in primo modo, sed percipitur, quid Deus velit, ad cuius vocem diffluit in affectus Sponsa:

II.  
Auditus.

*Anima mea liquefacta est, ut dilectus locutus est.* Cant. 56.

Huic internæ locutioni similes sunt inspirationes internæ: quæ communiter Justis, ac ipsis peccatoribus immittuntur: quæ sunt voces Dei, sed non illo modo expressæ. Ambos modos per

visum & auditum insinuat Job: *Anditu auris* Job. 42. *audiui: nunc autem oculus meus videt te.* Sed 5. præstat visus, ut habens plus claritatis: quia res *Psal. 48.* ipsa cernitur, non dicitur solùm. Ergo *audiam,* 9. *quid loquatur in me Dominus.*

Tertius modus per internum olfactum, quo III. præsentitur quædam rerû divinarum quasi fra- Odora- grantia, valde reficiens confortânque animam, tus. atque in earum prosecutionem inflammans, ut dicat: *Curremus in odorem unguentorum tuo-* Cant. 14. *rum:* Et Bonav. de Joanne Apostolo refert, orare solito: *Odor tuus, Domine, excitavit in nobis concupiscentias æternas.* Sicut canis, vestigia feræ odoratus, non desistit iis insistere, donec reperiatur: ita anima suavitæ æternorum intimè delinita, ad ea se extendit, nihil morata, quid-



quid est extra illa. Solent, qui ad Religionem vocantur, aliquid de hoc odore percipere, quando per difficultates quascunque, à proposito nequeunt retardari.

IV. *Gustus.* Quartus modus per internum gustatum, quo fiunt homini Deus & divina supra mel & favu: contraque planè desipiunt omnia mundana: & solet is sapor etiam in sensum redundare, ut *David* *Ps. 83. 3.* vidi contingebat: *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* Per hunc saporem sit nobis suave jugum Domini, & exercitatio virtutum alioqui difficilium: *O Domine quàm magna est multitudo dulcedinis tuae, quam abscondisti timentibus te!* quasi dicat: magna & multa est dulcedo: Quippe unaquæque virtus suam habet propriam, & eam magnam dulcedinem, unde existat fervor operandi. Verùm etsi non datur cuivis ille sublimis gustus: aliquid tamen de illo communicatur justis ordinariè, & ipsis peccatoribus, ut ablaetentur à sensuum voluptatibus: sed illis in primis datur, qui Christi amore, se penitus abdicarunt omnibus desiderabilibus.

V. *Tactus.* Quintus modus per spiritualem tactum, quo Deus velut tenetur arcto complexu: *Tenui eum, Cant. 3. 4.* nec dimittam. Quin & osculū expetitur: *Osculetur me osculo oris sui.* Et vicissim Deus, subjecta capiti leva, *dextra sua amplexatur sponsam.* Hæc est quædam adhæsiō, de qua scriptum est: *1 Cor. 6. 17.* *Qui adheret Domino, unus Spiritus est:* ut absit hinc omnis carnalis cogitatio. Hi sunt spirituales quasi sensus, quos Deus tribuit, ut placeat,



ect. Nos interea mortificemus sensus nostros exteriores ut patricipare possimus de interioribus: nam teste Gregorio: *Ubi externus sensus clauditur: mox internus aperitur.* Contra verò teste Augustino: *Internus sensus dormit, si suis externus voluptatibus se tradit.*

## CAPUT XII.

*De præscribendo tempore meditationi.*

**O**rationis duplex tempus esse potest: unum quotidianum & statum, alterum extraordinarium, cum ad unam vel plures hebdomadas, cæteris curis sepositis, homo se tradit divino rum commentationi, quod ob plures causas suscipi potest. i. Ad seriam conversionem, per accuratam & generalem confessionem. ii. Ad comparandum mysticæ hujus Theologiæ usum per plures hebdomadas, sub aliquo spirituali duce. iii. Ad consulendum Deum de vitæ statu, vel etiam de negotio aliquo gravi suscipiendo. iv. Quando aliquis vir in hoc genere exercitatus, sentit se languere, ad excitandum spiritum. v. Quando etiam nihil horum substat ad fruendum Deo per otium.

Ordinarium & quotidianum tempus non potest omnibus idem præscribi; utile foret manè aut vesperi horam unam ponere, exemplo Christi, cum objecit Apostolis: *Non potuistis una hora vigilare mecum?* Si minùs liceat horam dare, saltem mediam; aut quartam partem & in

Oratio-  
nis tem-  
pus du-  
plex.

Extraor-  
dinarium.

Ordina-  
rium  
tempus.

Mat. 26.

40.



Dan. 6.  
10.

festis amplius aliquid. Sed quod constitutum semel fuerit, vel ex obligatione instituti, vel ex devotione, debet inviolabiliter observari: alioqui semel aut iterum omittendo, fit ut penitus negligatur. In quo imitabimur Daniele: qui nec metu mortis intermisit ternum quotidie precationis tempus; unde meruit à leonibus illæsus servari. Ita nos ob consuetum orationis tempus non patiemur jacturam aut damnum in cæteris negotiis: ob quæ alioqui solemus à consuetis exercitiis avocari.

Jacula-  
toria  
preces.

Luc. 18.  
1.  
Ps. 75.  
11.

Juvant orationem frequentata per diem ad Deum suspiria, quas jaculatorias vocant orationes, quibus devotio in meditatione concepta fovetur: & qui illi non vacant, per ea suppleant illius vices & fructum. Et est eo facilius, quòd brevius, & potest affectuosius fundi: neque enim Deus in multiloquio exaudit: & ita etiam impletur Christi præceptum: *Oportet semper orare & non deficere*: & illud: *Reliquia cogitationis diem festum agent tibi*. Nam istæ orationes sunt veluti reliquæ ex meditatione præcedenti, quas S. Chrysostomus vult minimùm ad horas singulas frequentari: ut sint quasi quoddam spirituale horologium: & frequentabantur olim, teste Cassiano, à sanctis Ægypti incolis inter labores manuum assiduè, cum ingenti fructu: qui potest ex contrario æstimari. Nam si quis tam esset impius, ut per momenta in Deum contumelias jaceret, quantum is sibi malorum cumularet: tantumdem vir pius meritum,



ritorum, per religiosos affectus identidem expressos, sibi procul dubio conquirit.

## CAPUT XIII.

*De usu sequentium meditationum.*

**V**arius usus potest esse sequentium meditationum. I. Ut serviant lectioni spirituali, <sup>usus med. seq. I.</sup> in qua Deus velut loquitur legenti ea, quæ scripta sunt intus, mentem de iis illuminans, affectumque movens; quare debent attentè legi, neque cursim, sed cum Meditatione quadam, & petita gratia cum fructu legendi: *Loquere Domine, quia audit servus tuus.* <sup>Reg 3.9.</sup>

II. Ut præbeant materiam meditationis, <sup>II.</sup> juvat enim ad colligendam mentem, quando super punctis meditationis aliquid prælectum est, & possunt inde colligi certa puncta meditanda, quot sufficiant: affectus autem, petitiones, & colloquia non sunt conceptis verbis ex libro sumenda, sed suggerente spiritu formanda.

III. Ut Patres spirituales inde suos instituât, <sup>III.</sup> & informant in ratione meditandi, suppeditionis punctis meditandi, pro capacitate & necessitate cujusque; quin & ad exhortandum & excitandum ad perfectionem pro ratione status, conferre possint. Ob quos fines in meditationibus afferuntur multa ex sacris litteris & Patribus, & habent, in quo exercere se possunt, incipientes, proficientes, atque ipsi perfecti.





# PRIMA PARS MEDITATIONUM.

*De pertinentibus ad purgandam ani-  
mam à peccatis.*

Introductio ad hanc I. partem.



Meditatio, ut ait sanctus Bernardus, facit ad puritatem cordis: & quod S. Petrus inquit, *Fide purificans cor-  
da eorum*, tunc præcipuè contingit,

Act. 15.  
9.

si mysteria fidei accurata consideratione expendantur: cùmque omnia juvent, potissimùm illa, quæ viæ purgatiuæ conveniunt. Hunc spectant triplicis generis actus.

I. Humi-  
litas du-  
plex.

I. Cognitio sui, & contemptus, unde existit virtus humilitatis. Porro hæc est duplex: una eorum qui nunquam animam lethali culpa fœdarunt; qui nihilominus humiliari debent ex consideratione sui nihili, quod ex se sunt, tam quoad naturam, quàm quoad gratiam, quò faciunt Meditationes 6. partis. Altera est eorum, qui aliquando se inquinaverunt: isti autem humiliari debent suarum intuitu miseriarum, & his conveniunt Meditationes 1. partis.

II. Dis-  
posit. ju-  
stificat.

II. Genus actuum est illorum, qui ad justificationem disponunt, ut sunt timor divinæ justitiæ, spes misericordiæ, dolor de peccatis, confessio, satisfactio.

III.



III. Genus actuum, quibus remanentes ex III. Pas-  
 peccato mali habitus, & inordinatæ passiones fio mor-  
 mortificantur: nam æquum est, quod poscit A. tificatio-  
 postolus: ut sicut exhibuistis membra vestra<sup>nis.</sup>  
 servire injustitiæ ad iniquitatem: ita nunc exhi-  
 bere servire justitiæ in sanctificationem. Et si<sup>Rom. 6.</sup>  
 cut portavimus imaginem Adæ terreni, ita por-<sup>19.</sup>  
 temus & celestis. Imò qui ferventiores sunt, <sup>1. Cor.</sup>  
 non debent esse contenti illa paritate, quam <sup>15, 49.</sup>  
 per indulgentiam permittit Apostolus, sed  
 potius obaudire debent Prophetæ consulenti:  
 Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à<sup>Baras.</sup>  
 Deo: decies tantum iterum convertentes require-<sup>4. 28.</sup>  
 tis enim. Cæterum convenit etiam justos, qui  
 longius progressi sunt in via spiritali, aliquando  
 se referre ad meditationes purgativæ, siquidem  
 monemur. De propitiato peccato noli esse sine<sup>Eccli 5.</sup>  
 metu. Et. Ne verearis usque ad mortem justifi-<sup>5. c. 18.</sup>  
 cari: Et, Qui justus est, iustificetur adhuc. <sup>22. Apoc.</sup>  
<sup>22. 11.</sup>

## MEDITATIO PRIMA

ET

### FUNDAMENTUM RELI- QUARUM.

De ultimo Fine hominis.

PRÆLUDIUM I. Pro loci composi-  
 ne, cogitabo Deum quasi mare immensum,  
 ex quo manant veluti rivi creaturæ omnes, at-  
 que ad eundem revertuntur.

PRÆLUDIUM II. Petam lumen cognoscen-  
 di pe-



di penitus finem meum, atque ad eum actiones vitæ meæ deviantes dirigendi: illud usur-

*Ps. 42. 3. pans: Emitte lucem tuam & veritatem tuam: ipsa me deduxerunt, & adduxerunt in montem sanctum tuum, & in tabernacula tua.*

## PUNCTUM PRIMUM.

*Quis sit finis hominis.*

**I.** **V**idelicet, ut DEUM laudet ac revereatur; ei que serviens, tandem salvus fiat: quod ait Apostolus, *Habetis fructum vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam.* Quasi dicat finis proximus pro hac vita, & sanctitas actionum; ultimus autem, felicitas æterna. Circa quod expendam, quòd non sum creatus ad indulgendum cupiditatibus; vel ad ambiendum honores, vel opes cumulandas, quod plerique tamen faciunt: sed ad cultum deferendum Deo debitum, ejusque mandatis ac voluntati serviendum, quod perpauci seriò præstant.

**II.** Quod spectat ad futuram vitam, cum humana conditio nihil tale postulare, bonitate suâ Deus destinavit hominem, ut Deum clarè in se ipso videret, eoque frueretur, summo bono; quod est similitudinem fieri Deo: qui eò beatissimus est, quòd se ipsum videt, & amat. *Scimus (inquit S. Joannes) quoniam, cum apparuerit, similes ei erimus, quoniam videbimus eum, sicuti est.* O finem altissimum! & tenebatur alioqui homo, absque tali mercede Deo suo omne obsequium præstare. Præstabo igitur tantò studiosius. Sed prohi dolor! quàm aliter meam hæte-

1. Ioan.  
3. 2.



hactenus vitam impendi. Dimitte, Domine, dimitte, *ut plangam paululum*, hanc supinam in tanto negotio negligentiam, *antequam vadam ad terram tenebrosam & opertam mortis caligine.* Dimitte, Domine, dimitte propter te-  
metipsum. Job. 10. 10.

III. Quem non promovet tam excellentis finis amor, deterreant mala, quæ deficientem à fine suo consequuntur. Et quid est in hac vita boni, quod vicissim tantam sarciat jacturam? nam, *quid prodest homini, si universum mundum lucretur: anima verò sua detrimentum patiatur?* Ergo age, anima mea; illuc contende, propter quod condita es, illum satage comprehendere, qui est omne bonum, & extra quem nullum est verum bonum, is est centrum tuum, in quo solo potes adipisci requiem. *Fecisti enim nos ad te, Deus; & inquietum est cor nostrum, donec requiescat in te.* Damna-  
tio.  
Mat. 16.  
26.  
S. Aug.  
1. conf.  
c. 1.

## PUNCTUM II.

*Quis sit finis aliarum rerum.*

UT juvent hominem, ad finem suum consequendum, tam in hac vita, quam in altera sicut ait David: *Dedit illis regiones gentium, & labores populorum possederunt, ut custodiant iustificationes ejus, & legem ejus requirant.* Circa quæ tria considerata veniunt. Ps. 104. 44.

I. Munificentia Dei erga hominem, in cuius Liber-  
usum tot, tamque varia condidit: non ad necessitatem modò vitæ, verùm etiam ad oblecta-  
tionem: quare, quod ipsis creaturis Deus dedit, DEI.  
mihi



Dan. 3.  
57.

Creatu-  
rarum  
obse-  
quium.

mihi præcipuè dedit, propter quem illæ sunt. *Benedicite ergo omnia opera Domini Domino: perque singula discurrendo, per celos elementa, plantas, aliâque pro singulis gratias agam.*

II. Quod, cum ipsæ creaturæ obsequium suum tam fidele mihi præstent: contra ego eis abutar: siquidem non utor, ut mediis, ad finem meum consequendum; sed tanquam in fine proprio, in illis acquiesco, quæ est inordinatio maxima: idque facit omnis peccans, vel ipsa naturali creaturarum inclinatione reclamante, quæ proinde liberari à servitute ipsa cupiunt, quam serviunt peccatoribus. Et verò, si possent, subducerent se à sensibus eorum, ne illos oblectarens, quando in Dei offensam cedit, verèque ipsi peccatores digni essent tali subtractione, nisi ratio divinæ providentiæ eam vetaret, quæ *Solem oriri facit super justos & injustos, & pluit super bonos & malos. Deflebo meam & similibus ingratitude, in tanto abusu donorum Dei, & mediocritatis consequendi finis.*

Matth.  
5. 45.

Notitia  
DEI ex  
creatur.

Rom. 1.  
20.

III. Serviunt etiam creaturæ ad finem hominis: quia ex ipsis Creator illarum cognosci potest, & amari: & invitant quodammodo ipsæmet hominem ad divinas perfectiones contemplandas, quæ in eis sunt adumbratæ. Nam *invisibilia DEI per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: sempiterna ejus quoque virtus & divinitas.*

### PUNCTUM. III.

Uusus re-  
ctus.

I. **E**X duobus punctis præcedentibus, tantumquam ex præmissis certis & necessarijs, colli-



colligitur illa conclusio, & vitæ regula, oportere hominem indifferentem esse circa usum omnium creaturarum: ut vel utatur, vel abstinere, vel hoc aut illo modo utatur, prout ad finem suum ultimum conducit. Quæ indifferentia est apex perfectionis, & origo omnium bonarum actionum, contraque est peccatorum omnium radicitus extirpatio.

II. Hinc aggrediar perscrutari cor meum circa affectiones rerum creaturarum, divitiarum, bonorum, voluptatum, cognatorum & amicorum, aliorumque omnium, quæ suspecta esse possunt: & sicubi hæret affectus, enitar evellere, meque in indifferentia vera constituere, in manus Dei projiciendo, qui maximè illis providet, qui se totos ipsi committunt, sicut etiam promittit: *Quærite primum Regnum DEI, & hæc Matth. omnia adjicientur vobis.* 6.33. Mortificatio.

III. Et quia huc assurgere non est virium hominis: auxilium divinum suppliciter implorabo. *De his punctis plura in sexta parte.*

#### PUNCTUM IV.

**A**ltera conclusio ex iisdem principiis sequitur: quod peccatum super omnia mala detestandum sit: quippe quod solum privat hominem suo fine, ei que directè adversatur, præfertim mortale: quare in Scriptura dicitur Deus *factis malis abnegari, venter esse Deus, & pecunia idolum*: quia Deus honore finis ultimi privatur, peccando: isque in creaturam transfertur, quæ Deo præfertur. Necessario peccatio. Tit. 1. 16. Phil. 3. 19. Eph. 5. 5.

ME-



## MEDITATIO II.

*De triplici peccato, Angeli, Ada, & particulari quocunque.*

**A** Stimatur gravitas peccati in hac meditatione ab exemplis, quæ meritò formidare debemus, atque ex eis cognoscere imbecillitatem nostram, ne fidamus nobis ipsis.

Pro introductione hujus & sequentium meditationum cogitabo, Deum pro tribunali sedentem, aspectu formidoloso: à facie cujus fluvius igneus rapidusque egreditur, ad hauriendos peccatores: me verò multorum criminum reum, catenis vinctum, coram illo assistere, sententiam promeritam excepturum.

## PUNCTUM PRIMUM.

*Lapsus Lucifer, & sequacium Angelorum.*

- I.** **A**ngelus qualis fuerit creatus. *Tu signaculum similitudinis, plenus sapientiâ & perfectus decore, in delitiis Paradisi fuisti: omnis lapidis preciosus operimentum tuum.* Hi lapides fuerunt. 1. quod purus spiritus sine ulla corporis admixtione. 2. quod immortalis, ut nec posset mori. 3. quod intelligens, & mirâ ingeni subtilitate ornatus. 4. quod liber, ac dominus suarum actionum. 5. quod sapiens, omni scientia præditus rerum creatarum. 6. quod potens super omnes creaturas. 7. quod sanctus à donis gratiæ. 8. quod incola cæli Empyreï. 9. quod capax
- Ezech. 28. 13.*
- 1. Angelorum dignitates.*
- 2. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9.*



pax videndi Deum in semetipso : & cum spe certa id assequendi , modò perstitisset.

II. Quod ingratus ex iis ipsis donis accepit II.  
ruinæ occasionem , inquit Scriptura : *Elevatum* Ingrati-  
*est cor tuum in decore tuo.* tudo.

III. Quod in momento deturbatus est. *Vi-* Ezech.  
*debam Satanam, tanquam fulgur de celo caden-* 28. 1.  
*tem: nec ullus ei relictus pœnitentiæ locus, idque* III.  
*ad nostram instructionem: ut monet S. Petrus DEI.* Ultio  
*Si enim Deus Angelis peccantibus, non pepercit,* 2. Pe. 24.  
*sed rudentibus inferni detractos in Tartarum tra-*  
*didit cruciandos, quantò magis nos?*

IV. Applicabo hæc tria ad me, æstimans bo- IV.  
na accepta: ingratitude à me redditam, abu- Refle-  
sumque donorum, ac promeritum iudicium: xio.  
tantò magis, quod non unum, ut Angelus, sed  
plurima peccavi: nō cogitatione tantum, ut ille,  
sed verbo & opere: nec in uno genere, ut ille,  
superbiæ: sed in multis, & quod maximum est,  
contra sanguinem Christi, in quo redemptus &  
sanctificatus sum, cum non item Angelus. Con-  
cutiar debito timore à periculo, in quo versatus  
fui: mirabor patientiam & longanimitatem Dei  
& meum iudicem deprecabor.

## PUNCTUM II.

I. *Peccatum Adæ, in quo similiter tria*  
*considerabo.*

**Q**ualis creatus sit, videlicet 1. ad imaginem I.  
& similitudinem ipsiusmet Dei. 2. Gratiâ Dona  
donatus: quâ erat Filius DEI adoptione. 3. Adæ.  
Cum iustitia originali: quâ appetitus plenæ 1. 2. 3.  
C ratio-



4. rationi subiectus erat. 4. Immortalis, ut posset non mori, si vellet: & immunis ab ærumnis & miseriis, quas nunc patimur. 5. Dominus creaturarum factus, & indita illarum cognitione imbutus, ut omnibus nomina imponeret. 6. In loco deliciarum constitutus, transferendus aliquando in cælum cum glorificato corpore ad visionem DEI.

II. Quàm ingratus extiterit, nam Eva acquievit serpenti pollicenti: *Nequaquam moriemini, sed eritis sicuti dii, scientes bonum & malum.* Ingratitudo. Genes. 3. 4. Adam etiam, quem saltem oportebat sapere, indulgit mulieri, ut gustaret de fructu, contra præceptum DEI.

III. Quæ sit pœna consecuta. 1. Spoliati sunt gratia adoptionis. 2. Exuti iustitia originali, rebellante appetitu. 3. Necessitati moriendi facti sunt obnoxij, & tot tantisque miseriis, quas posterius etiam magno sanè suo damno experiuntur: qui etiam nascimur filij iræ, quia in Adamo peccavimus. Atque ex eo peccato tanquam origine pullularunt plurima alia, quotquot ab hominibus perpetrantur. IV. Denique genus humanum factum est reum æternæ damnationis, actumque in exilium, ut in sudore vultus sui pane suo vescatur, vitamque sustentet: terra etiam ipsa propter hominem à Deo maledictioni devota.

IV. Expendam, quod ego similiter diaboli tentationibus circumveniri me quàm sæpissime passus sim, carne ut altera Eva, spiritum pelliciente: quodque per superbiam, Dei similitudinem

IV.  
Reflexio.



dinem affectaverim, arrogans mihi non mea, sed Dei: & tandem, quod pro una Adæ inobedientia, ego innumerabiles admiserim.

V. Quod Adam diuturnam valde pœnitentiam egit, toto vitæ tempore, quam extraxit ad nongentos annos. *Et eduxit illum*, ut ait Sapiens, *à dilecto suo*, cuius exemplo feriam agam pœnitentiam, Deo supplicans, ut nunc feriat, urat & secet, modò in æternum parcat.

V.

Pœnæ

gravitas.

Sapiens.

10. 2.

## PUNCTUM III.

*Circa peccatum quodcunque lethale.*

I. Cogitatione in infernum descendens, ibi contemplanor complures, qui ob unum aliquod peccatum mortale sempiternas pœnas luunt, alij ob aliud: & ex iis aliqui, qui vixerunt aliquando piè & sanctè: sed per remissionem, in peccatum lapsi in eo mori permitti sunt, justo Dei judicio: atque ita delinquentes in uno, *fati sunt omnium rei*, sicut ait S. Jacobus, hoc est perinde æternæ damnationi addicti, etsi non pari pœnæ.

I.

Pœna u-

nius pec-

cati.

Iac. 2.

10.

II. Considerabo, quòd idem mihi contingere potuerit, qui sæpe sæpius peccavi, & infernum in singulis promerui: quòd autem secus evenit, non ullis meritis meis, sed bonitati singulari Dei erga me adscribam, simul gratias agens, & constituens firmiter non abuti amplius Dei patientia, & commissa per debitam pœnitentiam expiare.

II.

Reflec-

tio.

III. Expendam, quòd præservatum esse à damnatione, cùm illam meritò poteram incur-

III.

Præser-

C 2

rere,



vatio  
quid.

*Psal. 85.*

rere, perinde est, atque ex ipso inferno fuisse ereptum: ut dicere possim: *Confitebor tibi Domine: quia misericordia tua magna est super me, & eruisti animam meam ex inferno inferiori.* Jam, si quis inde ereptus fuisset, locusque poenitentiae ipsi datus, qualem & quantam libentissimè perageret? quàm se gratum exhiberet? Faciam ergo id ipsum.

#### PUNCTUM IV.

I.  
Passio  
Christi  
pro pec-  
catis.  
*Luc. 23.*  
31.

I. **Æ** Stimanda est gravitas peccati, præcipuè ab exemplo Christi, quod efficacius multò est tribus reliquis. Nam, *si in viridi ligno talia fiunt*, & Filius Dei tanta debuit pati pro expiandis peccatis alienis; *in arido quid fiet?* quantum suppliciorum reservabitur ipsi peccatori? 2. Itaque representabo mihi Christum per omnes passionis suæ partes, pro me exsolventem; variòsque affectus excitabo in me, modò timoris à tanta severitate iudicii; modò compunctionis, quod causa extiterim; modò vindictæ de meipso: sed & certos Christi cruciatus certis peccatorum generibus applicabo, tanquam pro illis inflictos, ut fel & acetum pro gulla coronam spineam pro superbia, flagella pro carnis indulgentia, atque ita de aliis: & tandem à Christo supplex petam mihi efficaciter applicari fructum ipsius passionis: & pro ea gratias agam.

ME-



## MEDITATIO III.

De gravitate peccatorum ex multitudine, & pugnancia cum ratione.

## PUNCTUM PRIMUM.

I. **M**ultitudo colligenda est ex decursis omnibus vitæ partibus & officiis, atque fieri debet cum sensu animi, qualis Ezechie Regis. *Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ.* Ac præter mihi cognita, ne dubitem restare complura ignota, pro quibus David: *Ab occultis meis munda me Domine.* *ps. 13.* Multitudo peccatorum. *Isai. 38. 15.*

2. Fugiant autem nos vel per oblivionem, vel ob subtilitatem; ut interni motus superbiæ, sinistra intentiones, omissiones: vel ex ignorantia, & circumventionem inimici per speciem boni operis. 3. Ex utrisque notis & ignotis colligam immensum numerum, ut dicere possim cum Davide: *Super capillos capitis mei multiplicata sunt iniquitates meæ: & cum Manasse: Super arenam maris.* *ps. 39. 13.* Unde laudabo patientiam Dei, qui non unam aut alteram à me injuriam, quod ipsum apud homines vix toleratur, sed innumera- biles sustinuerit. *2. Paral. in fine.*

## PUNCTUM II.

**Æ** Stimabo jam ex multitudine gravitatem meorum peccatorum: nam si quodvis lethale est instar lapidis molaris, quo deprimimur in profundum abyssi; quàm deprimet tot, talesque

I. Gravitas peccatorum. *Luc. 17. 2.*

C 3



lèsque lapides? Ne cecidit ex tot peccatis velut catena ferrea, ad infernum usque pertingens, quâ peccator constrictus illuc pertrahitur, quemadmodum Lucifer cum suis à cælo ipso detractus est *rudentibus inferni*, ut ait S. Petrus. 2. Sunt etiam instar crudelium ferarum, quæ animam circumstant ad laniandum ac devorandum. *Aperuerunt super me os suum, sicut leo rapiens & rugiens.* 3. Sicut denique debitum illud decem millium talentorum, cui solvendo nemo est, quamvis omnia ejus bona divendantur. 4. Et augetur malum, quod in eadem peccata sæpissime relapsus sum: *Sicut canis ad vomitum reversus, & sicut sus lota in voluabro luti*, Sed adhuc semel: *Domine! patientiam habere in me, & omnia reddam tibi*, per gratiam tuam.

## PUNCTUM III.

1. **E**T cùm homo ad imaginem & similitudinem Dei factus sit, per peccatum jumentis insipientibus comparatur, & eis similis efficitur, si minùs quoad substantiam animæ, certè quoad vitam & operationes: nam operari est vivere. 2. Deinde assiduitate peccandi habitus contrahit bestiales, quibus quasi in naturam versis, continenter agitur ad malum. 3. Et postremò quid deformius, quàm rationem ancillari sensui? spiritum carni? Quin homo fit servus diaboli & peccati, à quo enim quis superatus est, hujus & servus est. Et omnis, qui facit.



est peccatum, servus est peccati. Certè & diabolus & peccatum plus valent in animâ peccantis. *Joan. 8. 34.*

## MEDITATIO IV.

De gravitate peccati ex vilitate hominis.

## PUNCTUM PRIMUM.

Quid sit homo secundum corpus?

**E**X limo terræ, fœnum & flos agri, vapor ad modicum parens, umbra fugiens, *Qui* brevis vivens tempore, repletur multis miseriis, & innumeris necessitatibus est obnoxius: & hic eum, à quo juvari potest, tam audacter offendit, & eum, *Qui perdere potest in gehennam?* *Mat. 10. 28.*

## PUNCTUM II.

Quid sit homo quoad animam?

**1. E**X nihilo creatus: *Substantia mea tanquam* *ps. 38. 6.* *nihilum ante te:* & in nihilum recideret, Vilitas nisi à Deo conservaretur: & sine quo nihil potest agere. *1.*  
*2.* Deinde in peccatis secundum animam conceptus est, & immoderatis passionibus agitur intus; foris autem ab invisibilibus inimicis incessanter appetitur: unde passim peccatis involvitur, ut melius foret, si natus non esset. *2.*  
*3.* Et tandem, ut ait S. Augustinus, *nulum est peccatum, quod unquam fecerit homo, Soliloq. quod non possit facere alter homo?* ita ex se miser *cap. 5.* est, & totus, quasi ulcus, unde sanies fluit, nisi



sanetur à gratia. Et hic irritabit illum, à quo solo  
è tantis malis vindicari potest?

### PUNCTUM III.

*Quàm sit exile bonum, quod homo  
quisque habet.*

1. **P**rimum comparatione aliorum omnium  
hominum: plura enim in aliis sunt, quibus  
carent singuli. 2. Deinde quid sit præ omni-  
bus hominibus & Angelis. 3. Et tandem quid  
respectu Dei; nam omnes omnino gentes quasi  
non sint, sic sunt coram eo: & quasi nihilum &  
inane reputata sunt ei, & tanquam momentum  
statera sic est ante te orbis terrarum, & tanquam  
gutta roris antelucani, quæ descendit in terram.  
Quid sunt stellæ in præsentia Solis? Nec appa-  
rent quidem. Quid bona omnia creata in unum  
hominem congesta sive corporis, sive animi?  
nihil. Nemo bonus, nisi solus Deus. Et tantil-  
lus non veretur liberrimè hunc offendere? hunc  
irritare? propterea agam penitentiam in favil-  
la & cinere.
- Isa. 40.  
17.  
Sap. 11.  
23.  
Luc. 18.  
19.  
Job. 42.  
6.*

### MEDITATIO V.

*De gravitate peccati ex Dei offensi  
Excellentia.*

### PUNCTUM PRIMUM.

*Perpendam divinas perfectiones, ex  
quibus potissimum aggravatur peccatum.*

- I. **E**st bonitas, ob quam Deus est dignus in-  
finito amore, quali se ipse amat & beati-  
clare
- I.  
Bonitas.*



clarè eum videntes, toto corde in eum feruntur, nec possunt non ita ferri; tanta est illius amabilitas: & hunc ego flocci habui?

II. Immensitas, quâ replet omnia, notitiâque infinita. Itaque in sinu, quasi Dei, existens, non tantùm in conspectu, non dubitavi ea patrare, quæ serenissimi ejus oculi execrantur. Oculi enim ejus mundi sunt, nec vident malum, nec respicere ad iniquitatem sine horrore possunt. II.  
Immen-  
sitas.  
  
Haba. I.  
13.

III. Omnipotentia, quâ rebus omnibus dat esse & operari, ut ipsæmet actiones malæ, quæ sunt aliquæ res, exerceri sine illo nequeant; concurrat autem pro bonitate sua, ut naturæ cursum teneat, & libertatem humanam servet. Igitur cooperatione divina ego abutor, & eam servire facio meæ cupiditati. III.  
Omni-  
potentia.

## PUNCTUM II.

*Ex beneficiis acceptis à liberali DEI manu aggravatur peccatum.*

I. **I**lle creavit, conservat, & gubernat. *Hæc-  
cine reddis Domino, popule stulte & insipiens?* I.  
Benefi-  
cia.  
*nunquid non ipse est Pater tuus, qui possedit te, & creavit te? Deum, qui te genuit, dereliquisti, & oblitus es Domini Creatoris tui?* Deut.  
32.6.  
En, quot verbis similibus inculcat, ut indignitatem offensæ apprehendam.

II. Redemit, & quonam modò, & quanti? II.  
ipse Pater, Pastor, Medicus, Magister, & Salvator meus, & hunc, peccans iterum crucifixi, & ostentui habui. Heb. 6.6.



III.

III. Sanctificavit. Huc spectant Sacramenta idcirco instituta, præsertim Baptismus, Eucharistia, Pœnitentia; nec non sancti Spiritûs internæ inspirationes & auxilia, millêque media divinitûs oblata, & ipse tandem sanctificationis finis, promissa Resurrectio, & gloria. Quæ cum ita sint, quid ni dicam majori jure, quàm Joseph, quando pelliciebatur ad peccatum; *Gen. 39. Quomodo possum hoc malum facere, & peccare in Dominum meum?* Et illud Saulis ad David: *1. Reg. 24. 18. Justior tu es, quàm sim, ego autem reddidi tibi mala.*

## PUNCTUM III.

Propter quid offenderim DEUM.

Causæ  
peccan-  
di.*Jerem. 2.  
12.**Gen. 25.  
33.*

**P**ropter levissimam rem, sive voluptatem, sive lucrum, sive auram popularem: tales mihi Deos fabricans, & barrabam Christo præponens; *Obstupescite cali, & porta ejus desolamini vehementer. Duo enim mala fecit populus meus: Me dereliquerunt fontem aque vive, & foderunt sibi cisternas, cisternas dissipatas, quæ continere non valent aquas. Pejus hoc, quàm quod Esaii primo genita sua vendiderit pro lentis edulio: quæ ille recuperare amplius non potuit; At, quæ est bonitas & misericordia DEI, mihi licet, gratiâ ipsius.*

## PUNCTUM IV.

*Sap. 5.  
18.*

**S**tupor & exclamatio, qui me tam ingratum terra sustinuerit? neque armaverit **DEUS** crea-



creaturas ad ultionem inimici, quin servire eas mihi fecerit, solem, astra, elementa, plantas, animalia, & ipsos Angelos.

## MEDITATIO VI.

De gravitate peccati ex pœnis.

### PUNCTUM I.

**E**X pœnis temporalibus, quæ infligi à DEO solent in bonis, tum externis, tum corporis, & in vita ipsa. Certè tria illa, fames, bellum, bestilentia, quorum data est optio Davidi, à peccatis venire solent.

### PUNCTUM II.

**P**eccatum est malum tantò majus illis omnibus pœnis, ut simul omnes non sufficiant solvendo debito pro uno peccato mortali.

Peccatū  
pœna  
majus.

I. Ratio; Quia istæ pœnæ privant hominem bono aliquo creato & finito: culpa autem bono infinito. Et sicut DEUS absolutè solus est bonus; ita illud absolutè est malum, quod privat DEO, reliqua secundum quid mala. Quare bene Eleazarus olim respondit: *Premitti se male in infernum, quàm pravaricari legem DEI.*

I.

2. Mal.

c. 6. 23.

II. Ratio: Hinc fit etiam, quòd DEUS cum reliqua mala inferre valeat, nam non est malum in civitate, quod Dominus non fecerit, (culpæ tamen auctor esse non potest. Item, cum Filius DEI ad omnia alia se demiserit mala, peccatum vel minimum non potuit admittere.

II.

Amos. 3.

6.

III.



III.

III. Ratio. Quod mala cætera adhibentur à Deo in medicinam peccati, nemo autem sapiens medicus intulerit majus malum ad curandum minùs. Certè Christus ideo tot illa & tanta perpessus est, ut medicinam faceret peccato.

## PUNCTUM. III.

Majus  
æterna.

**E**X comparatione æternæ pœnæ. Nam mala omnia præsentis vitæ nec computantur in partem supplicii culpæ debiti, sed de integro punitur peccator in inferno, quamvis summa in hac vita fuerit passus. Id autem justè fit: nam, cum peccatum sit habendum infinitum à majestate infinita Dei offensi, debet quoque pœna esse infinita. Talis est inferni pœna, eò quod privat Deo. *Sed quia hac amantibus duntaxat pœna est, non contemnentibus*, ut ait Augustinus: *in Ps. 49.* ideo istis decreta est pœna sensus inferni, præ qua præsentis videri umbra debent.

## PUNCTUM IV.

Peccati  
pejus in-  
ferno.

**T**Andem, vel ipsæ inferni pœnæ simul omnes non æquant peccati malitiam, ut si optio detur vel illas subeundi, vel peccatum admittendi, prius omnino præoptari debeat. Sed hæc collatio non est necessaria, quando dari nequit casus, ubi alterutrum sit necessario eligendum.



DE



# DE NOVISSIMIS.

## MEDITATIO VII.

De proprietatibus Mortis.

### PUNCTUM PRIMUM.

1. **Q**uod sit certa & inevitabilis: & ita quidem, ut Deus præfiniverit diem & horam, quæ præteriri non poterit. Proinde convenit, ut omnem vitam ponam in servitio Dei, à quo per momenta pendet. 2. Porro DEUS aliquando vitam prorogat ultra naturales causas, vel ad preces, ut Ezechiae, & iis qui susci-  
 tantur à mortuis; vel ob alia consilia suæ providentiæ. Aliquando etiam minuit, vel *Nemalitia mutet intellectum*; vel contra in pœnam. *Vir sanguinum non dimidiabunt dies suos.* Et pro expiando peccato in hac vita: ut ille Prophetæ, qui quod cibum sumisset contra prohibitionem, ab alio circumventus, occubuit à leone.

1.  
Mors  
certa.

2.  
4. Reg.  
29.

Sap. 4. II.  
Psal. 54.

3. Reg.  
13. 34.

### PUNCTUM II.

**Q**uod dies, locus & modus latent: hoc tantum homo scit, quod veniet uti fur. Atque id ita ordinavit Deus, ut advigilaremus semper, ut ipse monet Christus. *Vigilate: quia nescitis diem, neque horam*: Et, *Estote parati, quia, quâ horâ non putatis, Filius hominis veniet.* Quam rem pluribus parabolis inculcavit, ut

Mors in-  
certa.

1.  
Vigilan-  
dum.

Mat. 24.  
42.

Mat. 5. 2.

de



2. de decem Virginibus. 2. Recolam igitur casus auditos, aut visos & quotidie eveniunt improvisi, & per eos admoneri me intelligam, cui perinde possint contingere. 3. Cogitabo etiam quovis mortali peccato me reddi dignum tali animadversione. Nam Christus de quibusdam ruina oppressis pronunciavit: *Putatis, quod præ omnibus Galileis peccatores fuerint, quia talia passi sunt: non dico vobis, sed nisi poenitentiam habueritis, omnes similiter peribitis*: quasi dicat, non gravissima tantum peccata merentur talem animadversionem, sed quæcunque, nisi poenitentiam expientur. Et ausim, vel horam in peccato permanere? quis me securum reddit, cum Christum sciam comminari omnibus? ergo homo, *Miserere anima tua placens DEO.*

24.

## PUNCTUM III.

1. **Q**Uod semel tantum modo mori datur: *Statutum est omnibus hominibus semel mori*: proinde, si semel malè, caret remedio in omnem æternitatem: uti contra, absque periculo jacturæ est mors semel obita in gratia Dei. *Ubi ceciderit lignum, sive ad Austrum, sive ad Aquilonem, ibi erit.* 2. Hinc obstupescam, qui fiat, ut homo ista pro certissimis habens ex fide divina tam incuriùs vivat suæ salutis. 3. Deinde excitabo meipsum ad curam majorem, & fervorem suppliciter orans, ne ad Aquilonem mihi cadere contingat. Discutiam quoque, quid hoc momento foret mecum, si mors obreperet.

ME-



## MEDITATIO VIII.

*Ea, quæ agunt moribundum, vel sunt  
præterita, vel præsentia, vel futura.*

### PUNCTUM PRIMUM.

1. **P**Ræterita in primis sunt peccata, quæ tunc 1.  
uno agmine obsidebunt animam, ac im- Memo-  
portunt, se ingerent, ut impleatur illud; Cir- ria præ-  
cum dederunt me dolores mortis, & torrentes ini- teritorū.  
quitatis conturbaverunt me, dolores inferni cir- Ps. 17. 5.  
cum dederunt me, præoccupaverunt me laquei  
mortis. Quare de propitiato peccato noli esse sine Eccl. 5. 5.  
meta. 2. Deinde occurret animo jactura facta 2.  
temporis in rebus inutilibus, & vanis, pro qui-  
bus poteram multa mihi merita cumulare. 3. 3.  
Neglectus etiam mediorum, quibus juvari po-  
tui, præsertim Sacramentorum. 4. Tunc pro- 4.  
posita concipiam bene agendi, quando copia  
agendi non dabitur; & illa fortè inutilia, quod  
extorta necessitate, ac minimè sincera. Ut  
quondam Antiochi Regis; de quo Scriptura:  
Orabat scelestus hic Dominum, à quo non esset Mach. 6.  
misericordiam consecuturus. Itaque hora illa re- 8.  
vellabit fraudes, quibus nunc circumvenimur à  
mundo & diabolo; & ostendet sero vanitatem  
esse, quæ modò suscipimus. 6. Proinde discite 6.  
nunc sapere, ut non defrauderis à die bono, & Eccl. 14.  
particula bonæ diei non te prætereat, quo minùs 14.  
in bono semper proficias.

PUN.



## PUNCTUM II.

Relictio  
præsen-  
tium.

1.  
Eccl. 41.

1.

Iob. 20.

13.

1. Reg.

15. 31.

2.

3.

I. PRæsentia quoque affligent, quando non deseritur sine dolore, quod cum amore possidetur. Sunt autem triplicia. 1. Bona externa. *O mors quàm amara est memoria tua homini, pacem habenti in substantiis suis!* & eò magis, si cum peccato fuerint acquisita, in quos dicitur: *Panis ejus in utero ejus vertetur in fel, divitias, quas devoravit, evomet.* 2. Personæ conjunctæ & charæ, à quibus divellemur; *Sic-cine separat amara mors?* Vósne etiam relinquenti? 3. Corpus ipsum, diutina atque arcta societate cum anima conjunctum; & cum corpore, simul omnium, quibuscum corpore fruimur, æterna jactura facienda est.

II.

Inquiram in me, an horum aliquid inordinatè diligam, & nunc potius istis moriar; quàm cum deserenda sunt.

III.

III. Expendendum etiam quàm sit absurdum, ob ea quæ mox amittenda sunt, æternam vitam in discrimen vocare.

## PUNCTUM III.

Futuro-  
rum ti-  
mor.

1.

Eccl. 9.

1.

1. Cor. 4.

4. 2.

2.

D Enique affliget timor futurorum, ut cum quis jamjam expectat definitivam sententiam, in qua agitur de opibus, honore, & vita: nec satis ei constat de eventu. Hic etiam agitur de bonis & vita æterna, & sententia erit irrevocabilis: & tam incerta, ut nec justus sciat: *Utrum amore vel odio dignus sit: & quamvis nihil sibi conscius: non tamen in hoc justificatus sit.* 2.

Accedet



Accedet tentator, calcaneo maximè insidians, illudque ingerens, *Si iustus vix salvabitur, impius* 1. Pet. 4.  
*& peccator ubi parebunt?* qui & aliis mille mo- 18.  
 dis turbare phantasiâ, & illudere homini potest, & solet. Nunc despiciam, quid tunc maximè terrere me possit & occurrâ, & pro felici morte Crucifixum deprecabor.

## MEDITATIO IX.

*De particulari Iudicio statim à morte.*

### PUNCTUM PRIMUM.

I. **Q**Uæ personæ interveniunt. 1. Anima iudicanda, exuta corpore, & iis quæ corpus comitantur, perinde rustici, ac Regis: & quæ animam sequuntur: scientiæ nihil conferent, sola juvabunt bona opera. 2. Cingent latera Angelus custos, & malus, diverso affectu, prout erit diversa conditio animæ: nam bonæ applaudet bonus, malus mœrebit: e contra, si mala sit. 3. Assidebit iudex Deus, invisibilis quidem, sed certis signis suam præsentiam manifestans, infinite sapiens, iustus, potens, à quo non appellatur: & in oculis ponentur omnia, quando libri aperientur nostrarum actionum, ut non sit tergiversationi locus.

I.  
Iudicio  
assisten-  
tes.

1.

2.

3.

II. Cogitabo me assistere; atque ut salutarem timorem concipiam, videre iudicem ipsum ira- Timor.  
 to vultu, & accusatorem diabolum gestientem, ac in me impletum illud: *Diabolus stet à dextris* Ps. 108. 6  
*eius: cùm iudicatur, exeat condemnatus.* Contra  
 D verò,



verò, ut spem excitem, aspiciam benevoluma  
 judicem & Angelum custodem aridentem mi-  
 hi, atque abigentem à me dæmonem, illis  
 verbis: *Increpet in te Dominus, Sathan! qui elegit*  
*hunc: numquid non iste torris est erutus de igne?*  
*Zach. 3.*  
*2.*

## PUNCTUM II.

1. **T**empus & locus judicii hujus 1. Tempus est  
 Tempus & locus momentum illud, quò anima solvitur à  
 corpore: in eo accusatio, sententia, & execu-  
 tio perficiuntur. O momentum æternitatis  
 principium, sive gloriæ, sive pœnæ! 2. Locus  
 est ille ipse, ubi homo moritur. 3. Quid si hoc  
 Gen. 19. momentum, quid si hic locus decernet? uxor  
 26. Lot, ubi se convertit retro, ibi judicium tulit.

## PUNCTUM III.

1. **O**rdo judicialis. Accusatores erunt tres:  
 Accusa- 1. Diabolus, qui per excellentiam dici-  
 tores. tur *Accusator fratrum*: accusabit de iis, quæ  
 1. ipsius instinctu peccavi, & cùm interna nostra  
 Apoc. 22. non perspiciat, affirmabit plura ex conjectura,  
 10. vel etiam malitia. 2. Erit conscientia, mille te-  
 2. stes: hîc omnia patebunt, unde animam existi-  
 Luc. 12. mulet, de qua istud est: *Cùm vadis cum adversa-*  
 58. *rio tuo ad principem, in via da operam liberari ab*  
*illo, ne forte trahat ad te judicem, & iudex tradat*  
*te exactori, & hic mittat te in carcerem.* Adversa-  
 rius est conscientia, à qua in via liberatur, qui  
 in hac vita eluit peccata. 3. Quodammodo erit  
 3. ipse Angelus custos, cujus posthabui monita,  
 & officii ingratus fui.

II. Exa-



## De Iudicio particulari. § 1

II. Examen erit I. accuratissimum, usque ad  
 verbum otiosum, nec de commissis tantum, sed <sup>II.</sup> Examini-  
 etiam de omissis, ac de mediis non adhibitis, de <sup>nis con-</sup>  
 neglectis inspirationibus, de beneficiis postha- <sup>ditiones</sup>  
 bitis, tam communibus, quam privatis: ac de  
 ipsis circumstantiis bonorum operum: Quod  
 pertinet illud: *Ego iustitias judicabo.* 2. Fiet hoc <sup>Psal. 74.</sup>  
 examen in tanta luce, ut anima conspiciat om- <sup>3.</sup>  
 nia mala sua: & gravitatem illorum æstimabit, <sup>2.</sup>  
 & quæ pro peccatis non habuit, non adver-  
 tit, vel oblita est, repræsentabuntur ei omnia: si-  
 cut dicit Dominus. *In tempore illo frutabor Ieru-* <sup>Sop̃s. 12</sup>  
*salem in lucernis*, abditos quosque angulos: nec  
 Babylonem tantum, sed & Ierusalem, iustos ip-  
 sos. Heu non intres in iudicium cum servo tuo Do- <sup>Pf. 42.</sup>  
 mine, quia non justificabitur in conspectu tuo om-  
 nis vivens. 3. At vicissim Deus bona opera ju- <sup>3.</sup>  
 storum etiam minuta, usque ad calicem aquæ  
 frigidaë, producet & repræsentabit animæ, ad  
 ipsius mirificam consolationem: *Opera enim il-* <sup>Apoc. 14.</sup>  
*lorum sequuntur illos.* <sup>13.</sup>

## PUNCTUM IV.

**E**Xamine factò, anima primùm expoliabitur <sup>Privatur</sup>  
 donis, quæ residua erunt, ad eum modum, <sup>donis.</sup>  
 quo degradatur sacerdos, sacræque vestes de-  
 trahuntur, ad insignem ignominiam, tanquam  
 indigno munere, ac dignitate sacerdotali, ut ita  
 tradatur in manus iudicis secularis, morte mul-  
 tandus. 2. Donum fidei ab eo aufertur: quod <sup>2.</sup>  
 non studuerit vitam agere fidei suæ conformem.  
 3. Deinde spei donum, quod media neglexerit, <sup>3.</sup>

D 2

per



per quæ debuerat ad speratum bonum aspirare.

4. Præterea spoliabitur gratis datis, si quas habuit, propter bonum aliorum: quod vel iis non usus bene fit ad finem, propter quem datæ erant; vel quod aliis intendens seipsum neglexerit: quod est inordinatum.
  5. Ipsæ etiam
  6. virtutes morales acquisitæ in eo deficient.
  7. Scientiæ etiam erunt ad maiorem cruciatum, quod scientiam salutis postponuerit illis.
- Unicus manebit character Baptismatis: & si quem alium accepit: ut appareat, à qua conditione exciderit, illudaturque illi ab Infidelibus, eo nomine, quod, cum posuerit tanti ædificii fundamentum, non valuerit consummare. Igitur in talem complebitur illud Ezechielis: *Denu-*  
*dabunt te vestimentis tuis, & tollent vasa gloria*  
*tua, & dimittent te nudam, & ignominiam plenam.*

### PUNCTUM V.

- Mat. 25.* **S**ententia Christi in peccatricem animam: *Dis-*  
*cedite à me maledicti in ignem æternum, qui*  
*paratus est diabolo & Angelis ejus.* Quo iplo mo-  
*mento destituetur divina protectione: quæ*  
*etiam peccatores illuc usque prosequitur Deus,*  
*& ab Angelo custode deferetur, illud usurpan-*  
*te: Curavimus Babylonem, & non est sanata:*  
*derelinquamus eam, utique in manus lævissimi*  
*leonis, qui cum tripudio electulo delicato &*  
*corona amicorum, in puncto ad inferna depor-*  
*tabit. Quid tam subita & tam dispar conditio,*  
*rerumque omnium permutatio in infelici ani-*  
*ma efficiet? ô juste Iudex! Cum veneris judicare,*  
*noli me condemnare.*

PUN.



## PUNCTUM VI.

**S**ententia pro anima iusta: *Venite benedicti Patris mei, percipite regnum, quod vobis preparatum est ab origine mundi* Et: *Euge serve bone & fidelis, intra in gaudiū Domini tui.* Suscipiet eum Angelus custos, ac pluribus comitantibus deducet in cœlum, nisi fuerit purganda, In illo autem primo ingressu, & quasi occurso torrentis voluptatis quomodo afficietur? ô verè pretiosa in conspectu Domini mors Sanctorum! Mors autem peccatorum pessima. Petam illam mihi: & quoniam in illo iudicio non est locus patrociniis, nunc purissimam Dei Matrem ferventer compellabo: *Maria Mater gratia, Mater misericordia, tu nos ab hoste protege, & horâ mortis suscipe.*

Sententia

Iusti.

Matt. 25

34. Mat.

25. 21.

Ps. 115.

15.

Ps. 33.

22.

## MEDITATIO X.

De corpore, animâ destituto.

*Hæc meditatio est imago mortis spiritualis, qua homo passionibus suis moritur, qua propterea mortificatio dicitur.*

## PUNCTUM PRIMUM.

**Q**uale remanet corpus? 1. Destitutum motu membrorum, & usu omnium sensuum, nec illorum objectis afficitur. 2. Pallidum, deforme, & foetidum redditur, & mox in corruptionem vergit; estque horrore, quod vivum dele-

Corpus mortuū.

1.

2.

D 3

etabat.



3. Et abbat. 3. Proinde solitarium relinquitur cada-  
ver, & quamprimum efferri curatur.

I I. II. Dum vivo, mortuum imitabor in his tri-  
bus. 1. In sensuum mortificatione, etiam à lici-  
vita. tis non necessariis, & quasi carerem sensibus,  
1. non afficiar. 2. Non cōsiderando, quod res sunt:  
2. sed quod erunt postmodum squalidæ & tetræ.  
Isa. 40. 7. *Omnis enim caro fœnum, & gloria ejus quasi flos  
agri.* 3. Nihil curando, quod relinquer, & me  
Ps. 30. 12. *videbant me foras fugerunt: oblivioni datus sum,  
tanquā mortuus à corde: factus sum tanquā vas  
perditum, quoniam audiivi in perationem multo-  
rum commorantium in circuitu; hoc est, crucifixū  
esse mundo, ut pro mortuo me habeat, & tra-  
ctet; & mihi mundum, ut id perferam, quasi  
insensibilis factus, ad mundi vexationem.*

## PUNCTUM II.

I. I. **V**Estis, lectus, & habitatio defuncti corpo-  
ris: pro veste linteum, quo involvitur;  
Cadaver omnibus caret. vel si quid pretiosum additur, mox sepeliendo  
Isa. 14. detrahatur, pro lecto humus: *Et subter illud ster-  
netur tinea, & operimentum ejus erunt vermes:*  
II. pro habitatione erit fossa septempedalis, ac si  
qua moles superstruatur, quid ea confert exani-  
mi? Pudeat mollitiei & superfluitatis dum vivo  
circa ejusmodi.

II. II. Imitabitur Religiosus conditionem ca-  
daveris 1. In studio paupertatis, ut vilissima  
Imiterur Religio- quæque in vestibus, lecto, & habitatione præo-  
sus. pter; neque moveatur, quomodocunque circa  
1. ista



ista habeatur. 2. In studio castitatis: ut sicut per mortem fit divortium perpetuum ab omnibus oblectamentis & curis mundi: ita ego per votum castitatis penitus iisdem moriar. 3. In studio obedientiæ, ut instar cadaveris, me versari sinam sine contradictione.

2.

3.

## PUNCTUM III.

I. **E** Latio ad sepulchrum 1. In feretro, alienis humeris, per plateas effertur exanimis, qui paulò ante obibat omnia alacer. Quare nunc è cubiculo, è domo egrediens per compita incedens, memorabo diem illum, cum tantò aliter agetur mecum. 2. Effertur cum comitatur aliis cantu, aliis fletu prosequentibus, vel honoris ergò: sed ea quid prosunt exanguis? imò damnato cedunt ad cruciatum. 3. Infertur in sepulchrum, cooperitur humo, lapide clauditur, mox à vermibus depascendus, æternumque memoria delendus, vel si etiam honorificè celebratur, id animæ quantum confert, præsertim æternis ignibus addictæ? unde bene quidam dicebat: *O Aristoteles! laudaris ubi non es, cruciarius ubi es.*

1.

Iter ad  
sepul-  
chrum.

2.

3.

II. Ergo discam, vanos honores pro nihilo habere, me ipsum parvi pendere, neminem aspernari: quando omnes futuri sumus mox per mortem æquales. Dicam autem animæ meæ: Vide, quàm foves & ornas, cui servis carni puditissimæ: quin pro ancilla eam habeto, & servire tibi facito. Nec istum sepulturæ honorem polliceri tibi potes: cum possit contingere, quod

II.

Docu-  
menta.



*Jerem.* Regi Ioacim, *Qui sepultura a sini sepelitur, putre-*  
*22. 19.* *factus & projectus extra portas Ierusalem, quod*  
*& Iezabeli factum: tuque forsitan promeritus*  
*es ob tua peccata.*

*4. Reg. 9.*  
*35.*

## MEDITATIO XI.

*Super illa verba: Memento homo, quia*  
*pulvis es, & in pulverem reverteris.*

### PUNCTUM PRIMUM.

*Homo ex* **C**Ur homo ex pulvere factus, cum potuisset  
*pulvere.* **G**ex nihilo corpus creari, sicut & anima 1.  
 1. Ad humiliandum ipsum ex intuitu originis. 2.  
 2. Ut Dei benignitatem potentiâque amaret:  
*Eccl. 10* qui ex pulvere per inspirationem animæ fecisset  
 9. ipsum ad imaginem suam: *Quid superbis terra &*  
*cinis, & ex donis Dei cur extolleris? Adam obli-*  
*tus originis suæ, affectavit esse, sicut Deus.*

### PUNCTUM II.

*In pulve-* **C**Ur homo damnatus, ut in pulverem redeat?  
*rem re-* **G**1. Ut intelligatur malitia peccati, quæ pro-  
*gressus.* meruit tam nobile opus in pulverem redigi:  
 1. cum alioquin non fuisset interiturum, si non  
 2. peccâisset. 2. Ut qui ex vilitate principii, unde  
 3. plasmatus est, non se continuit in humilitate,  
 humilitaretur ex fine, quem habiturus est reda-  
 ctus in pulverem 3. Ut recordatione pulveris  
 extremi, terrenas comprimât affectiones, &  
 commissorum agat pœnitentiam, ut suadet  
 Pro-



*De parabola divitis avari.* 57

Propterea: *In domo pulveris, pulvere vos consper-*  
*gite, hoc est, qui domus luteas habitatis, in*  
*suum principium resolvendas, pulvere vos con-*  
*spergite, ritu Pœnitentium.*

*Mich. 1.  
10.*

PUNCTUM III.

**C**Ur dicat, *Memento: quia pulvis es, non au-*  
*tem, fueris? Nempe, quia de facto est,*  
*sicut de terra constans, ita ad terrena proclivis,*  
*& instabilis, ut pulvis, quem projicit ventus à fa-*  
*cie terra, tum in consiliis & bene cœptis:*  
*tum ob vitæ mortalis casus, & incertitudinem.*  
*Optimum esto consilium, quoties aliquod*  
*apparens bonum meos percellit sensus, mihi*  
*objiciam statim: atqui hoc totum pulvis est, &*  
*ego ipse pulvis sum, postmodum exsufflandus.*

*Psalm. 140.*

PUNCTUM IV.

**O**Mnia mihi occinunt sententiam istam, ac  
*præcipuè calvariæ & ossa defunctorum,*  
*inter quæ versans, & illud audire mihi videar:*  
*Memor esto judicii mei, sic enim erit & tuum, mi-*  
*hi heri, & tibi hodie, pro hodierno haberi debet,*  
*quod vita mortali clauditur, quia brevis & in-*  
*certa est.*

*Eccles. 38.  
28.*

MEDITATIO XII.

*De oblivione mortis, ex parabola divitis*  
*avar. Luc. 12.*

PUNCTUM I.

**T**Riplex fallacia ex oblivione mortis exem-  
D 5 plo



Mortis  
oblivio  
fallax.

1.

Iac. 4. 12.

2.

Eccl. 5.  
17.

3.

plo hujus divitis. 1. Pollicetur sibi longam vitam, cum dies illa esset postrema. Tales reprehendit Iacobus Apostolus, quod audeant dicere, faciam cras hoc vel illud: *Qui ignoras, quid erit in crastino, quæ enim est vita tua? vapor est ad modicum parens: pro eo quod dicere deberet: si vixero, si Dominus voluerit.* 2. Quod promittat sibi quietam bonorum usuram, unde ait: *Anima, habes multa bona reposita in multos annos, requiesce, comede, bibe, epulare:* Cum alioqui bona hæc auferri possint: ac si maneant, contingeret tibi illud: *Cunctis diebus vitæ suæ comedit in tenebris, & in curis multis & in ærumna atque tristitia.* 3. Supina negligentia salutis animæ bonorumque æternorum.

## PUNCTUM II.

Mala ex  
oblivio-  
ne.

1.

Sap. 45.

2.

Isaia. 38.

3.

Psf. 141.  
8.

**D**amna hujus oblivionis. 1. Quod serò agnoscat errorem suum, quando remedium non subest; ut stulti illi in libro Sapientiæ, Semet propterea *insensatos* confitentur, quare & huic diviti dicitur: *Stulte!* 2. Quod noctu abripiantur è vita: *Hac nocte* scilicet in ipsis tenebris peccati, ut ab interioribus transeant ad exteriores & æternas. Averte à me Domine, dicito mihi prius: *Dispone domui tue, quia morieris,* da tempus pœnitentiæ. Etsi illud optimum, ut quotidie id mihi intimari putem, & ita semper sim paratus. 3. Quod ægrè & inviti moriuntur; quare dicit: *Animam tuam repetent à te,* mali scilicet dæmones; justis autem in desiderio est: *Educ de custodia animam meam, ad confitendum tibi.*

PUN-



## PUNCTUM III.

**Q**ua autem parâsti, cujus erunt? hoc postremum oblivionis damnum: quod quasi semper victuri non prospiciunt in posterum. Tua certe non erunt, quia diviti dicitur: *Cum interierit, non sumet omnia, neque descendet cum eo gloria ejus.* Non sic justus, non sic, quorum opes sunt opera bona, quæ sequuntur ipsos. Interrogabo etiam te: & hæc anima cujus erit? *Quam dabo impius commutationem pro anima sua*, quominus in potestatem diaboli veniat? dicam Deo: *tuus sum ego, salvum me fac.*

Ps. 48.

18.

Mat. 16.

26.

Ps. 118.

94.

## PUNCTUM IV.

**O**bliviosi conditio representatur in Balthasare Rege Babylonis, cui operam danti commensationibus, visa est manus scribens in pariete: *Mane, Thecel, Phares, Numeravit Deus Regnum tuum, & complevit illud. Appensus es in statera, & inventus es minus habens. Divisum est regnum tuum, & datum est Medis & Persis:* ita Daniele interpreterante, & eadem nocte id totum subsequutum est; & quadrat in illum divitem ac similes. *Mane, numeravit:* Stulte! hæc nocte repent animam tuam à te. *Thecel, appensus es,* utique minus habens inventus es; qui idcirco vocaris stultus. *Phares, divisum est:* & hæc, quæ parâsti, cujus erunt? auferentur videlicet à te, & dabuntur ei, quem ignoras.

Exemplum.

Dam. 5.

26.

D 6

D E



# DE JUDICIO UNIVERSALI.

## MEDITATIO XIII.

*De signis precedentibus judicium.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Causæ  
iudicii.

1.

2.

1 Cor. 4.

5.

3.

Luc. 21.

**C**Ausæ universalis Iudicii. 1. ut sententia lata in particulari iudicio; ejusque æquitas innotescat toti mundo: atque, ut suppleatur, quod defuit, nam de corpore ibi nihil fuit decretum: & contingit damnati hominis corpus in honore esse, beati autem ignominiosè haberi: debet autem participare gloriæ aut pœnæ, prout in hac vita servivit justitiæ, aut iniquitati. 2. ut justis honor coram omnibus habeatur, qui in hac vita fuerunt contemptui. Ac inprimis, ut justificetur Deus in iudiciis suis, qui justos premi nunc, malos autem, exaltari permisit: quod sapientissimè fuisse dispositum, dies illa manifestabit: propterea, *Nolite ante tempus judicare.* 3. ut mali & impii videant gloriam Christi, præsertim ii, qui viderunt humiliatum: ideòque iudicium in valle Josaphat constituetur, circa Ierusalem & montem Olivarum, ubi crucifixus Dominus fuit, & ascendit in cælum, ut ibidem illum videant descendentem *cum potestate magna & majestate*, sicut prædixerunt Angeli: *Quemadmodum vidistis eum ascendentem in cælum, ita veniet.*



veniet. Ergo letentur cœli, & exultet terra: quoniam venit judicare terram in aequitate, & populos in veritate sua.

Act. 1.

11.

Ps. 95.

11.

## PUNCTUM II.

**S**igna præcedentia. 1. erunt plurima, *Omnem* Signa 1.  
*Senim creaturam armabit Deus ad ultionē, &* Sap. 5.  
*pugnabit cum illo orbis terrarū contra insensatos.* 12.  
 Et merito: quia omnibus abusi sunt peccatores.  
 2. erunt terribilia. *Sol obscurabitur, & luna non*  
*dabit lumen suum, sed convertetur in sanguinem.* 2.  
*Stellæ cadent de cælo, & virtutes cœlorum move-* Mat. 24.  
*buntur, erunt terræ motus, terroresq; de cælo: mare* 29.  
*mugiet, & arescent homines præ timore & expe-*  
*ctatione impendentium: Nam obscuratio solis*  
*portendet æternas tenebras, suffusa luna sangui-*  
*ne, iram iudicis implacabilem: cadentes stellæ,*  
*præcipitationes in abyssum, etiam hominum a-*  
*liquando clarorum, fremitus maris apertique*  
*terre hiatus, & omnium confusio elementorū,*  
*imaginem referet furentium dæmoniorum in*  
*capita hominum, & infernale chaos representa-*  
*bit: in quo nullus ordo, sed sempiternus horror in-*  
*habitat. Arescat autem impius præ timore, exsic-* Job. 10.  
*cante ossa spiritu tristi ex conscientia factorum: 22.*  
 at electi cum timore simul fiduciam habebunt:  
 memores Christi verborum: *His fieri incipienti-*  
*bis, respicite & levate capita vestra, quia appro-* Luc. 21.  
*pinquat redemptio vestra.* 28.

## PUNCTUM III.

**C**onflagratio Mundi, de qua S. Petrus: *Ad-* Ignis fi-  
*veniet* nismun-  
 di.



2. Pet. 3. *veniet dies Domini, sicut fur, in quo cœli magno impetu transient, elementa verò calore solventur, terra, autem, & quæ in ipsa sunt, opera exurentur: nempe plantæ, animantes, homines ipsi residui, & quicquid ad usum & luxum humana fecit industria, palatia, moles, urbes, amœnitates omnes: nam, ut ait Ioel. Ante faciem ejus ignis vorans & post eum flamma exurens, quasi hortus voluptatis terra coram eo, post eum solitudo deserti, neque est, qui effugiat eum. Ignis iste cruciabit malos: justi autem per illum purgabuntur. Permanebit autem usque ad finem judicii, etiam resurrectione facta: & in corpora damnatorum sæviet, etiam ante sententiam, & ea pronuntiata, tanquam fluvius rapidus trahet eos secum in tartara. At verò justorum, resuscitatorum corpora non poterit lædere, Deo intercidente flammam ignis: ut ea verba Basilii interpretatur.*

Ioel, 2. 3. *Tunc implebitur: Ecce dies venit succensa, quasi caminus: & erunt omnes superbi, & facientes impietatem, stipula: & inflammabit eos dies veniens, quæ non derelinquet in eis radicem & germen. Et orietur vobis timentibus nomen meum sol justitiæ, & egredimini, & salietis, sicut vituli de armento, & calcabitis impios, cum fuerint cinis sub planta pedum vestrorum.*

Malis crudelis.

in Ps. 28. Mala.

4. R.

## PUNCTUM IV.

Mat. 24. 36. *Die illa & hora, qua evenient ista, nemo scit, neque Angeli cœlorum, neque Filius hominis, nisi solus Pater: Er non solum non potest à longè prænosci hora illa, sed nec jam instans præ-*

Dies incerta.

præ-



*De Resurrect. & preced. sentent. 63*

præsentietur: ac ita, incautos, & nihil minus cogitantes, imò nuptiis & comestationibus operam dantes, ex improvise corripiet ignis ille: quemadmodum diluvium in diebus Noë inopinantes obruit, & flamma cœlitus Sodomitas absumpsit: quibus exemplis Dominus est usus ad improvisam sui adventûs, & conflagrationis mundi quasi irruptionem indicandam.

MEDITATIO XIV.

*De Resurrectione corporum, & de precedentibus sententiam.*

PUNCTUM PRIMUM.

**R**esurgent mortui, *Mittet Angelos suos cum Resurre-*  
*tuba & voce magna, & congregabunt electos* ctio.  
*ejus à quatuor ventis, à summis calorum usque ad* Mat. 24.  
*terminos eorum. In momēto & in ictu oculi, in no-* 31.  
*vissima tuba, canet enim tuba, & mortui resurgent* 1. Cor.  
*incorrupti, quoniam ipse Dominus in jussu & in* 15. 51.  
*voce Archangeli, & in tuba Dei descendet de cœ-* 1. Thess.  
*lo, & mortui, qui in Christo sunt, resurgent primi:* 4. 25.  
*& dabit mare mortuos, in ipso erunt, & mors* Apoc. 10.  
*& infernus dederunt mortuos suos: & judicatum* 13.  
*est de singulis secundum opera ipsorum. Ad hanc*  
*citationem comparabunt magni & parvi: &*  
*corporibus momento reformatis, animæ è cæ-*  
*lo & inferis revocatæ, ut prius, unientur. O vo-*  
*cem potentem, malisque terribilem, quam ut* Eph. 5.  
*tunc lætus excipiam, audiam modò illam:* 14.  
*Surge,*



*Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus.*

1. Cor.

15. 51.

1.  
Corpora  
malo-  
rum.

2.  
Bono-  
rum.

II. Porro corporum erit diversitas: nam omnes quidem resurgemus, sed non omnes immutabimur.

1. Mali sortientur immortalia quidem: sed patibilia & fœda, quæ subire animæ exhorrescant. Ibi se mutuò insectabuntur anima & corpus, illa quod ob corporis rebellionem in ea mala de venerit, istud autem, quod, cum frænari corporis concupiscentiæ ab anima debuissent, contra indulgit ei omnia; ex quo etiam crescet utriusque tormentum: 2. At justi sortientur corpora impatibilia & gloriosa: unde sibi mutuò gratulabuntur anima & corpus de mortificatur sensualitate.

## PUNCTUM II.

Iudicis  
gloria.

1.  
Phil. 2.  
10.

Ps. 109.

2.  
2. Comi-  
tatus.

Mat. 25.  
31.

3. Crux

Mat. 24.  
30.

**A**Dventus Iudicis. 1. gloria & majestas ejus erit præ sole & luna, & stellis, quam vel ipsi dæmones coacti venerabuntur, pro Deo ipsum agnoscentes, ut tunc vel maximè, *Omne genu ipsi flectatur cœlestium, terrestrium & infernorum, & omnis lingua confiteatur quia Dominus IESUS CHRISTUS in gloria est Dei Patris, ubi juxta promissum. Ponentur inimici ejus scabellum pedum ipsius.* 2. Comitatus erit Angelorum omnium, ut ipsemet promonuit: *Cum venerit Filius hominis in majestate sua, & omnes Angeli cum eo.* Qui ut credi potest, lucidis, instar solis, vestientur corporibus, ad Regis sui magnificentiam corporeis oculis, etiam impiorum subjiendam. 3. *Tunc apparebit signum Filii hominis in cœlo: & tunc plangent omnes tribus terra & videbunt Filium*



*De Resurrect & preced. sentent.* 65

lium hominis venientem. Plangent inimici crucis: exultabunt, qui carnem suam crucifixerunt cum vitiis & concupiscentiis. 4. Thronum judici exhibebunt splendidissimæ nubes, è cujus vultu ac oculis micabunt radii placidissimi adversus justos: in malos autem ira & indignatio, ut illius aspectum sustinere nequeant. Quin etiam vulnera ipsa amorem spirabunt, & accendent in pectoribus justorum: confusionem autem & fletum movebunt in expertibus illorum fructus, & maximè Iudæis, qui illum pupugerunt. 5. Sed & beatissimæ Virgini 4. Tron  
M A R I Æ, tanquam Regis Matri, suus thronus collocabitur, non secus: ac Salomon matri suæ fieri voluit: non jam, ut deprecetur pœnas, sed ut confundantur, qui in tempore usi non fuerunt illius patrocinio, aut etiam injuriis eam affecerunt: & ut quæ præ omnibus compassa est Christo patienti, præ omnibus conglorificetur jam regnanti. Circum ponentur etiam sedes B. V.  
Apostolis Domini, juxta Magistri promissum: Apostoli  
*Amen dico vobis, quod vos, qui secuti estis me, in* Mat. 19.  
*regeneratione, cum sederit Filius hominis in sede*  
*majestatis suæ, sedebitis & vos super sedes duode-*  
*cim, judicantes duodecim tribus Israël.* 28.

PUNCTUM III.

**S**Egregatio bonorum à malis. *Exibunt Ange-*  
*li, & separabunt malos de medio justorum, si-* Separa-  
*cut pastor separat oves ab hœdis, & statuet qui-* tio.  
*dem oves à dextris, hœdos autem à sinistris. In hac* Mat. 13.  
*vita sunt omnes permixti, & plerumque melior* 49. 25.  
33.  
E pejore



pejore loco, sive dignitate, sive opinione hominum, sive successibus. Tunc mutabuntur vices, manebuntque perpetuæ, quo gaudio justorum, & qua iniquorum confusione? Iuvat nunc tenere novissimum locum, ut dicatur tibi: *Ascende superius*, non contra. Ibi *assistet Regina à dextris Regis in vestitu deaurato*. Proterea neminem in hac vita contemne, quia fortè præcedet te

*Pf. 44.*

*10.*

*Luc. 14.*

*10.*

c.

## PUNCTUM IV.

I.  
Patebunt  
conscientiæ.  
*1. Cor. 4.*  
*5.*

I. **A** Pertio conscientiarum, de qua Paulus: *Nolite ante tempus judicare, quoad usque veniat Dominus, qui judicabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium, & tunc lauserit unicuique à Deo.* Conscientiæ sunt libri, qui aperientur tunc ad judicandum, qui modò sunt clausi: tunc autem patebunt singulis omnes. Studiosè nunc oculo peccata, & gravissimè fero propalari vel uni vel alteri, imò vix non sub ticeo in confessione: & quò modò sustinebo coram Angelis, & hominibus cunctis planè nudari, & ostentui haberi?

II.  
Opera  
bona.

II. Producentur etiam in lucem omnia bona justorum unde laudem referant, nec mala eorum tegentur: quæ tamen ipsis confusione non erunt, quando ab illis se expediverunt per gratiam Dei, & cedit in confusionem malorum, qui fortè minus peccaverunt, nec se tamen à peccatis per pœnitentiam exemerunt. Malis etiam ipsa bona patrata augebunt ignominiam, quod à cœptis destiterunt.

PUN-



## PUNCTUM V.

**A**ccusatio reorum. 1. Diabolus accusabit, & dicet ad Iudicem ego hos non creavi, pro eis non sum passus &c. & tamen mihi serviverunt, te neglecto. Ita S. Basilius. 2. Christus ipsorum conscientias repræsentando exprobrabit beneficia, tum communia, tum privata in singulos, & quid tandem facere potui, quod non fecerim? 3. Angeli custodes sua objicient officia: & iusti quoque, qui nostræ salutis operam aliquam impenderunt: & denique ipsa nos accusabit vehementissimè conscientia.

Accusatores.

1.

Orat. 1.

de amore

Dei &amp;

Proxi-

mi.

2.

3.

## MEDITATIO XV.

*Sententia Iudicis pro bonis, & contra malos.*

## PUNCTUM PRIMUM.

**S**ententia pro iustis: blando vultu & voce sic alloquetur, *Venite benedicti Patris mei possidete paratū vobis regnum à constitutione mundi.* Venite, undenam? qui aliquando vocati parvultis, & tollentes crucem secuti estis me; venite de Libano, quæ est Ecclesia, in qua regenerati, & aliti in cedros pulcherrimas excrevistis: venite de tribulatione magna, ablutis stolis vestris in sanguine meo: venite de cubilibus leonum, de montibus pardorum, de societate hominum crudelium, qui vos persecuti sunt, & afflixerunt. O audiam primò vocantem! sequar-

Sentent.

ad iustos

Mat. 2. 5.

5.

E 2

que,



que, ut secundo audire merear in die illa invitantem: *Benedicti Patris mei*, ô compellatio optatissima! quisnam eam promerebitur? *Innocens manibus & mundo corde, hic accipiet benedictionem à Domino, & misericordiam à Deo saluari suo.* Benedicti, non Abraham, Isaac, aut Iacob, qui benedixerunt filiis suis aut Moysi, qui populo benedixit: sed Patris mei, paterno prorsus affectu, *Qui benedixerit vos in omni benedictione spirituali per gratiam, nunc autem per gloriam: & est benedictio ejus efficax, ne frustrari potest. Possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Quodnam regnum? quod solum est verè regnum, & per excellentiam tale. Quomodo paratum? in misericordia & beneplacito divino, idque à *constitutione mundi*, quando præparabat cœlos, sedem hujus regni constituens Empyreum cœlum, & vobis paratum præ tot aliis *Esurivi enim & dedistis mihi manducare: siti vi, & dedistis mihi bibere &c.* Admiratio capiet justos, quòd ob tam exilia merita tribuat regnum, & quidem tale; & quòd tanti faciat opera misericordiæ, sibi que exhibita imputet, quæ pauperibus, quos & fratres vocare non dedignatur. Verè igitur, *Beati misericordes: quoniam ipsi misericordiam consequentur.*

Opera  
miseri-  
cordiæ.

Cæterum, non illa, tantum in remuneratione adducet; sed omnia alia, & unicuique speciatim illa, quibus excelluit, interiùs repræsentabit, ut Martyri, quòd pro se vitam posuerit; Virgini, quòd se Deo imaculatam servaverit; Religioso, quòd, relictis omnibus, sibi fideliter adhæserit.

PUN-



## PUNCTUM II.

**S**ententia in reprobos, formidabili vultu voceque pronunciata. *Discedite à me.* Hæc est In impios sententia. Pœna pœna damni exclusio à regno à visione & fruitione divina, ab amore ab omni favore & beneficio, à cœlesti sede, à consortio Beatorum, Angelorum, hominum. *Ame.* qui principium & finis omnium sum, Creator vester, Redemptor, Deus. Qui ad id tantummodo in vobis ero, ut quoniam sine me esse non potestis, non planè in nihilum redigamini, sed vivatis ut nunquam miseri esse desinatis, *Maledicti* per omnia maledicti, in corpore, anima, potentiis illius, in sensibus, in loco, in sociis, in rebus omnibus, non dicit, *Patris mei.* quia Deus mortem non fecit, nec maledictionis auctor est, sed eam sibi peccatores consciscunt. *Dilexit maledictionem, & venit ei: & noluit benedictionem, & elongabitur ab eo.* Quæ rabies tunc damnatorum? Irugit Esaii ob præreptam sibi à Iacob benedictionem, quanto magis isti ob superinductam sibi amplius æternam maledictionem: unde etiam in maledicta prorumpent, in matrem, quæ genuit, in lac, quod suxerunt, in Deum ipsum justum peccatorum vindicem. O IESU! qui *maledictum factus es*, ut nos à maledicto vindicares, ne, quæso te, illius infaustæ maledictionis pœnam incurram. *In ignem æternum:* hæc est pœna, quæ vocatur sensus, quia peccator non tantum privatur summo bono, sed etiam afficitur summo malo. Ergo ait: *Discedite in ignem æternum.* Non tantum

Maledictio.

Psalm. 108.  
18.

Galat. 3.

Pœna  
sensus.



tantum, qui durabit in æternum; sed, qui etiam in æternum cruciabit. Non vos tantum à meo conspectu, & bonis excludo, abjicióque, quòd fortassis parvi feceritis, si liceret, ut prius, uti creaturis, ad explendas cupiditates: sed omni ex illis consolatione exutos æternis cruciatibus addico. *Qui paratus est*: sicut Empyreum cælum justus, ita infernalis ignis peccatoribus paratus est: cujus indicia præbent profundæ voragines, in variis terræ locis evomentes ignem. *Preparata est ab heri Tophet à Rege preparata, profunda & dilatata, nutrimenta ejus ignis & ligna multa, flatus Domini, sicut torrens sulphuris succendens eā.* Sic describitur infernus, qui Tophet dicitur à loco incendii, ubi cremabantur infantes idolo Moloch consecrati: quòd is locus, imaginem repræsentet inferni, & est idem locus, qui gehenna dicitur, quo nomine Christus infernum expressit ab eadem similitudine, *Diabolo & Angelis ejus*: ut quibus vivendo adhæsisitis, eos habeatis supplicii socios & tortores. Non ait: paratus vobis, sicut dixerat de regno; quia quoad se, voluit omnes salvos fieri, neminem ex proposito perire, quamquam & de Angelis idem est verum: sed significat ignem illum ab initio in Angelos prævaricatores excitatum fuisse; homines verò ipsos, dum eos imitantur, sibi quoque illum procurasse, communemque fecisse: *Esurivi enim, & non dedistis mihi manducare: sitivi, & non dedistis mihi bibere, &c.* minora objicit, ut ex iis judicium fiat de majoribus. Nec illa parva censerì debent, quando ait, *Quod*

Isa. 30.  
33.

Dæmo-  
nes socij

Ratio.



*Quod uni ex his meis minimis non fecistis, nec mihi fecistis.* Est autem procul dubio non parvum Christo ipsi misericordiam denegasse, quod fit, quando pauperi non præstatur: quandoquidem contestatum reliquit sibi præstari, aut negari, quod pauperi vel præstatur, vel negatur. Nihilominus cætera quoque objiciet unicuique singillatim, quorum erit reus.

Opponent aliqui bona, quæ fecerunt, ut illi: *Domine nonne in omine tuo prophetavimus, demonia ejecimus, virtutes multas fecimus?* Quibus respondebit: *quia nunquam novi vos.* Quod si hæc divina dona non juvabunt: quanto minus scientiæ, aut dotes naturales? illa autem non proderunt: quia peccatis propriis obscurata sunt. Et quia, dum aliis per ea prosumus, nobis per bona opera non consulimus.

Donis  
abusi.

Qualiter hanc sententiam excipient reprobi? nam, si præ timore arescebant ad signa tantum Dominici adventus, quid jam iras experti, quantum illa, tantum fuerant signa?

### PUNCTUM. III.

**I.** Executio sententiæ: *Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.* Executio.

Primum damnati illo ipso momento, dehiscence terra, cum toto exercitu dæmonum haurientur, ac implebitur illa maledictio: *Veniat mors super illos, & descendant in infernum viventes: ibi erit fletus & stridor dentium.* *Ps. 54. 16. Matt. 8. 12.*

**II.** De quorum casu iustoque iudicio laudabunt sancti Dominum, tanquam demerso Phatrium-  
raone phus.



Exod. 15.

4.

Apoc. 15.

5.

Ps. 123.

6.

raone cum exercitibus suis, & dicent: *Dextera Domini fecit virtutem, dextera Domini percussit inimicum.* Et illud: *Magna & mirabilia sunt opera tua: iusta & vera sunt via tua.* Deinde ipsi cum Christo ascendent in cœlum, eo sensu lætitiæ, quem mortalis homo adhuc concipere nequit, concinentes illud: *Benedictus Deus, qui non dedit nos in captionem dentibus eorum.*

## MEDITATIO XVI.

*De inferno, quid sit, & loco, æternitate, sociis, tortoribus.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Defini-  
tio.

1.

2.

**Q**uid sit infernus. Et carcer perpetuus ac durissimus, omni genere incommodorum refertus, iis coercendis, qui cum peccati mortalis conscientia impœnites ex hac vita discesserunt. Est status omnium bonorum vacuus; & contra, omnium malorum aggregatione cumulatus. Nullum quippe illic adest bonum, vel exiis, propter quæ vita præsens modò à plerisque diligitur: nullum ibi deest malum, quod in hac vita toleratur. Quare discurre per singula; & cogita hæc præ illis esse veluti picta; & præter talia, superesse pejora, qualia assequi non potes cogitando: quod præsentibus sint dissimilia, & sine comparatione atrociora. Et ego defugiam modò modicum laborem, ut in illas non deveniam? Sed cumulum complet, quod non habeant finem: ut nec ipsa æternitas.

Et



Et postquam millia millium annorum effluerint, semper quasi incipient.

## PUNCTUM II.

**Æ**ternitas hæc malorum provenit ex his <sup>Causæ</sup> causis. 1. Quia damnati ipsi sunt immorta- <sup>æterni-</sup> les: non tantum secundum animam, sed etiam <sup>tatis.</sup> secundum corpus. In illis diebus <sup>1.</sup> *Quærent homi-* <sup>Apo. 9.</sup> *nes mortem, & non invenient eam, & desiderabunt* <sup>6.</sup> *mori, & fugiet mors ab eis:* Quid ipsum desiderium cum impleri non poterit, ipsos aget in rabiem. 2. Locus similiter est æternus, terræ centrum: <sup>2.</sup> nam terra in æternum stabit. 3. Ignis ejus inex- <sup>3.</sup> tinguibilis, & æternus erit. Nam *Flatus Domi-* <sup>Isa. 30.</sup> *ni, sicut torrens sulphuris succendet eam,* hoc est, <sup>33.</sup> Deo ita volente, ac faciente, conservabitur ignis, ac si fluvius sulphuris indeficiens suppeditaret ei materiam sine intermissione. Porro illi ignis sic uret, ut non consumat, quæ incendit: & ita nec ipse consumetur urendo. 4. *Vermis eorum* <sup>4.</sup> *non morietur.* Hic nascetur ex conscientia pec- <sup>Isa. 66.</sup> cati, tanquam putredine: quæ cum vigeat sem- <sup>24.</sup> per, & apprehendatur immobiliter, morsus quoque vermis perpetuus existet. 5. Decretum Dei immutabile: *In inferno nulla est Redemptio*, quo <sup>5.</sup> sanguis Christi non derivatur. 6. Culpa manet <sup>6.</sup> semper, ac proinde comes illius pœna: permanet autem culpa, quia est impœnitentia. Quare cum homo in peccato mori non refugit, hoc ipso elegit in eo perdurare in perpetuum.

E s

PUN.



## PUNCTUM III.

Conti-  
nua pœ-  
na.

*Iob. 24.*

12.

Impa-  
tientia.

*ps. 75.*

23.

**C**ontinuitas pœnarum : ut nec intermissio fiat, nec variatio cum aliquo levamine. Documento sit dives Epulo, cui vel aqua gutta denegata est ad tantillum refrigerium. Quin pœna ipsa ex accidenti augebitur, sive etiam ex accessu plurium in dies damnatorum : quando, ut legitur, apud Iob ) *Ad calorem nimium transient ab aquis nivium : & extremorum inter se acris pugna magis subjectum affliget.* Præterea, nec ex habitu quodam patiendi minuetur doloris sensus ; potius crescet, crescente ipsa impatience doloris, furore ac rabie : nam *superbia illorum, qui te oderunt, ascendit semper.*

## PUNCTUM IV.

1.  
Infernus  
obscurus

2.  
August.

3.  
Calidiss.

**L**Oci ipsius peculiaris ærumna. 1. Nam subterraneus & tenebricosus erit præ Ægyptia-  
cis tenebris : quo nullus radius penetrare poterit : & ipse ignis quoque nullam mittet lucem, Deo intercidente flammam ignis, id est, prohibente. Tam etsi ea etiam esse poterit ejus natura, ut non evaporet flammam, sed tetrum solummodo fumum, ut alicubi videmus ex spissa & pingui materia ; vel, ut ne fumum quidem : quia ille ignis non resolvetur, ut communis noster. 2. Erit angustissimus præ infinita corporum multitudine, ut planè compacta sint futura atque compressa inter se. 3. Nulla aspirabit illuc aura, & ita vocatur à Ioanne *Stagnum ignis*



ignis & sulphuris: quo immersi delitescent. 4. *Apoc. 19. 20.*  
 Erit foetidissimus, vel ex afflatu ipsorum corpo-  
 rum, & reliqua loci foeditate. Denique æternum  
 clausus: quod si modò alicui exire datur, is sua *4. Foerti-*  
 tormenta circumfert: post iudicium verò ne- *dis.*  
 mini. *Æterni clausus.*

## PUNCTUM V.

**T**Ormentum à sociis. Erunt ibi ex Angelis  
 omnium ordinum; erunt ex omni statu & *Confu-*  
 conditione hominum; & multi, qui nobis aliqua *sio.*  
 necessitudine fuerunt in vita conjuncti. Omne  
 ibi discrimen dignitatum cessabit, omnis titu-  
 lus: pares erunt omnes. Accedet odium mutuum *Odium;*  
 implacabile, ut nemo alterum ferre possit; &  
 præ impatientia & rabie sibi mutuo convicia-  
 buntur, & impetent: atque id atrocius, quo fue-  
 rant in vita conjunctiores, præsertim si in ma-  
 lo. Videlicet uti carbones accensi, si cumulen-  
 tur, se vicissim magis accendunt: ita isti infer-  
 nales titiones, ob mali acerbiteriam, irritati, in  
 semet iras exacuent, atque convertent. Et erit  
 illud eis intolerabile, quod separari nunquam  
 poterunt: neque diuturnitate pacari animi, aut  
 reconciliari voluntates valebunt.

## PUNCTUM VI.

**I**mmanitas tormentorum. 1. Ipsi se invicem *1. Tor-*  
 torquebunt, dicentes & facientes sibi mutuo *res*  
 quàm pessimè poterunt: ut in præcedenti pun-  
 cto. 2. Dæmones in primis exagitabunt illos, *2.*  
 & terrificis umbris infestabunt. 3. Vermis con- *3.*  
 scientiæ, dum homo cernit, quemadmodum  
 E 6 potuit



potuit ista mala præcanere, gratiamque Dei  
 4. neglexit: *Mandasti Domine: Et ita fit, ut inordinatus animus sibi ipsi sit pœna.* 4. Manus Dei  
 invisibilis super illos aggravata. Illo enim  
 mandante, & vim ignis ministrante, excruciantur infelices. Unde ira in Deum exardescens, blasphemo ore illum proscindens; extincturi, si possent. Quæ rabies adeo non levat  
 Heb. 10. 31. pœnam, ut multum adaugeat. Heu! *horrendum est incidere in manus Dei viventis!*

## MEDITATIO XVII.

*De pœna sensus, & pœna damni.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Sap. 11. 17. **I**N omnibus sensibus torquebitur: *Nam per hæc peccat quis, per hæc torquetur.* Oculi ab aspectu contubernium, quos angere pejus odierit, & à spectris horribilibus, & à patrum peccatorum formis invisis. *Auditus* à blasphemis, & maledictionibus, nec non ab inconditis vocibus, & ejulatibus, & quasi ferarum rugitu & ululatu. *Odoratus* à mutuo corporum fædore, sulphure, & omni immunditia. *Gustatus* ab ingestis sapore hærente palato, quovis absinthio & felle amariore, cum stomachi convulsione & nausea, nec non à canina fama, & siti inextinguibili, ut apparet in Epulone. *Tactus* toto corpore diffusis ab acutissimis quibusque doloribus per omnia membra: quales ex notis morbis possumus conjectare: in eo autem sensu potissimum



tissimùm punientur, quo maximè peccaverunt. Et operæ pretium ducemus in hæc omnia mala incurrere, ob brevem & exiguam voluptatem?

## PUNCTUM II.

**P**Oena ignis: cujus erunt proprietates: 1. <sup>1.</sup>  
 Ut adhærescat damnato, & ubique eum cir- <sup>Ignis in-</sup>  
 cumferat. 2. Quod, cum sit idem, inæqualiter <sup>ferni</sup>  
 cruciet pro ratione meritorum & eam partem <sup>quid?</sup>  
 magis, qua homo peccavit, attemperante Deo <sup>2.</sup>  
 illius vim & operationem. 3. Quod exurit, non  
 lucet: ac licet, ut dicit Malachias. *Erunt omnes* <sup>3.</sup>  
*peccatores stipula*, quod statim eos flamma cor- <sup>Mal. 4.</sup>  
 ripiet: non consumentur tamen, ne cruciari de-  
 sinant. Audi homo, *Quis poterit habitare de vo-*  
*bis cum igne devorante? quis habitabit ex vobis* <sup>Isa. 33.</sup>  
*cum ardoribus sempiternis?* <sup>14.</sup>

## PUNCTUM III.

**P**Oena potentiarum internarum. *Phantasia* <sup>Pœna</sup>  
 vexabitur tristibus imaginibus. Quale de Æ- <sup>potētia-</sup>  
 gyptiis olim scribitur, quod *personæ illis truces* <sup>1.</sup>  
*apparentes, pavorem illis præstabant: & transitu* <sup>rum in-</sup>  
*animalium, & serpentum sibilatione commoti tre-* <sup>ternarū.</sup>  
*mebundi peribant.* Hinc appetitus sensitivus per <sup>Sap. 17.</sup>  
 varias passiones distrahetur, & quasi lacerabitur <sup>49.</sup>  
 ab ira, tristitia, pavore, agonia, desperatione,  
 invidia, rabie.

*Memoria* jactabitur fluctibus cogitationum,  
 tum rerum præteritarum, tum imminentium,  
 quæ se importunè objicient, ac ingerent: nec  
 ex



ex ulla re solatium poterit accipere; & ipsæ olim perceptæ voluptates tormento erunt.

3. *Intelligentia* turbata, & excæcata aberrabit in iudicando, & pœnas inflictas iniustitiæ divinæ adscribet.

4. *Voluntas* in malo indurata, & obstinata erit, ut Deum ipsum oderit: & amicos ejus: neque in ulla re miser homo implere voluntatem suam poterit, unde aliquod levamen accipiat.

#### PUNCTUM IV.

Pœna  
damni  
similitu-  
dine ex-  
plicatur.

**R**estat pœna *damni*, quæ ex quibusdam similibus, licet infinitè distantibus, æstimari potest. Veluti, si quis excidat hereditate amplissima, si copiâ maximarum deliciarum privetur, si vita hac longè charissima per mortem exuatur intempestivè: sed hæc vilia sunt, nec conferenda. Plus valet, quòd viri sancti divinitus illustrati vel ad cogitationem solam tantæ jacturæ deficient animis. Porro damnati, etsi non percipiant intimis sensibus magnitudinem jacturæ, quam faciunt; poterunt tamen ex malis, quæ perferunt & patiuntur, ex parte aliqua conjectare. Nam Deus, qua ita severè vindicat peccata: haud dubiè non est in remūerando minùs liberalis, quàm in puniendo justus. Intuebuntur etiam aliquod gloriæ cælestis specimen, ex aspectu Sanctorum in die Iudicii, quodq; illos in beatas cæli regiones subvectos cognoscent, ipsis ad tartara detrusis: neque tamen honesti amor, aut Dei, erit causa dolendi de amisso illo bono: sed quod illius usura à tot malis eos vindicasset, &



& magna procul dubio quiete beâsser.

Cæterum jactura illa erit tanta, quantum est Dolor  
bonum, videre Deum sicuti est: & frui posses- damna-  
sione boni infiniti modo excellentissimo; item torum.  
quanti est corpora immortalia & impatibilia  
gestare, & potentias omnes animæ, tum exter-  
nas, tum internas, habere perfectas, & circa ob-  
jecta ipsis convenientissima occupatas. Frui  
etiam loci pulchritudine, incredibili, & socie-  
tate jucundissima hominum & Angelorum, abs-  
que omni amaritudine, vel offensione atque  
id totum in æternum. Amen.

---

*MODUS ORANDI PRO*  
*puritate Conscientiæ acquirenda.*

**I**N introductione Cap. 9. dictum est de tribus  
orandi modis, quorum unus confert ad pur-  
gandam conscientiam: versatur autem circa se-  
ptem vitia capitalia, Decalogi præcepta, tres  
animæ potentias, & quinque sensus interiores.  
Subjiciuntur porro de singulis partibus medita-  
tiones: ac primò de septem vitiis, quo sunt alio-  
rum vitiorum fontes, & in septem capitibus  
draconis significantur, qui in septem nationi-  
bus terræ Palestinæ, quæ subigendæ fuerunt,  
ut Iudæi illam possiderent. Subegerunt autem  
paulatim, non primo statim appulsu: quod ipsum  
nobis contingit. Nam licet per contritionem  
& confessionem delata sit culpa, remanent pra-  
væ consuetudines, effrenatæque passionēs, sen-  
sim



sim edomandæ. Sicut Moyses Israël dixit : *Ipsè*  
*Deus. 7. Deus consumet nationes has in conspectu tuo pau-*  
 22. *latim & per partes : non poteris eas delere pariter.*

Circa singula peccata considerabuntur tria.  
 1. Quomodo peccatur, etiam venialiter. 2. Dama-  
 na provenientia, & pœnæ in hac & in futura  
 vita debitæ. 3. Præmium vincentis.

## MEDITATIONES SU- PER CAPITALIA PECCATA. MEDITATIO XVIII.

*De Superbia.*

### PUNCTUM PRIMUM.

*Quid sit & quomodo peccatur ?*

Super-  
 biæ ac-  
 tus.

1.  
*Isa. 10.*  
 13.

2.  
 3.  
 4.

Vitia.

**E**st appetitus excellentiæ inordinatus, de bo-  
 nis five corporis, five animi. Habet quatuor  
 actus 1. Cùm tribuit sibi, quod est Dei, veluti  
 dicens: *Quis noster Dominus est ?* 2. Cùm à Deo  
 recognoscit, sed tanquam debitum suis meri-  
 tis, quod est gratiæ. 3. Cùm plura præsumit,  
 quàm habeat. 4. Cùm in habitis se excellere pu-  
 tat alios, aut cupit certè, quòd sibi cedant.

Ex superbia multa oriuntur vitia. 1. Vana glo-  
 ria, qua appetitur æstimari & laudari ab aliis.  
 hujus actus sunt; gloriatio de bonis habitis, ac si  
 ea non accepisset à Deo; vel de iis etiam, quæ  
 non habet; vel etiam de malis. Deinde studium  
 placendi hominibus propter laudem, denique  
 inane



inane gaudium, quod placeat illis, & in æstima-  
 tione sit, & est vana gloria detestabilior de bo-  
 nis animi, præsertim virtutibus, quod hæc cor-  
 rumpat. 2. Ex superbia oritur jactantia; cujus  
 actus sunt, laudare seipsum; venditare, quæ non  
 habet, aut exaggerare, quæ habet, & inaniter  
 propalare, quæ supprimenda forent. 3. Ambi-  
 tio honorum & dignitatum, quæ inordinata est,  
 cum appetit supra merita, aut mediis non con-  
 venientibus, aut affectu nimio, quasi finem con-  
 stituendo. 4. Præsumptio, qua, laudis appetitu,  
 majora suis viribus præsumit, & audet. 5. Hy-  
 pocrisis, simulando bonam intentionem, cum  
 sit vana, aut bona operando, causâ gloriæ.  
 6. Pertinacia, ubi par erat cedere alieno ju-  
 dicio, vel cum tuetur suum, ne errasse videatur.  
 7. Contemptus aliorum, non inferiorum tan-  
 tum, sed etiam æqualium & superiorum. *Super-*  
*bia enim ascendit semper.* Unde existunt innu-  
 merabilia peccata, discordiæ, rixæ, maledicta, *ps. 73.*  
 inobedientiæ, blasphemiæ. Circa hæc meditans, *23.*  
 ingrediar in meipsum, & recognoscam in sin-  
 gulis meos defectus, memet acriter reprehen-  
 dens! Miser, quid habes, quod non accepisti? Iam *1. Cor. 4. 7.*  
 dives factus es; jam saturatus es, jam solus regnas? *Apoc. 3.*  
 Et nescis quia tu es miser & miserabilis, & pauper, *Eccl. 10.*  
 & cecus, & nudus? Quid suberbis terra & cinis? *9. 25. 4.*  
 Pauperem superbum odit Deus.

## PUNCTUM II.

**D**amna superbiæ. Ea indicantur illis verbis: *Pœnæ*  
*Qui se exaltat, humiliabitur.* Ubi triplex *superbiæ*  
*F* *Mat. 23.*  
*pœ- 12.*



1.

pœna significatur. 1. Et quod spoliatur bono habitu. 2. Et quod frustratur desiderio. 3. Et quod pro exaltatione subeat humiliationem. Sic Lucifer amisit gratiam & dona, quibus ornatus fuerat, non attigit, quoad spiravit, & pro excelso folio, præcipitatus est in profundum luti. Quod exemplo Christus gloriantes discipulos repressit: *Videbam Satanam, sicut fulgur de caelo cadentem.* Ita Adam, Nabuchodonosor, Herodes, & alii.

Luc. 10.  
13.

2.

Dereli-  
ctio ju-  
sta.

Deinde superbos destituit Deus extraordinariis auxiliis, & labi sinit etiam in fœda peccata, quæ est pœna maxima. De Anania & Saphira affirmat Basilus, quod affectantes gloriam ex venditis facultatibus, permittente Deo, partem sibi reservaverit, unde & laudem facti, & vitam ipsam perdiderunt. Denique consideranda est æterna confusio, quam subibunt elati, quando eis improperebitur à superbis dæmonibus: *Et tu vulneratus es, sicut & nos? nostri similis factus es. detracta est ad inferos superbia tua.* O trabs superbiæ in oculo, quæ non finis videre! Amove, ut videam, IESU humillime!

3.  
Cōfusio.

Isaia. 14.  
10.

Mat. 7. 3.

## PUNCTUM III.

Mat. 23.  
12.

**M**erces humilium *Qui se humiliat: exaltabitur.* Primò educitur ex statu abjectionis, & miseriis. 2. Deinde conservata ipsi manent dona accepta. 3. Demum ad ampliora evehitur. Peccator seipsum humilians, eruitur à peccatis, recipit amissam gratiam, exaltatur ad dignitatem Filii Dei. Sic Publicanus descendit justificatus

Merces  
humiliū  
triplex.  
Exem-  
pla.



catus coram Deo, præ superbo Phariseo; & impius Achab, quia se humiliavit, avertit intentatum supplicium. Quod si peccator humilis exaltatur: quomodo justus humilitatis studiosus? augebitur haud dubiè copiosis gratiæ donis. Ergo, *quânto magnus es, humilia te in omnibus, & coram Deo invenies gratiam.* Sic Dei *Ecol. 3. 20.*

Mater exaltata est propter humilitatem suam, quin ipse Filius Dei. Nam generalis est regula absque exceptione: *Qui humiliat se, exaltabitur.* *Mat. 23. 12.*

Insurgam in meos circa hoc defectus, contrariisq; actibus eos extirpare conabor, initio facto ab humiliatione in rebus externis, quæ *Extirpatio vitij.* facilius est volenti, *quam humiliare seipsum.* Nam, *Serm. 2. 1.* si exaltare me velim, erunt, qui obsistant: si autem humiliare, nemo repugnabit. Est autem *drag.* expedita ac unica ratio vincendi superbiam, *humiliatio:* ut idem ait Bernardus.

## MEDITATIO XIX.

## De vitio Gula.

## PUNCTUM PRIMUM.

**E**st cibi & potûs inordinatus appetitus: peccatur autem quinque modis. 1. Si *Gula* contra præceptum vescamur vetitis ab Ecclesia, vel ab instituto, vel ex voto. 2. Si immoderatè in quantitate, cum gravi valetudinis corporis incommodo, vel animæ periculo, aut bibas usque ad *1. 2.* *judicij*



3. iudicij turbationem, vel amissionem. 3. In qualitate, si exquisitis & prætiosis supra statum, gulæ causâ. 4. In circumstantiis, si tempore aut loco non convenienti, aut sæpius, quàm par est, aut contra regulam tui instituti. 5. In modo, se nimis avidè & indecenter ingurgitando, quasi in cibum absorptus, vel ob solam oblectationem. De his examinabo meipsum, quòd vix absque culpa vescar, & proponam meliora.

## PUNCTUM II.

- Pœnæ. **P**Oenæ in gulosos. Ipsa gula secum pœnam  
 1. adfert. *Vigilia, & cholera, & tortura viro in-*  
 Sibi ipsi *frunito.* Læditur enim sanitas & mors accelera-  
*Eccel. 31.* tur. Et, *cui va: cui rixa? cui sine causa vulnera?*  
 23. *nomen his, qui morantur in vino, & student cali-*  
*Prov. 23.* *cibus epotandis?* Et Christus monet: *Attendite*  
 29. *Luc. 11.* *vobis, ne fortè graventur corda vestra crapula &*  
 34. *ebrietate, & superveniat in vos repentina dies illa.*  
 Amplius ineptum reddit orationi, & indignum  
 spiritalibus consolationibus, quòd indulgeat  
 carnalibus: facit inertem ad res magnas divini  
 obsequij, & qui à tam infirmo hoste superatur,  
 quomodo vincet fortiores?
2. Deinde considerandæ pœnæ à Deo inflictæ  
 Deus ul- ob gulam. Primi parentes è paradiso pulsati fue-  
 tor. runt. Iudæis in deserto carnes appetentibus,  
 cum haberent cæleste manna, *Ira Dei ascendit*  
*Ps 77.* *super eos, & occidit pingues eorum, cum adhuc es-*  
 31. *ca eorum essent in ore ipsorum.* Alias occisa sunt vi-  
*Exo. 32.* *ginti tria millia, quando sedit populus manduca-*  
 6. *re & bibere, & surrexerunt ludere, videlicet in*  
 ve-



venerationem Idoli. Quin Propheta *occisus est à leone*, quòd comedisset contra Dei mandatum. <sup>3.</sup> *Infernus*  
 In altera etiam vita peculiariter cruciebūtur. Ut <sup>Luc. 16.</sup>  
*ille dives, qui epulabatur quotidie splendide: postea*  
*verò expetiit, vel guttam aquæ: quæ ipsi est*  
*denegata.* Et contra Babylonem pronuntiatur: <sup>Apo. 18.</sup>  
*Quantum glorificavit se, & in deliciis fuit: tan-*  
*tum date illi tormentum & luctum.* Heu nolim, <sup>Genes.</sup>  
*ut Esau pro obsonio vendere primogenita mea!* <sup>25. 33.</sup>

## PUNCTUM III.

**M**erces temperantiæ. Ipsa sibi est merces, <sup>Bona tē-</sup>  
 quando sanitatem tuetur, & vitam produ- <sup>perantiæ</sup>  
 cit: animum aptat suis functionibus, & <sup>1.</sup>  
 dominari facit appetitui, & capacem reddit cæ- <sup>In corp.</sup>  
 lestium, & ad magna expeditum. *Vitia comprimit, mentem elevat, virtutem largitur.*

Deinde remunerat abstinenciam Deus melio- <sup>2.</sup>  
 ribus deliciis spiritus, ut fecit erga Daniele & <sup>Anima.</sup>  
 socius. Moysem etiam & Eliam per jejunium  
 ad sui consortium assumptis, & in Transfigura-  
 tione adhibuit testes. Post hanc verò vitam assi-  
 dere facit mensæ suæ, & singulariter reficit ab-  
 stinences. O, sim ex illis! *Crucifigam nunc car-* <sup>Gal. 3.</sup>  
*nem meam cum vitiis & concupiscentiis, ut illic* <sup>24.</sup>  
*epulari valeam.* Per sitim, fel. & acetum illud  
 tuum te obsecro, bone I E S U, merear pla-  
 care te cum Ninivitis, & pro tot  
 culpis satisfacere.





## MEDITATIO XX.

De Luxuria, &amp; bono Castitatis.

## PUNCTUM PRIMUM.

- I.** **Luxuria** **fit cogi- tatione.** **Q**uid sit. Est inordinatus appetitus delectationis carnalis Peccatur. 1. Cogitatione, cum voluntas in rem cogitatam consentit, vel deliberatè se oblectat ipsa cogitatione absque proposito perficiendi rem, quæ vocatur morosa delectatio: vel si minùs deliberatè oblectatur, saltem negligenter repellit cogitationem, aut ejus causam. 2. Peccatur verbo, aut aliquo sensuum exteriorum; verbo, proferendo inhonestas; auditu, sponte præbendo aures talibus; visu cum spectantur provocantia, vel leguntur: odoratu & gustatu, cum inde pellicimur ad inhonestas; tactu, cum mollioribus quis utitur, cum irritamento libidinis: nam tactus alioqui corporum est consummatio peccati, & pertinet ad opus
- 2.** **Verbo.** 3. peccatur opere consummato; vel se polluendo, vel alteri commiscendo; & hoc pro qualitate personæ est multiplex peccatum: si alter sit voto castitatis obstrictus, aut religiosus, aut conjugatus, aut si consanguinei. Extra etiam commissionem merus tactus suimet, vel alterius causa delectationis, est peccatum mortale.
- 3.** **Opere.**

## PUNCTUM II.

- Pœnæ** **1.** **P**œnæ. 1. Quæ ex ipso peccato nascuntur, sibi ipsi. nam Blandè ingreditur, sed in novissimo mordebit
- Prov. 13.**
- 32.**



debit, ut coluber, & sicut regulus venenum diffundit, Morbi, infamia, depauperatio, mors, sunt luxuriae fructus, & Paulus incestuosum Tradidit Satana in intritum carnis, ut in corpore à dæmone cruciaretur.

1. Cor. 5.  
5.

2. Pœnæ à Deo inflictæ in hac vita. Diluvio obruit mundum; Sodomam incendit: ex Israëlitis una die viginti tria millia occidit: nepotem Iacob, ob fulum semen, morte percussit; filios Heli perire fecit in bello; Samson autem, ob mulierem, in servitutem. Quid David, quid Salomon propterea passi sunt? Quod si isti: quin tu times? Pœnæ futuræ: *Per quæ quis peccavit in iis accerbissimè cruciabitur*: pro oblectatione cogitationum horrendis vexabitur imaginibus, sensus singuli proprio afficientur tormento: totus homo immersus stagno igni & sulphuris pro brevi voluptate æternum ardebit. Ergo fugite fornicationem, ait Paulus, fuga est præiens remedium. Unde etiam ait: *Fornicatio nec nominetur in vobis*. Ipsum nomen usurpari non debet, ne rei imaginè repræsentata, polluat mentem.

2.  
Deus ultor.

3.  
Infernus  
sap. 11.

17.

1. Cor. 6.

18.

Eph. 5. 3.

### PUNCTUM. III.

**B**orum castitatis comparatur lilio, ob sex Actus 6. Actus tanquam folia candidissima. 1. Custodia visus & auditus: ne quid subeat in animum impuri. Hi sunt custodes castitatis. 2. Tum aliorum sensuum odoratus, gustatus, & tactus mortificatio: ne quem igniculum suppedient. 3. Sermones, & motuum omnium corporis, gestuum.

Castit.

1.

2.

3.



fluūque modestia virginalis, nec non ipsius  
vestitūs moderatio, ac decens composito: ut  
4. nihil insit solum, ac leve. 4. Circumspecta  
5. familiaritas & conversatio cum hominibus, ca-  
vens, ne quid subrepat à puritate alienum. 5.  
provida declinatio occasionum, tam interna-  
rum, quàm externarum, Internæ sunt, super-  
bia, in quam Deus animadvertere solet per-  
missione lapsus: unde humilietur homo, & con-  
fundatur: deinde ira, quâ exardescit sanguis:  
tum otium, per quod diffluit mens, & totus  
homo. Externæ autem sunt, variæ, à loco, à  
Icel. 3. tempore, à sociis. *Qui amat periculum, peribit in*  
27. *illo.* 6. Putritas cordis ab incurſu malarum sig-  
6. gestionum; & corporis, ab involuntariis etiam  
motibus & illusionibus, tam per vigiliam quàm  
per sonnum, quantum homini possibile est.

## PUNCTUM IV.

1. Favor  
Angelo-  
rum.  
Dan. 3.  
50. **M**ultiplex favor Dei erga castos. 1. Favor,  
præsidium Angelorum peculiare: nam hi  
delectantur sui similibus, libenterque illis assi-  
stunt, sic in fornace tribus pueris adfuit Ange-  
lus, *Et excussit flammam ignis, & fecit medium*  
*fornacis, quasi ventum roris flantem.* Ita in ardore  
tentationis excutiunt flammam, ne mentem  
subeat per consensum: & rore cælesti ardorem  
carnis restingunt: atque in gratiarum actio-  
nem, pro victoria erumpere animam faciunt,  
2. unà cum tribus pueris in camino ignis. 2. Favor  
à peculiari ipsiusmet Dei protectione, qui pas-  
16. *citur inter lilia.* Quare ingruenti tentationi ob-  
23. jiciam



ſiciam illud Sufannæ: *Melius eſt mihi, quàm pec-*  
*care in conſpectu Domini.* 3. Favor, quòd pro ſpre-  
 tis nuptiis Deus ſibi peculiariter animam deſ-  
 pondet: juxta promiſſum Chriſti: *Qui uxorem*  
*reliquerit, centuplum accipiet in hac vita:* Non  
 centum uxores, ſed quod excedit centuplo o-  
 mnes conjugales voluptates. Norunt caſta pe-  
 ctora. 4. Favor, multiplicatio prolis: ne vel hic  
 fructus deſit prolis, ſunt multiplicia opera, bona,  
 quibus ſe exercet, qui diſuiſus non eſt per curas  
 matrimoniales, ſed uni Deo lucrificat: ut ſit  
 non ſolùm *frater*, & *ſoror*: verùm etiam *Mater*  
 Chriſti, quod ipſe Dominus aſſeruit. Quare non  
 dicat *Eunuchus*: *Ecce ego lignum aridum: quia hæc*  
*dicis Dominus Eunuchis: Dabo eis in domo mea*  
*locum & nomen melius à filiis & filiabus: nomen*  
*ſempiternum dabo eis, quod non peribit.* 5. Favor:  
 quod, quia ſupra hominem ſe per caſtimoniam  
 attollunt, Deus extra ordinem caſtos exaltat. Sic  
 B. Mariam, ut fieret Mater Dei; Ioannem, ut di-  
 lectus haberetur, & in ſinu recumberet, & tam  
 ſublimis futurorum revelationes acciperet: E-  
 lias, Eliſæus, Daniel, ejusque ſocii mirificati  
 ſunt ob meritum caſtitaſis. 6. Favor: quod *Se-*  
*quuntur Agnum, quocunque ierit, ſingulari ſo-*  
*cietate ei inhærentes.* O liceat mihi, Agne inno-  
 centiſſimæ, unà tecum per iſta cœli ſpatia diſ-  
 currendo modulari canticum novum, quod in-  
 coinquinatæ ſolùm animæ cantare poſſunt.

Iſtæ ſex pærogativæ erunt mihi munimen-  
 to ad verſus tentationes: meque obfirmado; di-  
 cens cum S. Joſeph: *Quomodo paſſum hoc malum*

F 5

facere,

3.  
 Nuptia-  
 rum cœ-  
 leſtium.  
*Luc. 18.*  
 29.  
 Filliorū  
 ſpiritua-  
 lium.

4.

Mat. 12.

50.

Iſa. 56 3.

5.

Extraor-  
dinaria.

6.

Sequun-  
tur. A-  
gnum.

Apoc. 14.

4.



*Ge. 32. 9. facere, & precare in dominum meum? Quin pal-  
lium, & adhuc facultates omnes, honorem, vi-  
tam ipsam posthabebo, ut merear, uti Ioseph  
ad regnum Ægypti, ita ipse ad complexum cæ-  
lestis Sponsi per studium castitatis aliquando  
pertingere.*

## MEDITATIO XXI.

### De Avaritia.

### PUNCTUM PRIMUM.

Avaritiā  
pecca-  
tur.

1.

2.

3.

1. Tim. 6.

10.

4.

1.

Ephes. 5.

5.

Col. 3. 5.

**Q**uid sit Avaritia. 1. Est inordinata appetitio  
divitiarum. Peccatur autem. 1. Si aliena  
concupiscat, contra præceptum decimum, vel  
etiam sibi usurpet, invito domino, contra septi-  
mum. 2. Si malè utatur propriis non impertiens  
egentibus, quando ex iustitia, vel ex charitate  
misericordiæque tenetur. 3. Si nimio studio fe-  
ratur, ut propterea negligat alias obligationes  
quibus tenetur: vel admittat aliqua alia pecca-  
ta, ut sunt mendacia, perjuria, fraudes, vio-  
lentiæ. Nam *Radix malorum omnium est cupidi-  
tas.* teste Paulo. 4. Si voto paupertatis adstri-  
ctus usurpet sibi aliquid de communibus abs-  
que Superioris licentia, vel alienet, dando,  
vel donatum accipiat sine ejusdem facultate,  
vel si concessis utatur affectu inordinato tan-  
quam propriis, vel si queratur & murmuret, cum  
subtrahuntur. 5. Si quis opera virtutis exerceat  
præcipuè sine lucris vel lucris causâ omittat exer-  
cere. Avaritia vocatur à Paulo *Idolorum servitus,*  
quia,



quia, tanquam Deo cuidam, servitur cupiditati,  
& omnia ejus causâ fiunt: Absit à me hæc im-  
pietas.

## PUNCTUM II.

**P**oenæ avari. 1. Ipsa avaritia est avari ultor, Dāna 3.  
miserrima servituti illum premens, quam 1.  
sentit in conquirendis tuendisque bonis. Item Sibi ipse.  
tanquam spinæ animam illius pungunt, tum  
curæ, tum remorsus conscientiæ, ut nec terre-  
nis quiete fruatur, & cælestia amittat: velut  
Iudas avarus, qui inter cælum & terram me-  
dius crepuit. 2. Solet eam Deus in hac vita pu- 2.  
nire: ut Achan, quod surripuisset de spoliis, Deus ul-  
jussu Dei lapidatus est: Nabal, quod Davidi tunc tor.  
egenti denegasset subsidium, Deo animad-  
vertente, extinctus est, Iezabel ob adeptam vi-  
neam, Deo disponente, à canibus devorata est;  
Ananias & Saphira ob partem pretii defrau-  
datam conciderunt repente mortui: Giezi, ob  
accepta munera contra Elisæi mandatum, le-  
prosus evasit: Iudas furari solitus de oblatiis,  
& magistri venditor ex avaritia factus, suspen-  
dio voluntario interiit. Et ecce quomodo hæc  
pestis omne genus hominum corripit, à Regi-  
bus usque ad Apostolum? 3. Æterna subsequetur 3.  
eos egestas, qualis illa Epulonis: & memo- Inferna.  
ria prioris abundantiae excruciat magis.

## PUNCTUM III.

**P**ræmia virtutis opposita. 1. Duobus modis Avaritia  
avaritia vincitur, vel frænando inordinatum vincitur



Mortifi-  
catione.

appetitum habendi, vel renunciando rebus ha-  
bitis & speratis; quò sic appetitus ipse ab ani-  
mo radicitus evellatur. Uterque modus potest  
intelligi per paupertatem spiri-<sup>us</sup>, cui promit-  
titur regnum cœlorum, sive hoc sit vita æter-

Rom. 14.  
17.

na, sive, quod Paulus etiam vocat regnum cœ-  
lorum in hac vita, *Iustitia, pax, gaudium in*  
*Spiritu Sancto*. Est autem iustitia meliorum di-  
vitiarum copia, nempe bonorum operum. Pax  
autem est à molestarum curarum perturbatione  
quies, quales ingerit avaritia: denique gau-  
dium spirituale à pacata conscientia. 2. Qui

2.  
Libera-  
litate.

viçta cupiditate distribuit sua liberaliter in  
pauperes, Deum erga se liberalem experietur,  
tum in temporalibus, tum in spiritualibus bo-  
nis refandendis, sicut promisit: *Date & dabi-*

Lue. 6.  
38.

*tur vobis: mensuram bonam & confertam, & coa-*  
*gitatam; & supereffluentem dabunt in sinum ve-*  
*strum*. Addit: *Eadem quippe mensura, quâ mensi*  
*fueritis, remetietur vobis*. Quasi dicat: Si vestra  
creverit liberalitas: etiam divina erga vos, qui-  
bus suffragatur Sapiens: *Alii dividunt propria &*  
*ditiones fiunt: alii repetunt non sua, & semper in*  
*egestate sunt. Anima, quæ benedicit, impingua-*  
*bitur: & qui inebriat, ipse quoque inebriabitur*. 3.

Pro 11.  
24.

3.  
Præmio  
cœlesti.

Peculiare præmium iis promittitur, qui de facto  
omnia sua relinquunt, centuplum in hac vita,  
& postea æternum, cum prærogativa confiden-  
di ad iudicandum tribus Israël. Tu qui propter  
nos egenus factus es, & in testimoniū mori nu-  
dus voluisti, aufer à me omne caducum deside-  
rium, ut tuæ opulentiaæ particeps in cœlo fiam!

Con-



Concipiendi sunt affectus in primo puncto indicati. 1. Ut habitis contentus sim, quamvis modicis: neque appetam aliena. 2. ut iisdem bene utar, & liberaliter in pauperes. 3. ut sine affectu habita possideam, quasi non habens. 4. Ut libenter etiam experiar defectum, causa Christum imitandi. 5. Serviam Deo non ob temporalia, sed quia dignus est, & ut assequar æterna.

Propo-  
ta quin-  
que.

## MEDITATIO XXII.

De Ira.

## PUNCTUM PRIMUM.

**I**Ra est appetitus inordinatus vindictæ, cum accensione sanguinis circa cor. Peccatur 1. mente, si concipiat odium personæ offendentis, si ulcisci proponat, si saltem desideret ei quidpiam mali evenire, si gaudeat de malo eveniente, aut tristetur. de illius bono. 2. Peccatur verbo, cum ex affectu vindictæ prorumpitur in convitia, aut detractionem, aut imprecationes malas, aut contentiones, rixasque verborum. 3. Opere, cum ex vindicta infertur aliquod damnum in corpore aut rebus, propria auctoritate: vel si à Magistratu flagitatur, id fit ex odio personæ, non sincero amore justitiæ: vel si inexorabilis planè homo sit ad condonandum. Porro ex ira existunt lites, factiones, bella.

Ira affinis est impatientia, quæ propriè non est appetitus vindictæ, sed immoderata tristitia ex

1.

Ira cogi-  
tationis.

2.

Verbi,

3.

Operis.

4.

Impa-  
tientia

ex



ex incommodis occurrentibus, & conatus repellendi illa. Ex quo affectu nascuntur variae peccata. Deum quidem, per modum querelae, & aliquando cum expressa blasphemia; in alios autem, exhibendo se morosum & asperum, & inquietum contra honum pacis: imò in ipsas bestias, prae impatentia, saeviendo, aut in res etiam inanimatas involando. Præterea in seipsum insurgit, mortem optando, vitæ tædio, ex impatentiâ malorum, vel morfu, aut simili impetu in semet irruendo.

## PUNCTVM II.

Pœnæ.

1.

Ipsa ira.

2.  
Deus.

Gen. 4.

24.

Mat. 5.

23.

**P**Oenæ. 1. Ipsa ira est sibi pœna, quia est velut phrenesis quædam, mentisque insania; imò quasi malus dæmon possidens hominem. Similia enim obsessis à dæmone agit. Deinde sic turbat animam, ut incapacem reddat cœlestium, & in habitantis Spiritûs Sancti, qui non requiescit nisi super quietum & humilem. 2. Deus ulciscitur ultores, jam à principio. Ultio dabitur septuplum de Caim, de Lamech verò septuagies septies. Sed illud præcipuum, quod Christus pronuntiavit: *Ego autem dico vobis, quia omnis, qui irascitur fratri, reus erit iudicio.* Antequam prodeat foras ira, jam apud Deum instituitur iudicium. *Qui autem dixerit fratri suo, Raca, reus erit concilio.* Si erumpat in signum, de ampliore pœna consultatur. *Qui autem dixerit, Fatue, reus erit gehennæ ignis.* Hic jam hoc ipso est reus æternæ damnationis, quando apertam contumeliam jactat. Quid si pejus aliquod in-



inferat? 3. Illic duplici torquebitur igne, ira-  
cundiæ & flammæ: nam eo, quod impatien-  
tissimè feret flammæ, nec vitare poterit, ra-  
bie percitus augebit incredibiliter cruciatum  
In quo differunt animæ justæ purgatorii; quod  
pœnas ferunt patienter, indèque referunt so-  
latium suæ conscientiæ.

Hinc discam primò declinare omnem motum  
iræ; qui suspectus est, quando etiam sumitur  
zelo iustitiæ, ne subsit appetitus propriæ vindi-  
ctæ. Secundò, insurgentem initio opprimam, initio.  
ne invalescat: nam *scintilla una augetur ignis*, Eccl. 11.  
ut Sapiens ait: nec est facilè auctum extingue-  
re.

## PUNCTVM III.

**B**onum compressæ iræ, sive mansuetudinis &  
patientiæ, quibus frænatur. Nam mansuetu-  
do aversatur nocere cuiquam & comem se exhi-  
bet etiam inferentibus injuriam: patientia su-  
stinet mala illata, ne idcirco homo exorbitet  
aut indignum aliquid faciat.

Fructus istarum virtutum sunt. 1. Pax cordis,  
quia *Mansueti possidebunt terram*: in potestate  
habebunt seiplos, & *In patientia vestra posside-  
bitis animas vestras*. 2. Mansuetudo reddit ama-  
biles: *Qui in mansuetudine opera sua perficit, su-  
per hominum gloriam diligitur*. 3. Patientia au-  
tem facit spectandos & admirabiles apud alios:  
*Melior est patiens viro forti, & qui dominatur  
animo suo, expungatore orbium*. Faciunt Deo  
amabilem, & accessum ad Deum pandunt,  
exem-

9.  
Infernus  
duplex.

Fuga.

Obsta

Eccl. 11.

34.

Fructus.

1.

Mat. 5. 4.

Luca 21.

19.

2.

Eccl. 3.

19.

3.

Pro. 16.

32.



96 Pars I. Meditatio XXIII.

exemplo Moyſis, ob inſignem manſuetudinem:

Quare jubet Paulus: *Volo viros orare omni loco,*

1. Tim. 2. *levantes puras manus ſine ira & diſceptatione.* 4.

3. Tales habent Spiritum Chriſti. Vnde Diſcipu-

4. lis cupientibus venire ignem de cœlo in Sama-

Luc. 9. 5. ritanos, quòd non recepiffent ipſos, Domini

5. ait? *Nescitis cujus ſpiritus eſtis: meus certè non*

*eſt ultionis ſpiritus, ſed benedictionis.* Vnde

1. Pet. 2. Petrus de illo: *Cùm malediceretur, non male-*

23. *dicebat: cùm pateretur, non comminabatur.*

MEDITATIO XXIII.

*De Invidia.*

PUNCTUM PRIMUM.

Invidia ex ſuperbia. **I**nvidia eſt triſtitia de bono proximi, quâ no-  
ſtrum excedit, vel obſcurat. Oritur ex ſu-  
perbia, & comitem habet iram; & ita utriſque  
actus, veluti odium proximi quia illius ſucceſ-  
ſus me obſcurant, gaudere de proximi depreſſio-  
ne, triſtari de laude, minuere illam, detrahere.

Materia.  
invidiæ.

1. Invidia diſtingui poteſt, juxta genera rerum  
quaſi objecta invidiæ. 1. De bonis externis aut

2. corporis, quòd præcellat divitiis, dignitate, ho-

3. nore, gratia hominum, corporis dotibus. Et

4. hæc eſt mundana. 2. De bonis intellectualibus.

3. De bonis virtutum. 4. De ipſamet charita-

te & gratiis gratuitis: quod eſt peccatum in

Spiritum Sanctum, quale fuit Luciferi, ut ideo

Sap. 2. 50. ſtruxerit homini inſidias ad peccandum. In-

*vidiâ enim diaboli mors introvit in orbem terra-*

*rum;*



rum: Quare invidi illum imitantur: proinde res indigna!

## PUNCTUM II.

**P**oenæ. i. Ab ipsamet invidia: nam exsiccatur <sup>Pœnæ</sup> sibi ipsa, offa, fovetur perinde bonis ac malis eventibus, & difficile curatur, quia, quod vilis sit animi, celatur. 1. Ab exemplis, Cain occidit fratrem, voluit occultare Deocrimen, desperavit de venia Ioseph à fratribus per invidiam venditus evasit illorum dominus. Dathan & Abiron in Moysen insurrexerunt, & absorpti sunt à terra. Saül in Davidem insanivit, & periiit. Iudæi Messiam suum crucifixerunt, in caput suum. 3. In inferno crudeliter eos rodet gloria Sanctorum, præsertim ex collatione abjectionis propriæ, atque miseriæ. Quare *Vae illis, qui in via Cain abierunt!* Similiter fratres suos prosequentes. *Et errore Balaam, mercede effusi sunt:* malis consiliis eosdem subvertere studentes. *Et in contradictione Core perierunt, non ferrentes sibi alios præferri.*

Prov. 14

10.

2.

Exempla

3.

Infernus

v. 12.

## PUNCTUM III.

**B**onum contrariæ virtutis quâ mortificatur invidia. Ea est charitas, in tribus præsertim actibus. 1. Insurgentes motus invidiæ statim opprimit. 2. Caudet de bono proximi, ac de proprio. 3. Optat alios excellere omnibus bonis, nihil inde sibi decedere putans.

Charita

tatis

actus.

1.

2.

3.

Dei gloria

Vrgemur ad hanc virtutem, quod gloriam Dei & commune bonum oportet præferre proprio:

G

quare



98 *Pars I. Meditatio XXIV.*

quare si ita Deus disponit, ut alii excellent, excelli animi est gratum id habere. Proinde non ut Iosue feremus ægrè, quòd alii prophetent: sed cum Moysè dicemus: *Quis tribuat, omnis populus prophetet?* Nec invidiâ tangemur, ut discipuli Ioannis, quòd Iesus baptizaret, & ad eum fieret concursus: sed respondebimus cum Ioanne: *Qui habet sponsam, sponsus est; amicus autem Sponsi gaudet propter vocem Sponsi. Hoc ergo gaudium meum impletum est, illi oportet crescere, me autem minui.* Deinde, si gaudeam de bono proximi, facio illud meum; & demereor Deum, ut me pluribus augeat. Si doleo de illius malo, Deus viciscim me à propriis expediet. Præterea sic agendo referam fructus charitatis; *Qui sunt pax, & gaudium in Spiritu Sancto*: Et imitabor statum Beatorum, ubi singuli sua conditione contenti per unionem charitatis communicant in bonis omnium; tanquam de propriis exultando, gratiasque agendo. Itaque *amulemur omnes in bono*, contendentes ad summam virtutem, non studio vincendi, sed Deo placendi quàm maximè.

MEDITATIO XXIV.

*De Acedia.*

PUNCTUM PRIMUM.

Acediâ  
pecca-  
tur.

I

**A**Cedia est tristitia inordinata & tædium actuum studiosorum laudabilem. In quo peccatur variè. 1. Peccatum nimius timor difficultatum, quæ virtutem comitantur, unde tædium.



dium. 2. Pusillanimitas, unde etiam occultantur talenta, nec exeruntur. 3. Languor in exequendis obligationibus, cum repugnantia, & ex necessitate magis, quam voluntate, & ob fines viles. 4. Inconstantia in bonis actionibus, vel variando ex tædio, vel non perducendo ad exitum. 5. Diffidentia superandi difficultates, usque ad desperationem. 6. Aversio à spiritualibus viris, quod nobis non sapiant spiritualia, vel quod ab eis moneri sit odiosum. 7. Otiositas & somnolentia, maximè in spiritualibus. 8. Evagatio per varia ad levandum tædium, vel laxando frænum cogitationibus quibuscunque, vel solvendo linguam, cæterosque sensus in omnia obvia, vel etiam de loco in locum obeundo, ut nullibi nulla in re consistere valeat. 9. Ex tota hac hominis habitudine sive dispositione oriuntur innumerabiles culpæ omissionis, & negligentiae infinitæ in omnibus actionibus debitis.

20

30

40

50

60

70

80

90

## PUNCTUM II.

**D**amna Acediæ. Est valde periculosa, & Damna. proclivis ad lapsum, arcet consolationes divinas, dat locum tentationibus dæmonis. *Qui assumptis secum pluribus nequioribus, occupat domum illam, tanquam vacantem. Multam quippe malitiam docuit otiositas, & de tali dicitur: Per agrum hominis pigri transivi, & ecce totum repleverant urtica, & operuerant superficiem ejus spine & maceria lapidum destructa erat. Horrida nimirum fit anima & pervia viatoribus, hoc est,*

10

Luc. 11.

26.

Eccl. 33.

29.

Prov. 24

30.

Prov. 20

C 2

dæmo-



4. e. 28. dæmonib<sup>9</sup>. *Qui propter frigus arare noluit, mēse*  
 19. *dicabit æstate, & non dabitur illi. Qui seclat in*  
 2. *otium, replebitur egestate.* 2. Quin iusti ipsi ab  
 Iusti. *acedia patiuntur damna. Nam Meledictus homo,*  
 Jerem. *qui facit opus Domini fraudulenter, sive negli-*  
 48. 10. *genter, & tepidi revomuntur à Domino, & onus*  
 Apoc. 3. *Christi suave, fit ipsis grave Pigrum dejicit ti-*  
 16. *mor: Remittit studium, metu difficultatis. Et*  
 Prov. 18. *desideria occidunt pigrum, quia vult & non vult:*  
 8. e. 21. *Sicque augitur sine fructu.* 3. Sed & in altera  
 25. *vita, Qui talentum domini sui defodit, ejicitur in*  
 Math. 25 *tenebras exteriores: Sicut & Iudæi ignavi exclusi*  
 28. & 30. *sunt à terra promissionis, duobus exceptis*  
*impigris, qui ad pergendum cæteros, hortati*  
*fuerant.*

## PUNCTUM III.

Bona & fructus **F**RUCTUS ex victoria acedia. i. Fit labor levis  
 1. & fructuosus, qui aliqui gravis, & inutilis  
 est acedioso, & talibus dicetur: *Iugum meum*  
 Mat. 11. *suave est, & onus meum leve.* Et hi una hora pro-  
 30. merentur, quantum alii *Toto die portantes pon-*  
 Mat 20. *dus diei & æstus:* quia cum fervore laborant.  
 12. 2. Singulariter placet Deo, quod ei alacriter  
 2. Cor. 9. *serviatur. Hilarem datorem diligit Deus;* Sicut  
 7. ipse impertit hilariter hominibus, quæcunque  
 donat, & talium petitiones & desideria cordis  
 exaudit: quin prægustare facit lætitiā, qua in  
 cælo Sancti obsequuntur Deo. O Deus! *Redde*  
 Ps. 50. 14 *mihi lætitiā salutaris tui, & Spiritu principali*  
 Ps. 18. 6. *confirma me.* Fac, ut quemadmodum tu *Exulta-*  
 Ps. 118. *sti, ut gigas ad currendam viam longè difficilli-*  
 32. *mam:*



mam: ita & ego. Viam mandatorum tuorum curri, cum dilatasti cor meum.

## MEDITATIO XXV.

### Super Decalogi Præcepta.

**H**abetur Zachariæ Cap. 5. Ego video volumē Visio.  
volans, longitudo ejus viginti cubitorum, & Zach. 50  
altitudo ejus decem cubitorū. Et dixit ad me, Hæc  
est maledictio, quæ egredietur super faciem omnis  
terræ, quia omnis fur, sicut ibi scriptū est judicabi-  
tur, & omnis juratus ex hoc similiter judicabitur:  
Educam illud (scilicet volumen) dicit Dominus  
& veniet ad domum furis, & ad domum jurantis  
in nomine meo mendaciter, & commorabitur in  
medio domus ejus, & consumet eam, & lingua  
ejus, ut lapides ejus. Hactenus visio. Tale quid in  
meditatione hac ob oculos ponemus, librum,  
ex quo peccata mea contra Dei præcepta con-  
signata sunt, simulque supplicia eis debita, quem  
jam super me advenientem intuebor ad perden-  
dum me cum omnibus.

Præcepta considerari possunt dupliciter: &  
qua continent, quod est de necessitate salutis,  
& qua, quod est perfectionis: vel secundum id,  
quod ad litteram verant, aut præcipiunt, & se-  
cundum spirituales sensum: atque hic etiam in  
ipsis meditationibus indicatur.

Sensus  
præce-  
ptorum.



## PVNCTVM PRIMVM.

*Quomodo circa singula peccetur?*

Peccata  
contra  
decem  
præce-  
pta.

Cōtra 1.

1.  
1. Regi 15.  
13.

Phil. 3. 19

Colof. 3. 5

Tit. 2. 16

**I**N primo præcipitur *cultus Dei*. Quò pertinent virtutes, *Fidei, Spei, Charitatis, & Religionis*, Contra quas peccatur contrariis actibus.

Contra *Fidem*, per idololatriam, aut infidelitatem aliam, & per solam dubitationem. Sed & est quoddam genus idololatriæ, pertinaciter suo iudicio adhærere. *Quasi peccatum enim ariolandi est repugnare, & quasi scelus idololatriæ Colof. 3. 5 nolle acquiescere.* Et sunt, quorum *Deus venter est Tit. 2. 16* Et avaritia est idolorum servitus, Et quidam dicunt se nōsse Deum, factis autem negant.

2. Contra *Spem* peccatur per diffidentiam; obtinendi veniam, aut consequendi gloriam, vel contra per præsumptionem ea assequendi, non adhibitis mediis necessariis.

3. Contra *Charitatem*, cū Deo præponitur creatura, & hujus voluntas divinæ præfertur. Vel, cū tepidè amatur, adeò non ex toto corde, mente, & viribus.

4. Denique contra *Religionem*, si debitus cultus negligatur.

Cōtra II. In secundo præcepto prohibetur *juramentum*, si absit veritas, aut necessitas, aut reverentia: quare peccatur, si aliter sentiam, quàm jurando affirmo, vel, si non intendam implere, quod promitto, vel si non impleam juratum, cū est bonum. Si sit malum, peccatur implendo, sicut & jurando. Deinde si necessitas absit



absit interponendi divinam testificationem, quia tunc leviter juratur. Denique si absque reverentia, quæ divino nomini summa debetur. Huc potest referri votum, præsertim juratum, in quod peccatur, differendo executionem, ut negligenter exequendo.

Contra

III.

In tertio præcipitur *Sanctificatio Festorum*, quæ perficitur, audiendo Missæ sacrum, & vacando ab operibus servilibus, aliæque agendo, quæ divini sunt cultus. Peccatur autem contra agendo.

Contra

IV.

In quarto præcipitur *Honor parentum*, qui non consistit in externa solum reverentia, sed magis in obedientia præstanda jussis illorum, & in subveniendi etiam necessitatibus corporalibus. Nec parentibus solum carnalibus observantia, obedientiæque debetur, sed aliis etiam superioribus, tam spiritualibus, quam civilibus: quoniam omnes, ut suadet Apostolus, honorare se mutuò debent: *Superiores sibi invicem arbitrantur*. Et tandem D. Petri consilio parendum est: *Subjuncti estote omni humanae creaturæ propter Deum*.

De ho-

nore pa-

rent.

Phil. 2.2

1. Pet. 2.

13.

Cōtra V.

De ho-

mucid.

Thef. 5.

19.

Id, Heb. 6.6.

In quinto prohibetur *Homicidium*. Quò spectant, quæ de ira dicta sunt Meditatione 22. sed & spirituale committitur homicidium sui ipsius, cum peccando, vita gratiæ perditur, & Paulus monet: *Spiritum nolite extinguere*: Id, quod fit divinas inspirationes veluti suffocando. Christus etiam ipse crucifigitur; quando. *Qui semel illuminati sunt, & gustaverunt donum ca-*

Occisio

leste,



**Spiritual.** *leste, prolabuntur, rursus crucifigentes sibi metip-  
sis Filium Dei. & ostentui habentes.* Quia faciunt  
id, propter quod oporteret Christum secundo  
mori, nisi prima mors pro infinita sua virtute,  
ad omnia suffecisset. Præterea occiditur spiri-  
tualiter proximus, quando ei scandalum præ-  
betur, & occasio peccandi, & cum spiritualia  
ipsi auxilia non præbentur: sicut occidit paupe-  
rem, qui egenti non succurrit.

**Contra  
VI**

**De for-  
nicatio-  
ne.**

**Adul-  
terium spi-  
rituale.**

In sexto: *Non mœchaberis*, prohibetur adul-  
terium & omnis luxuria, de quo Meditat. 20.  
dictum est.

Porro spirituale adulterium committitur,  
quando adhæretur creaturæ, posthabito Deo ve-  
ro animarum Sponso. Genus etiam adulterii  
est, quo opera bona verbæque divina adulteran-  
tur, quando non diriguntur in finem debitum.  
Oblivio etiam Dei per nimiam ad creatura effu-  
sionem cordis, similis est adulterio, & quædam  
rejectio sponsi.

**Contra  
VII de  
furto.  
Furtum  
spiritua-  
le.**

In septimo *Furtum vetatur*, de quo in avari-  
tia Medit. 21. Furtum autem spirituale est, cum  
gloriam soli Deo debitam ex bonis omnibus  
mihi vendico, vel cum tempus Dei obsequio  
debitum suffuror, ut inaniter consumam, vel  
cum pro injuria Deo peccatis meis illata non  
reddo gratiam, vel cum voluntatem meam jam  
Deo dicatam subtraho, faciens pro libitu meo:  
vel cum usurpo mihi iudicium de intentione  
factisque proximi, quæ ad divinum spectant  
tribunal, vel si cum principe latronum diabolo  
prædas



prædas agam de animabus, Charitatem aliasque virtutum opes diripiendo, vastando.

In octavo prohibetur *Falsum testimonium*, quod Contra spectant peccata linguæ, quibus honor aut fama proximi læditur, da quibus meditar. 22. falso testimon. Item iudicium temerarium huc refertur, & fictio, ad decipiendum proximum, per mendacium, hypocrisin, adulationem, & simulata officia.

Est etiam quoddam falsum testimonium in ipsum Deum, cum de illius bonitate, justitia, aut providentia non sentio, prout debeo, vel ita vivo, ut sim causa cur nomen ejus blasphemetur, aut lex ejus minori sit in pretio. Denique Deo mentior, cum non impleo vota, vel etiam proposita bona leviter depono.

Nonum & decimum præceptum in sexto & septimo continentur. Ista perpendes dolore & pudore afficiar, quod vel in uno peccans, factus sim omnium reus. Et est quodvis peccatum mortale quædam infidelitas, homicidium, adulterium, furtum, &c. ut expositum est. Quare in me ipsum, ut talem sancto zelo invehar, exprobrans mihi ipsi, quod talis fuerim. *Exitus aquarum deduxerunt oculi mei, quia non custodierunt legem tuam.* IX. & X. *Iac. 2.1.* *Psalm. 118.*

## PVNCTVM II.

**P**oenæ in transgressores præceptorum. Moyses multas & horribiles maledictiones in Dei nomine denuntiat: suprema illa erit gravissima, quam infliget Christus: *Ite maledicti* Maledictiones.



*Math. 25* in ignem aeternum. At scio Domine! quod memin-  
 41. mineris, ut parcas. Memento, quod pro nobis  
*Gala 13.* factus sis ipse maledictum, ut nos à maledicto  
 liberares.

Decem Deinde decem plagæ Ægyptiis inflictæ cum  
 Plagæ submersione in mare, repræsentant multiplicia  
 Ægypt- flagella peccatorum, cum suprema tandem in  
 tiorum. tartare detrusione. Tales etiam illæ septem  
 plagæ, per Angelos immittendæ ante diem ju-  
 dicii, quæ mortales reddent præ stupore atto-  
*Eccl. 23.* nitos. Præterea solent pecuniaria peccata pro-  
 12. priis vindicari pœnis. *Vir multum iurans imple-*  
*Prov. 30.* *bitur iniquitate, & non decedet à domo illius pla-*  
 17. *ga. Et, Oculū, qui subsannat patrem, aut matrem,*  
 Benedi- *effodiant illum corvi de torrentibus, & comedant*  
 ctiones. *Deut. 38 illum filij aquile.*

I.

## PUNCTVM III.

PRæmia observatæ legis. Moyses vicissim in  
 observatores legis multas confert benedi-  
 ctiones, temporales quidem pro conditione il-  
 lius testamenti, sed in quibus spirituales tan-  
 tò ampliores indicentur pro filiis novi testa-  
 menti. Sed nec temporales istis negantur,  
*Mat. 6. 3* quando Dominus filiis suis promisit: *Et hæc*  
 3. *omnia adjicientur vobis: nam qui aperit manum*  
*Psal. 14* *suam, & implet omne animal benedictione, quan-*  
 4. 16. *tò magis filios?*

Porro spirituales benedictiones comprehen-  
 duntur illo triplici genere bonorum, honesto,  
*Psal 18.* *utili, delectabili.* De honesto est illud: *Lex Do-*  
*Prov. 3. 2* *mini immaculata, convertens animas, sapientiam*  
 præstans



præstans parvulis. De utili: Longitudinē dierum,  
 & annos vite, & pacem apponent tibi, si præcepta  
 mea cor tuum custodiat. De delectabili: Iustitia  
 Domini rectj, letificantes corda. De utroque, Prov. 3  
 nempe utilitate & suavitate: Indicia Domini de- Ps. 118. 9  
 siderabilia super aurum & lapidem pretiosum, &  
 dulciora super mel & favum.

Colligi possunt tres affectus. 1. Dolor ob tan- 1.  
 tum bonum legis à me neglectum, cū trans- Affectus  
 gressio contra extiterit mihi triplici modo one- doloris.  
 rosa. Nam dehonestat hominem, multa affert  
 secum damna, & aculeo suo mordet conscien-  
 tiam. 2. Fiducia consequendi omnes illas bene- 2.  
 dictiones, quam ingenerat fidelis custodia man- Fiduciæ  
 datorum, juxta illud: Homo sensatus credit legi, Eccl. 33 3  
 & lex illi fidelis. Credit legi, promissā obser-  
 vatori bona redditum iri confidens: neque fal-  
 lit illum lex, sed præstat abundē. Igitur, ne di- Mal. 3 14  
 xeris cum impio: Vanus est, qui servit Deo, & 18.  
 quod emolumentum, quia custodivimus præcepta  
 ejus? Quin convertere ad Dominum, & videbis,  
 quid sit inter justum & impium, & inter servientē  
 tem Deo, & non servientem ei. 3. Studium legis: 3.  
 Circumda eam gutturi tuo, & describe in tabulis Amor  
 cordis tui. Tabulæ istæ sunt tres, memoria, à qua legis.  
 nunquam excidat; intellectus, qui assiduè de Prov. 3. 3  
 illa meditetur; voluntas, quæ ardeat illius de- Ps. 118.  
 fiderio. Quomodo dilexi legem tuam Domine? 97.  
 tota die meditatio mea est.

MEDI-



## MEDITATIO XXVI.

*Circa quinque sensus exteriores.*

## PVNCTVM PRIMVM.

1.  
Visus.

**Q**Vomodo circa eos peccaverim, 1. *Visu*, oblectando me sine discrimine, quorumvis aspectu, vanitatis aut curiositatis, aut etiam sensualitatis causa, nec cavendo noxia. In modo etiam, sublimes aut vagos oculos circumferendo, in quibus maximè enitet modestia. 2.

2.  
Auditus.

*Auditu*, patulas præbendo aures quibusvis sermonibus otiosis, vanis, scurrilibus, & nominatim detractoriis: contra verò, averlando pios sermones, monitaque salutaria.

Odoratus,  
Gustus.  
Tactus.

*De odoratu, gustu & tactu* dictum est circa peccata gulæ, & luxuriæ, sicut & de peccatis linguæ in præcedentibus, quæ varia sunt, in Deum aut proximum. *Lingua* enim, teste Iacobo, *est universitas iniquitatis; & ignis inflammans rotam nativitatis nostræ*, hoc est uni-

Iac. 3. 6.

versam vitæ propriæ periodum. Sed & ex circumstantiis peccatur lingua, cum verba à conditione statûs abhorrent, vel loco, aut tempore indebito, vel contra peculiarem regulam silentii religiosi. Huc spectare possunt motus corporis, gestusque immodesti, nam, teste Sapiente:

Ecl. 19  
17.

*Amictus corporis & risus dentium, & ingressus hominis enuntiant de illo.*

## PUNCTUM II.

**D**Amna ex incustodia sensuum. Nam, ut ait Propheta: *Ascendit mors per fenestras nostras.*



*Circa quinque Sensus exter.* 109

*Foras. Et Oculus meus depraedatus est animam meam.* *Thre 3.*  
Sic Eva decepta, Dina oppressa, David expu- *51.*  
gnatus, & est *tanquam urbs patens absque muro-* *Prov. 25.*  
*rum ambitu*, quæ facile capitur. Deinde per sen- *28.*  
sus invadunt animam mille rerum phantasmata;  
quæ passiones appetitis commovent, & quando  
non aliud, certè confundunt interiorem ho-  
minem, ut colligere se nequeat, & tandem  
exire foras, & evagari ipsum etiam cogunt.  
*Propter hoc prohibiti sunt cæli ne darent rorem, &* *Agg. 1.*  
*terra prohibita est, ne daret germen suum.* *10.* Priva-  
tur talis anima cœlesti influxu, rediturque in-  
fœcunda & sterilis.

Aptè huic convenit illud: *Vas, quod non ha-* *Num. 19.*  
*buerit operculum, nec ligaturam desuper, im-* *15.*  
*mundum erit.*

Ergo audi consilium bonum: *Sepi aures tuas*  
*spinis, & linguam nequam noli audire, & ori tuo* *Ecol. 28.*  
*facito ostia, & seras auribus tuis, & attende, ne* *28.*  
*fortè labaris in lingua, & cadas in conspectu ini-*  
*micorum insidiantium tibi, & sit casus tuus in-*  
*sanabilis in mortem.*

PUNCTUM III.

**B**ona ex sensuum custodia provenientia. 1. *1.*  
Dum occluduntur sensus vanitatibus, ape- *Mortifi-*  
riuntur Deo, cui placet valde mortificatio illo- *catio*  
rum: fit enim anima *hortus conclusus*, in quo li- *sensuum*  
benter diversatur sponsus, impletur Christi mo- *bona.*  
nitum. *Cum oraveris, intra in cubiculum tuum,* *Mat. 6. 6.*  
*& clauso ostio, ora Patrem tuum in abscondito.* *2.*  
Qui sensibus rectè utitur, & ex Dei voluntate  
vicissim



- 1er. 3. 11.* vicissim per eos haurit, quo juvetur in spiritu, & in Deum attollatur. Porro, sicut *fons de eodem foramine non manat dulcem & amaram aquam*: ita non convenitur quibus sensibus benedicimus Deum, iisdem abutamur ad illius offensam. 3. Modestia sensuum & exteriorum motuum ædificat mirum in modum intuentes, & ad videndum propius, quod intus est, allicit. *Modestia vestra*, inquit Paulus, *nota sit omnibus hominibus* quippe ad exemplum conferens plurimum, motivum autem addit, *Dominus enim prope est*. *Phil. 4. 5.* Sic vos gerite, ut qui in Dei præsentia versamini. 4. Propria cuique sensui reddetur merces post resurrectionem, tantò delectabilior præsentis jucunditate, ut operæ pretium sit modò sensus mortificare, ut illic satientur.

## MEDITATIO XXVII.

*Circa internas animæ potentias.*

## PUNCTUM PRIMUM.

1. Peccata ex parte *Intellectus* 1. *Ignorantia* eorum, quæ sunt creditu necessaria, vel quæ agi debent, tum universè ab omnibus, tum ab unoquoque speciatim, pro statu suo & officio. 2. *Inconsideratio* in agendo, non satis pensando, quid licitum, aut illicitum sit. 3. *Temeritas* in iudicando proximum, in quo sum injurius Deo, cujus partem mihi assumo, de occultis censendo, deinde etiam proximo, quem inconsultò damno. Quin mihi ipse noceo, quia permittit Deus



*Circa intern. anim. poten.* III

Deus nos labi in ea, de quibus temerè alios judicamus. 4. *Instabilitas* iudicii, quâ fit, ut bona proposita facilè mutem, & quibusvis apparentibus suggestionibus carnis, aut dæmonis, facilè abducatur; & prout phantasia est vaga, ita etiam mens quovis feratur. 5. *Pertinacia* proprii iudicii, flecti nescia. Hinc inobedientiæ, rebelliones, contentiones, elusiones, errores, *Præcipitabit me*, inquit Iob, *consilium meum* 6. Iob. 18. 7. *Prudentia* carnis, qua perspicaces sumus ad pervidenda quæ carnalibus mundanisque desideriis serviunt. Unde fraudes & doli excogitantur, adhibenturque passim. Huic vitio adnexæ sunt stultitia, ineptitudo, & traditas circa divina. Quàm enim sunt perspicaces ad terrena, tam sunt habetes ad cœlestia. *Animalis enim homo non percipit ea, quæ sunt Spiritus Dei, stultitia enim est illi & non potest ea intelligere.* Et *Quæcunque ignorat, blasphemat.* 7. *Curiositas* sciendi, quæ non expediunt, aut quæ supra captum, aut inutilia, & à statu meo aliena, aut nimio cum affectu, aut ob finem vanum, vel etiam malum, aut per media illicita: quæ omnia prohibentur illâ sententiâ. *Non plus sapere, quàm oportet sapere, sed sapere ad sobrietatem,*

Iam cum mens debeat esse lux actionum. *Si oculus tuus nequam fuerit, totum corpus tuum tenebrosum erit.* Et, *Si cæcus eaco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt.* Idcirco petam à Spiritu Sancto dona ejus septem adversus hæc totidem vitia, ut fiat intellectus meus, sicut argentum, *Purgatum terra, purgatum sepulchrum.*

PUN-



## PUNCTUM II.

Volun-  
tatis pec-  
cata.

Tripli-  
cia.

1.

2.

isa. 583.

3.

Serm. de  
Resur.

io. 5. 3.

Luc. 22.

42.

**P**Eccata propriæ voluntatis. Vocatur propria, & hoc ipso prava, quia cum fuerit à Deo creata, ut divinæ voluntati subiaceat, ita homo sibi facit propriam, ut nullo respectu, vel Dei ipsius, feratur in res quaslibet, eò tantum, quod sibi placent.

Hinc oriuntur peccata omnia, quæ ad tria capita possunt revocari. 1. est *Inobedientia*, legum omnium contemptrix, tum divinarum, tum humanarum, & Religiosi status in primis ruina: qui totus in propriæ voluntatis abnegatione consistit. 2. *Intentio prava*, quæ etiam bonæ actiones & alioqui Deo placituræ, redduntur vitiolæ. *Ecce in die jejunii vestri invenitur voluntas vestra.* 3. *Quærere tantum quæ SUA sunt*, unde usurpat sibi quævis, nullo respectu justî vel injusti. Rectè igitur Bernardus dicit. *Cesset propria voluntas, & non erit infernus.* Imò ipsamet in hac vita est sibi infernus: nam quæcunque nos affligunt, eò cruciant, quia voluntati repugnant nostræ. Fiant igitur voluntaria per electionem, & jam non infernus nobis erunt, sed ignis purgans peccata. Itaque Dominum meum imitabor dicentem, *Non quero voluntatem meam, sed ejus, qui misit me.* Et iterum, *Non mea voluntas, sed tua, fiat.* Proinde non queram amplius, quæ mea sunt, sed quæ **I E S U** Christi, & proximorum.

PUN-



PUNCTUM III.

**D**E potentiis internis materialibus, una est *Imaginatio*, *Phantasia*, quæ est instar cujusdam aulæ, infinitis rerum omnis generis imaginibus refertæ, quarum contemplatione sese oblectat ipsa phantasia, modò in has, modò in illas intenta, & trahit secum intellectum rationalem, ut iisdem intendat, ex quo peccata plurima omnis generis proveniunt.

Altare potentia est *appetitus sensitivus*, quasi *Appetitus sensitivus*, mare fluctibus vehementibus exagitatum, quia non aliud sunt passionibus amoris, odii, desiderii, fugæ, iræ, quàm fluctus turbulentissimi. Ista sunt instrumenta, quibus dæmon utitur ad nos pertrahendum in peccata. Ista bella movent spiritui: nam, *quòd nolo malum, hoc ago*. Quin ipsæmet passionibus inter se pugnantibus animam trahunt. Sape enim in aliud voluptas, in aliud ei contrarium ambitio trahit. *Infelix ego homo! quis me liberabit de corpore mortis huius? O custodes hominum, quare posuisti me contrarium tibi, & factus sum mihi met ipsi gravis.*

Rom. 7.  
15. v. 24.

Iob. 7. 20.

MEDITATIO XXVIII.

*De quotidiano examine conscientie.*

**C**ommendatur à SS. Patribus hoc exercitium: nam tenemur duplici debito erga Deum; altero gratiarum, ob beneficia quotidie accepta; altero resipiscentiæ à culpis quotidiana-

H

nis,



nis, quibus Deum offendimus. Et convenit à gratiis ordiri, ut prius reddamus Deo honorem, tum faciliùs veniam impetremus.

### PUNCTUM PRIMUM.

I.  
Gratiarum actio.

**C**ommemoratio beneficiorum, tum communium, tum peculiarium, & illius diei nominatim, cum humili gratiarum actione, consideratâ simul excellentiâ donantis & profuso amore; ex parte verò accipientis, propria indignitate. Igitur gratias agam, quia me creavit, redemit suo sanguine, vocavit ad fidem & gratiam, sibi que me incorporare dignatus est: tum quia alit, vestit, conservat, tueri que ab innummeris periculis corporis, multò autem magis, quòd ab animæ; & eam quotidianis inspirationibus ad bonum exsuscitat. Provocabo Angelos & Sanctos ad laudandum Deum, gratiasque agendum.

### PUNCTUM II.

Petitio gratiæ.

1.  
2.  
3.

**P**etitio gratiæ, ad cognoscenda & deffenda peccata, quæ tripliciter est necessaria.

1. Ut memoria juvetur ad reminiscendum.
2. Ut illustretur mens ad æstimandum.
3. Ut urgeatur voluntas ad dignè detestandum.

Hic funiculus triplex, oblivio, ignorantia, torpor, quo teneri constrictus à diabolo homo solet, quo minus se à peccatis expedire possit.

PUN.



## PUNCTUM III.

**E**Xamen & inquisitio commissorum. Ubi <sup>Examen</sup> proponam mihi ante oculos Deum omnium inspectorem ac judicem, qui *in lucernis scrutabitur Ierusalim*, ut dicit per Prophetam, <sup>Soph. 1. 12.</sup> occultissima quæque vel etiam minutissima in lucem producturus, quin iustitias ipsas iudicaturus, operaque bona, quæ sæpius malis circumstantiis depravantur. In conspectu igitur huius inspectoris ac iudicis mei inquiram in omnes cogitationes, verba & opera; nec modò commissa, sed omissa, neglectaque dispiciam: ac de occultis, à quibus mundari David flagitat, sollicitus ero: num aliquid admiserim per ignorantiam aliquam culpabilem, aut illusionem Diaboli persuasus, bonum esse, quod secùs erat, ut cum iram pro zelo sum interpretatus.

Materiam examinis præbebunt, quæ de 7. <sup>Materia examinis.</sup> vitiis, & decalogi præceptis, sensibusque & potentiis supra sunt explicata. In examinando, per spatia diei ordine discurram: & si boni aliquid reperero à me factum, humiliter Deo referam acceptum, de malis autem confundar, Et *confitebor adversum me iniquitatem meam Domino*, paratus etiam confiteri Sacerdoti, <sup>Psal. 31.</sup> non excusando aut minuendo, sed potius exag-

gerando cum veritate, ad maiorem  
meam confusio-

nem.

H

PUN-



## PUNCTUM IV.

Dolor.

**D**olor de amissis quàm maximus concipiendus, qui procedat ex vero amore Dei, qui tantæ est efficaciam, ut deleat peccata etiam mortalia, & in gratia hominem constituat, ac si contingat ea nocte mori, etiam sopitum, sufficiat ad salutem. Ita cum diceret David, *Ps. 31. 5. Confitebor adversum me iniquitatem meam.* subiecit statim, *Et tu remisisti impietatem peccati mei.* Et objurgatur idem à Nathan Propheta de homicidio & adulterio, cum pœnitens dixisset. *Peccavi Domino,* adjecit Propheta, *Dominus quoque transulit peccatum tuum.* Tanta est vis veræ contritionis, & tanti refert ita se reconciliare Deo ante cubitum, cum proposito in tempore confitendi, quod est necessarium. Iuvat ad excitandum hunc dolorem collatio primi & tertii puncti inter se; beneficiorum Dei, & redditarum à me offensarum. Item meditationes de peccatis, præsertim quinta supra posita, & trigesima prima sequens.

## PUNCTUM V.

Proposium.

**F**irmum propositum deinceps non peccandi concipiam: quod ut firmitus sit, occasiones sigillatim vitare proponam, per quas labi solitus sum: & quia sine Deo nil possum, hunc obnixè obsecrabo per Filii sui sanguinē pretiosum. Concludam autem cum recitatione Dominicæ præcationis, præsertim in tribus ultimis petitionibus immorando, & cum Deo colloquendo.

ME.



## MEDITATIO XXIX.

*De examine particulari circa speciale aliquod vitium.*

**C**ommendatur à Cassiano Col. 5. c. 14. & à B. Patre Ignatio modus traditur. Sic hostes faciliùs expugnantur, quando se junctim invaduntur: & ita egerunt filii Israël in expugnanda Palæstina.

Porro tria tempora huic exercitationi assignantur: matutinum, pomeridianum, vespertinum, exemplo David *Vespere, & manè, & meridiem narrabo, & exaudies vocem meam.* Quid narraret, nisi miseras suas coram Deo effunderet? *Ps. 54. 18.*  
Daniel quoque tribus diei temporibus flectebat genua sua, & adorabat, confitebaturque coram Deo suo. *Dan. 6. 10.*

## PUNCTUM PRIMUM.

**M**Anè, ubi vestes indui, hæc præstabo. 1. Positis genibus gratias pro ejus noctis quiete, & conservatione à peccatis agam, tum, brevi reflexione facta dispiciam, si quid à vespertino examine peccatum sit, & deslebo. 2. Intentionem puram Deo offeram circa omnes ejus diei actiones; cupiens, & petens acceptari à Deo in unione Christi meritorum, ut illis conjunctæ, reddantur acceptæ in conspectu Dei. 3. Proponam vitare omnem culpam, & speciatim, quam expugnandam suscepi. Hoc est videlicet, *Matutinum examen. 2. Oblatio. 3. Propositum.*

H 3

quod



*Ps. 100. 8.* quod agebat David. *In matutino interficiebam omnes peccatores terra*, manè & in tempore peccata prævertere; quod propositum ut sit efficacius, juvat ea breviter prævidere ac recolere, in quibus pro ratione statûs, & conditione mea plus subest periculi, ad ea me præmuniendo certis rationibus, cum divina ope. Illud etiam provectioribus in spiritu potest conferre, ut molesta quædam, & ingrata sibi objiciant, ad eaque superanda, si contingant, seipsos animent, atque obfirmant, quò paratiores sint ad eventus, imò optent sibi evenire, juxta illud. *Proba me Domine, & tenta me, ure renes meos, & cor meum, quia misericordia tua ante oculos meos est*, quâ confusus, nihil metuo. Et si istud minus mortificatis non est semper usui, quia possent deterreri, & in contraria impelli.

## PUNCTUM II.

Examen  
meridia-  
num,

**A**lterum tempus est meridianum. Tunc, implorato lumine divino, discutiam, an & quoties deliquerim in speciali vitio, quod persequor, ac pro numero & gravitate meipsum arguam inconstantia acriter post tam seria proposita, & inquiram de modo & occasione lapsuum, cum instauratione propositi.

Christus  
crucifi-  
xus.

Juvabit ad se confirmandum, commemorare, Christum per id tempus cruci affixum fuisse, & perseverasse constanter plures horas in acerbissimis doloribus; sub idem etiam tempus ascendisse in cœlum, laborum fructus percepturum. Qua utraque consideratione animari possum



ad vincendum, dicamque Domino. *Indica mihi, ubi pascas, ubi cubes in meridie, ne vagari incipiam post vestigia gregum, irrationalium videlicet cupiditatum.* Cant. 1. 7.

### PUNCTUM III.

**T**Empus tertium examinis particularis ante cubationem. Præstabo quæ in meridie, ac si sæpius deliquissem, eò me acriùs objurgabo, non despondebo tamen animo, quia *sepius cadet justus, & resurget.* Vesperatinum. Pro. 24. 16.

Similis collatio erratorum fiet inter diem & diem, & inter hebdomadas, ut constet fructus, & emendatio. Tandem proderit, quandoque peccatur, tunc sione pectoris, aut alio signo semet statim corripere: nam sic retinebitur melius numerus culparum, & cautior reddetur homo à lapsu: & fiet, quod illic dicitur. *Sepius cadet justus, & resurget, quia statim se colliget & resipiscet.* Collatio Prov. 24. 16.

## MEDITATIONES

### Ante Confessionem Sacramentalem, & sacram Communionem.

**Q**uoniam ad parandam conscientie munditiam, quod in hac parte meditationum agitur, confert plurimum frequens usus & pius istorum Sacramentorum, de iis aliquas meditationes visum est proponere.



## MEDITATIO XXX.

De Sacramento Pœnitentiæ.

## PUNCTUM PRIMUM.

Pœnitentiæ excellen-  
tia.I.  
Isa. 43.  
25.

QUOD eximium sit beneficium Dei, Sacramentum Pœnitentiæ. 1. Quia cùm solius Dei sit peccata remittere, ut dicit ipse per Isaiam. *Ego sum, ego sum ipse, qui deleo iniquitates tuas propter me*, voluit tamen hanc potestatem cum hominibus communicare, perinde peccato obnoxiiis & ejusdem Sacramenti ope indigentibus, ut peccatoribus animos adderet, quando ipsi Sacerdotes eadem laborant infirmitate, unde compati possint. Contulit autem potestatem absque omni restrictione, aut exceptione illius generis, peccati, vel numeri culparum, si vel septuagesies septies, quod est, vel si infinities homo peccaverit. Ex quo apparet bonitas Dei, quæ sic est prona & facilis ad ignoscendum, imò optat ignoscere.

2.

2. Quod Deus severissimum judicium, quod post hanc vitam manet, commutaverit in hoc placidissimum Sacramentum Pœnitentiæ, modo uti velimus, juxta Pauli sententiam. *Si nosmet ipsos judicaremus, non utique judicaremur.* Quia ut alibi dicitur, *Non consurget duplex tribulatio.*

1. Cor. 11.

31.

Nah 1.2.

3.

3. Hic est fons patens domui David, & habitantibus Ierusalem in ablutionem peccatoris & menstruata.

I.

PUN-



## PUNCTUM II.

**Q**UOD actus confitendi sit præstantissimus ob  
 adjunctas virtutes, quæ simul exercentur. Actus  
virtutis  
 1. Est fides, qua creditur, talem potestatem ho- confes-  
 minibus datam esse à Deo, & quasi claves regni sionis.  
 cœlorum. 2. Spes, qua contra usum aliorum 1.  
 tribunalium per confessionem facti speratur 2.  
 absolutio à reatu. 3. Charitas, ex qua procedit 3.  
 dolor peccatorum, & studium recuperandæ 4.  
 gratiæ, qua inhæreamus Deo. 4. Humilitas in 5.  
 aperiendo secreta cordis homini, ad sui con- 6.  
 fusionem, ut velit haberi pro eo, quod est pec- 7.  
 cator. 5. Obedientia, in exequendo præcepto, Iob. 31.  
 quamvis difficili, confessionis, subjiciendoque 33.  
 se homini, paratum ad facienda injuncta. 6. Iu- 4. Reg. 4.  
 stitia quando ad satisfaciendum Deo pro offen- 35.  
 sis, personam sumit ipsemet accusatoris, & re-  
 stis, sententiæque executoris. 7. Fortitudo in  
 superanda vehementi inclinatione, ad oc-  
 cultanda excusandæque peccata, quod fecit  
 Adam in paradiso, & pro magno prædicat S.  
 Iob. *Si abscondi, quasi homo peccatum meum.*  
 Imò, nonnunquam plus requiritur fortitudinis  
 ad seipsum in hac re vincendum, quàm fuerat  
 necessaria ad præcavendum peccatum.

Hinc constat, humilem confessionem esse  
 opus magni meriti, prædictosque actus ma- Meri-  
tum con-  
fitendi  
 gno fervore concipiendos esse, quò sit confes- 4. Reg. 4.  
 sio fructuosior. *Puer ab Elisæo suscitatus osci-*  
*navit septies*, ita nos per hos septem actus, qua- 35.  
 si totidem respiraciones, recipimus vitam gra-



tia: & æquum est, ut cùm in hoc Sacramento dimittantur peccata septem mortalia, & dona septem Spiritûs Sancti conferantur, vicissim DEO hõsce actus totidem offeramus.

## PUNCTUM III.

3. Fruct<sup>9</sup> **F**RUCTUS Sacramenti hujus considerandi sunt, qui reduci possunt ad tres, de quibus dicitur. *Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudium in Spiritu Sancto.*
- Rom. 14. 17.*
1. **Iustitia.** 1. Est *Iustitia*, hoc est, gratia sanctificans animam, gratiamque Deo faciens, & constituens filium Dei. Cui adnexa est charitas, cæteraque dona Spiritûs Sancti, virtutesque infusæ. Quod si jam justificatus ad Sacramentum accedit, recipit augmentum gratiæ: nam, *Qui iustus est, iustificetur adhuc.* 2. **Pax;** utique cum Deo, sed & ab aliis inimicis; quales sunt ipsa in primis peccata, deinde dæmones, & passionis propriæ. Primos hostes, hoc est, peccata penitus delet. Secundos fugat, quippe non sustinent dæmones, manifestari medico morbos animæ. Tertios subigit Spiritui, sicut ait *Sapiens: Cùm placuerint Domino via hominis inimicos quoque eius convertet ad pacem.* Nempe tentationes & internæ difficultates occultatæ non sinunt animam quiescere, expositæ autem Patri spirituali remittunt impugnationem. 3. **Gaudiū.** *Gaudium* in Spiritu Sancto, depulsa nube tristi- tiæ, ex aculeo conscientiæ, & serenitate red- dita ex testimonio remissionis peccatorum, & meliore



meliore spe salutis : quod experiebatur David :  
*Auditui meo dabis gaudium & letitiam, & ex-* Ps 50.10.  
*ultabunt ossa humiliata. Ipsa ossa reviviscunt,*  
 quæ exsiccabat tristitia.

Ex horum consideratione fructuum excita-  
 bo meipsum ad superandas difficultates con-  
 fessionis, tum etiam ex eo, quod Christus tan-  
 to majora præstiterit, ut mihi veniam para-  
 ret peccatorum. Denique, quod potuisset  
 graviora his mihi imponere, ad remissionem  
 obtinendam, qui alioqui reus eram æternæ  
 confusionis, quare in me quadrat illud servi 4. Reg 5.  
 dictum ad Naamen: *Pater, etsi rem grandem* 13.  
*dixisset tibi Propheta, certè facere debueras:*  
*quantò magis, quia nunc dixit tibi: Lavare,*  
*& mundaberis?* Ergo pro anima tua non con-  
 fundaris, dicere verum: *Est enim confusio ad-* Eccl. 4.  
*ducens peccatum, & est confusio adducens glo-* 24.  
*riam & gratiam.*

## MEDITATIO XXXI.

### *Præparatio ad Confessionem.*

**A**Nte iudicium Sacramentale instituam ego Actus  
 ipse mecum iudicium de meipso. Ubi Ra- Pœnit.  
 tio ipsa sit iudex, decernens de gravitate culpa-  
 rum, & severam indicens pœnam. *Conscientia*  
 accusator accuratissimus nihil indiscussum re-  
 linquens; *Timor* autem divini iudicii, quasi li-  
 ctor, me ad quævis pro avertenda severitate il-  
 lius iudicii velut adstringens, paratūmque ex-  
 hibens.



hibens. Denique dolor sit exactor pœnæ. Et est quod S. Gregorius ait: *Conscientia accusat, ratio judicat, timor ligat, dolor excruciat.* Porro iudicium hoc privatum peragam, supremum iudicem Deum ante oculos constituens, inspectorem totius meæ actionis: ut inde exstimuler ad severius procedendum adversum me, quod exoptabat S. Iob: *Quis tribuat, ut veniam usque ad solium ejus? ponam coram eo iudicium, & os meum replebo increpationibus.* Et Isaias: *Reduc me in memoriam, & iudicemur simul.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Sunt partes pœnitentiæ. **Q**UOD Deus voluerit, ut actus hominis ipsius, essent pars Sacramenti Pœnitentiæ, ut qui nostris actibus Deum offendimus, nostris quoq; divina ope factis impetraremus veniam, Quare convenit, ut quàm exactissimè perficiantur, sicut universè monemur: *In omnibus operibus tuis præcellens esto.* Sunt porro tres, *Contritio, Confessio, Satisfactio:* Quæ respondent triplici generi culparum, cogitationis, oris, & operis, pro singulis speciatim implorabimus gratiam; pro contritione. à Spiritu Sancto, qui est amor, ex quo debet manare contritio; à Filio, pro confessione, ut qui est sapientia, faciat me cognoscere exactè omnia, & integrè confiteri: à Patre pro satisfactione, ut cujus est potentia, conferat fortitudinem ad exequenda opera satisfactionis, fructusque faciendo pœnitentiæ.

PUN.



PUNCTUM II.

**R**equisita ad prædictos actus. Ac primò **Confusio** ad contritionem non sufficit dolor ex metu servili supplicii, qui vocatur atritio, sed debet ex amore Dei super omnia proficisci, qui vocatur contritio. Est autem contritio mensurata gratiæ in Sacramento conferendæ, ut pro magnitudine contritionis, datur gratia major vel minor. Ex quo intelligitur, quanti referat dolorem esse quàm maximum. Ad quem excitandum juvant allata superiùs med. V. quibus addi possunt ista.

I. Quod si mater amarissimè flet super mortem unigeniti, quomodo non ego super morte spiritali animæ meæ, unicæ & dilectæ, quam ipse interemi peccando? *Luctum*, inquit Ierem. *unigeniti fac tibi, planctum amarum.* Et verò *planctus super filio est inutilis, iste verò super animam, reddit illi vitam.* Nec solùm flendum, quia mihi periit anima, sed quia periit Deo, cuius in primis erat. Ergo, *Domine, erue à fratre mea animam meam, & de manu canis unicam meam.*

II. De Christi morte est apud Zachariam, *Plangent eum planctu, quasi super unigenitum.* Ego autem peccando præbui occasionem morti ejus, imò, *rursum mihi met ipsi Filium Dei crucifixum, & ostentui habui.* Et quibus non lacrymis tantum facinus expiabo?

III. *Sponsa* mœret de amisso sponso, cum quo omnia amisit, & anima dolore latis unquam poterit

Confusio qualis.

Similia.

I. Ut Mater unigenitum.

Ier. 6 26.

ps. 21, 21

II. Ut Christum crucifixum.

Zach. 12.

III. Ut Sponsam amissam.



poterit jacturam cœlesti sponsi, omniumque, quæ sibi contulerat charissimum? Viduata porro caret etiam fructu proles bonorum operum. Quod si istæ considerationes lacrymas amoris non eliciunt, accersantur aliæ, à severitate divini judicii, & suppliciorum, quæ timoris lacrymas provocent, unde ad amorem fiat gradus.

## PUNCTUM III.

Cōfessio

1.  
integra.

**R**equisita ad Confessionem. i. Propositum certum confitendi omnia, superata omni confusione. Nam, si pudore nunc vincaris, quomodo feres confusionem judicii tremendi? & cum tua delicta perspecta sint Deo, ut quid refugis eadem ministro illius manifestare? præsertim, quòd manifestatio hæc est tibi ad vitam, non sicut illa *Achan*, cum jussus est *confiteri furtum, & dare gloriam Deo*, ob quod lapidatus est; sed qualis fuit Davidis apud *Nathan*, à quo retulit responsum, Et *Dominus transtulit peccatum tuum*. Quare expedit, ut confessio inchoetur ab eo peccato, de quo mox erubescimus: ut Goliath prostrato, phalanges reliquæ facile profligabuntur.

*Ios. 7. 25.**1. Reg.**12. 13.*

II.

Cādida.

II. Propositum cum omni demissione confitendis, ut sit confessio clara & simplex, absque excusatione sui, vel accusatione alterius, ut fecere primi parentes; item absque diminutione peccati, vel etiam exaggeratione, quæ obstat veritate, in qua potest subesse superbia per ostentationem humilitatis.

III. Ut



*Preparatio ad confessionem.* 127

III. Ut velit Confessarii monita patienter, III.  
libenterque audire, ut audivit David reprehen- Humilis  
sionem Prophetæ. *Audi tacens, & pro reveren-* Eccl. 32.  
*tia accedit tibi bona gratia.* 9.

Conferet ad hæc, intueri personam Confes- Sacer-  
sarii tanquam Dei ipsius, Deumque in illo in- dos  
terius & exterius venerari, nam & ideo sacer- Dei Vi-  
dos non utitur verbis precatoriis in absolven- carius.  
do, sed absolutæ potestatis. *Ego te absolvo.* O  
quanti istud salutis verbum comparari dignum  
est? & amittes tu ob levissimum pudorem? Au- Eccl. 20.  
di Sapientem. *Quam bonum est correptum ma-* 4.  
*nifestare poenitentiam? sic enim effugies volun-* Ezech.  
*tarium peccatum.* Si manifestaveris *Omnium* 18. 22.  
*iniquitatum tuarum non recordebitur Dominus.*

PUNCTUM IV.

Circa Satisfactionem. I. Paratus ero præ- Satisfa-  
stare omnia, quæ mihi fuerint à Confessa- tio.  
rio injuncta, vel ad medicinam peccato facien- I.  
dam, vel ad satisfaciendum: Deo pro injuria, Obediēs  
nam cum grātis mihi remittatur pœna æterna  
culpæ mortali debita, inque temporariam  
committetur, convenit, ut hanc tota voluntate  
fufcipiam, sicut David. *Ego in flagella paratus* Ps. 37.  
*sum, & dolor meus in conspectu meo semper; quo-* 18.  
*niam iniquitatem meam annuntiabo, & cogitabo*  
*pro peccato meo.*

II. Iuverit memoria acerbissimæ poenitentia, II.  
quam Christus in passione sua subivit pro pec- Memo-  
catis meis, ne pro magno mihi sit, tantò mino- ria pas-  
rem pro reatu me peragere. Confert etiam pœ- sionis  
Christi,  
nas



Purga-  
torii.

nas purgatorii cogitare, quæ cum gravissimæ sint, licet eas nunc redimere minori multò satisfactione. Quin hæc ipsa satisfactio acceptatur à Deo ad novum augmentum gratiæ & gloriæ, quod purgatorii cruciatibus non est concessum.

III.  
Propos-  
tum e-  
mendan-  
di.Ier. 31.  
21.

III. Necessarium est, serium propositum non peccandi in posterum, sine quo est contritio ficta, confessio sacrilega, satisfactio inutilis, & absolutio iuanis ab effectu, quin nec venialis culpa absque simili proposito remitti potest. Quamobrem, ut monet Ieremias, *Statue tibi speculam* (explora peccata tua) *pone tibi amari- tudines* (amarè illa desle) *digire cor tuum in viam rectam, in qua ambulasti*, quod est, pronpone ex corde vitam tuam corrigere.

## MEDITATIO XXXII.

*Gratiarum actio pro beneficio ab-  
solutionis.*

Confes-  
laudis.Osea 14.  
2.Vitulila-  
biorum.

Duplex est confessio, & peccatorum, & lau- dis divinæ: convenit autem, ut hæc illi suc- cedat, quod suadet Oseas. *Convertere. Israël, ad Dominum Deum tuum, quoniam corruisti in ini- quitate tua. Tollite vobiscum verba, & dicite ei, Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum & reddemus vitulos labiorum nostrorum.* En humilis confessio peccati, cum ait *Omnem aufer iniqui- tatem*, propositum autem emendationis ibi. *Et accipe bonum*, deniq; gratiarum actio sunt vitu- li labiorum. De qua etiam David, *Sacrificium laudis honorificabit me, & illic iter, quò ostendam illi*



illi salutare Dei, nempe gratitudo, pro accepta gratia, est via ad perfectam salutem consequendam. Ideo Christo tantopere placuit Samaritanus ille, qui cum aliis novem à lepra mundatus, rediit unicus ad gratias agendas. Gratitudo.

Opportunum fuerit in templum se recipere, & coram venerabili Sacramento, opus hoc peragere gratiarum, memorando dulce illud verbum ac potens: *Absolve te: quod auditui meo dedit gaudium, & exultare fecit ossa humiliata.* ps. 50. 10 Constant autem gratiæ tribus actibus, agnitione beneficii, laude auctoris, oblatione certi operis in illius obsequium.

### PUNCTUM PRIMUM.

**A**gnitio beneficiorum Dei in Sacramento Benefi-  
pœnitentiæ præceptorum. 1. Quod omnia cia con-  
peccata mihi condonaverit, etiam ea, quæ non fessionis.  
fuerim confessus per oblivionem, aut ignoran-  
tiam inculpabilem. 2. Quod animum pacaverit  
meum à passionibus internis agitatum. 3. Quod  
à morte æterna, & ea, quam privatio gratiæ,  
& amicitiae divinæ affert, me vindicaverit. 4.  
Quod in misericordia sua prævenit me, ut  
titè obirem Sacramentum, auxiliâque nunc of-  
ferat oportuna ad vincendas tentationes, per-  
manendumque in gratia. 5. Quod repleverit in  
bonis desiderium meum, donans gratiam & cha-  
ritatem, virtutesque reliquas infusas, aut si  
aderant, novis augens incrementis. 6. Quod  
renovaverit, ut aquilæ juventutem meam, de-  
positis actibus veteris hominis alacremque red-  
dens



dens ad opera virtutum, & viam mandatorum  
Dei novo fervore decurrendam.

## PUNCTUM II.

**C**onfessio laudis pro iisdem beneficiis. Quodrat illud Canticum Davidis, *Benedic anima mea Domino, & omnia, quae intra me sunt, nomini sancto eius, quod licebit percurrere.* Orabo sup-  
*Ps. 102. 1* plex, ut impleatur in me illud. *Qui sperant in Domino, mutabunt fortitudinem, assumunt penas sicut aquila, current & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient.*  
*Is. 40. 31*

## PUNCTUM III.

**O**blatio operis pro beneficiis. I. Praecipuum  
 Recidi-  
 va ca-  
 venda. **O** est cautio à recidivo, quod monuit Domi-  
 nus. *Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne de-*  
*Ioan. 5.* *terius tibi aliquid contingat, ne ut canis revertatur*  
*14.* *ad vomitum, aut locum des septem aliis spiriti-*  
*2 Pet. 2.* *bus nequioribus, & fiant novissima pejora priori-*  
*22.* *bus, Et est signum non seriae poenitentiae, mox*  
*Luc. 11.* *secutus lapsus, & tali convenit illud. Qui bapti-*  
*26.* *zatur à mortuo, & iterum tangit eum, quid profi-*  
*Eccl. 24.* *cit lavatio illius? sic homo, qui jejuna in peccatis*  
*30.* *suis, & iterum eadem faciens, quid proficit humi-*  
*Prov. 24* *liando; sed orationem illius quis exaudiet? Nec*  
*16.* *ideo tamen animum despondebo, nam septies*  
*cadit justus, resurgit.*

II. Implebo statim injunctam poenitentiam,  
 Poenitē-  
 tia non  
 differen. aut si minus licet totam, saltem ejus partem,  
 cum affectu obedientiae, & cum fervore amo-  
 ris, cupiens multò plura praestare, dicamque  
 cum



cum servo illo debitore. *Patientiam habe in me, Mat 20. & omnia reddam tibi.*

III. Comparabo me ad sacram Evcharistiam percipiendam, quo opere non est aliud efficacius ad gratiam referendam. *Quid retribuam Domino pro omnibus, quæ retribuit mihi? Calicem salutaris accipiam, & nomen Domini invocabo.* III. S. Evcharistia sumptio Ps. 115. 12.

## MEDITATIO XXXIII.

### Preparatio ad sacram Communionem.

**D**E excellentia & fructu Sacramenti hujus considerabitur in 4. parte; ubi de institutione; & in 6. parte, inter beneficia. Nunc considerationes tantum aliquæ proponuntur præparatoriæ ad sumptum. *Dignitas visitantis, vilitas visitati, modus, finis.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**D**ignitas visitantis. Perfectiones divinæ in Christo considerandæ sunt, & qua est in se infinitus, & qua extra se est principium, finisque omnium, & cum tantus sit, non fuit ei satis induisse carnem nostram, nisi etiam singulis sese hominibus corporaliter communicaret, & in eis sedem thronumque collocaret, quo accederemus cum fiducia misericordiæ consequendæ, auxiliique opportuni.

I. Excel-  
lentia  
Divini-  
tatis  
Christi.

Deinde consideretur idem Christus, qua homo. Is est, qui in utero Virginis conceptus, mortuusque novem mensibus, tabernaculum suum

II. Huma-  
nitatis.



suum innumeris & amplissimis ornavit donis. Qui, adhuc ex utero, sanctificavit præcursorem, ejusque matrem Spiritu Sancto replevit, quidni ad me veniens, & in me existens, pariter faciat suæ gratiæ participem? Iam natus, & in præsepio locatus, adoratores suos Pastores & Magos magnis impertiit bonis, & qui ipsum intra me venerabundus excipio, exosculor, in-donatus relinquer? Iam natu grandis obibat regiones benefaciendo & sanando omnes, & ad me ingressus non similia præstabit? Caro illa tot cruciata suppliciis, & sanguis ille per tormenta effusus pro salute mea, in Sacramento sumpta, non operabuntur in me salutis effectum? Hic est qui spoliavit infernum, in cælos ascendit, & sedet à dextris Dei, dans bona hominibus. Hic egit mortalis. *Magistrum, Medicum, Redemptorem, Pastorem, & Sacerdotem* pro me, haud dubiè talem se nunc quoque exhibebit animæ meæ, quando tam benignè ad eam ingredi non dedignatur.

Ergo ad illius me pedes provolvam cum Mag-  
*Luc. 7.* dalena, lavans eos lacrymis contritionis, cum  
*38.* *Syrophœnissa tangam* fiducialiter *ejus vestimenti*  
*Affectus* *fimbriam*, ut sanus fiam. Immittam in latus ma-  
*Mat. 9.* nusque ejus manum meam & digitos, excla-  
*28.* mans cū Thoma, *Dominus meus, & Deus meus.*  
*Joan. 20.*  
*23.*

## PUNCTUM II.

Vilitas visitati. Is est homo, ad quem diver-  
 tit Deus. O vile hospitium, nec vile tan-  
 tum,

Vilitas  
hominis



tum, sed immundum & horridum! Lingua hominis, quâ primùm excipit Christum venientem, est universitas iniquitatis; guttur, quod demittit, gurgēs crapulæ, & sepulchrum patens, fœtorem omnem exhalans; pectus & interiora, quod inducitur, est sentina pravarum cogitationum & appetitionum.

Talis est homo ex se, nisi tu, Domine, laveris illum, & ornaveris; & vel fuisse aliquando talem, sufficit, ut indignus reputetur favore tam eximio visitationis tuæ: visitas tamen, & mansionem apud eum facis, & cœnas cum illo: *Psalm. 42*  
*O inclina cœlos tuos & descende!* adhuc tecum cœlestium virtutum comitatum, quo adorne-  
tur thalamus animæ meæ, ad dignè te excipiendum. *O Spiritus Sancte, & Sanctificator!* *Oratio.*  
qui gloriosæ Virginis Matris Mariæ corpus & animam, ut dignum Filii Dei habitaculum effici mereretur, plenitudine gratiæ præparasti, da, ut qui eundem Dominum excepturus sum, si minus pari, quod fieri nequit, puritate, saltem non indignè suscipiam.

### PUNCTUM III.

**M**odus visitandi hominem. Suffecisset, si Modus, modò se in Sacramento præsentem exhibuisset aspiciendum & adorandum, ut olim serpentem æneum; vel ad summum, si tangeudum, ut virtus de illo exiens sanaret nos ab infirmitatibus animæ spiritualibus. At voluit intimè nobis copulari & in ipsa viscera pervadere, Manducandèque in cibum se tradidit. Et impletur hîc carivultus



*Jerem. 31* etiam illud. *Homo circumdabit virū*, complecti-  
tur enim Christum, perfectum Deum & homi-  
nem, non brachiis, sed intimis visceribus,  
quoad sacrae perdurant species divini Sacra-  
menti.

## PUNCTUM IV.

Finis.

**F**inis visitandi hominem, nempe ut ei specia-  
tim illa conferat, ob quæ mortalis olim ve-  
nit in mundum. Itaque venit 1. Ut Salvator,  
quo pretium sui sanguinis mihi communicet.  
2. Ut medicus, ad tollendas ægrotudines per  
opportuna pharmaca. 3. Ut magister, ad in-  
struendum & illuminandum. 4. Ut sacerdos  
per hoc sacramentum applicaturus mihi fru-  
ctum sui cruenti sacrificii. 5. Sicut nutrix, ut  
lactet me sua dulcedine, pacis osculum præbeat,  
sibi que adstringat amplexu charitatis, implea-  
turque illud sponsæ desiderium. *Osculetur me*  
*osculo oris sui.* Sed & alia similia licet cogitare,  
quod veniat, ut pastor me requirens, ut defen-  
sor, ad protegendum, ut ignis, ad purifican-  
dum & accendendum cor meum charitate.

Propria  
egestas.

Post hæc, vel potius inter hæc, dum singulas  
causas considero veniendi, vicissim necessita-  
tem meam conferam: veluti quàm indigeam  
Salvatore, medico, magistro, & reliquis. Hinc  
partim admirabor dignationem Dei, partim  
vota inflammata concipiam, fruendi tam mul-  
tiplici bono. Admirabor: nam quid opus erat  
ob eos fines sic se demittere? Elias & Elisæus su-  
per defuncti pueri membra seipsos contraxe-  
runt,



*Præpar. ad sacram Commun.* 135

sunt, membra membris jungentes, ut illum ad vitam revocarent. Sic se Dominus majestatis in panis particulam restringit, ut vitam mihi reddat, & poterat id solo nutu facere. Quando autem venire ipse vult ad sanandum me, quâ satis exardescam in illius desiderium? Dicam: *Excita potentiam tuâ, & veni, ut salvû me facias. Utinam disrûperes cœlos, & descenderes, à facie tua montes defluerent*, elata corda amore liquescerent, *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum*. Hisce & similibus sententiis me accendam cupiditate participandi divina mysteria, in ipso puncto maximè communionis: nam hic ci- bus, quò profit, quàm avidissimè capiendus est. Sed & contemplatione tantæ puritatis & sanctitatis, ô velim purior esse astris! Certè dabo operam, ut me à præcedenti communionem die ita mente & corpore custodiam, ut in nulla re vel levissima delinquam, ut sicut à media nocte jejunus esse ab omni cibo & potu debeo, ita sim à culpa jejunus.

Oratio.

Ps. 79. 3.

Is. 64. 1.

45. 8.

Puritas.

sumētia.

MEDITATIO XXXIV.

*De spirituali Communionem.*

**S**ervit hæc cōmunio præparationi. i. ad communionem Sacramentalem: deinde audien- dæ Missæ cum fructu. Nam sicut Sacerdos cele- brans offert sacrificium in gratiarum actionem pro acceptis beneficiis, ad propitiationem peccatorum pro vivis, & defunctis, & ad im-

Com-

muniō

spiritalis

ad quid?

I 4

petranda



petranda nova dona, tum sibi, tum aliis, toti-  
que Ecclesiæ: ita audiens Missam, potest ad eos-  
dem fines Deo offerre, quod ibi peragitur.  
Item, sicut celebrans consumit sacramentaliter  
oblationem, ita audiens potest spiritualiter  
manducare, & participare de oblatis per actus  
internos fidei, spei, & charitatis, dicente Do-  
mino. *Ego sum panis vite, qui venit ad me, non  
esuriat, & qui credit in me, non sitiet in æternum.*

Ioan. 6.  
35.

## PUNCTUM PRIMUM.

Actus fi-  
dei 4.  
Colūnz

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.

**E**Xercenda viva fides circa hoc Sacramentū  
quæ quatuor nititur, quasi columnis; *Sapiē-  
tiā* Dei, qua valet invenire modos ineffabiles  
communicandi se mortalibus; *Bonitate*, qua  
propendet ad se communicandum; *Omnipoten-  
tiā*, qua potest, quidquid vult, denique *Ve-  
ritate*, quæ mentiri non potest; revelavit au-  
tem nobis, in hoc Sacramento se verè tradere  
seipsum in cibum ac potum.

His nixa fides, renuntiāsq̃ sensibus, firmi-  
ter credit, verè & realiter sub illis speciebus  
contineri Christum Dominum, verum Deum &  
hominem, cum omni gloria, quam in cœlo  
habet, & sicut ibi divinitatis suæ conspectu, &  
præsentia humanitatis satiat, beātque Sanctos  
ita in isto Sacramento repleti bonis animas  
esurientium. Expediens fuerit ad actuandum  
magis hanc fidem percurrere perfectiones di-  
vinas Christi sigillatim, tum etiam humanas,  
& quæ egit tulitque propter nos, eliciendo  
actus fidei circa singulas; quòd hîc lateat ille  
immen-



immensus, omnipotens, &c. & ille pro me natus, passus, &c. sit ille medicus, magister, &c. qualia in præcedenti med. fuerunt indicata.

Professio

Profitebor quoque, me ita certò credere ac si præsentem Christum oculis cernerem, nec secus gaudere de hac latente ipsius præsentia; proque ista dignatione æquè gratias agere.

## PUNCTUM II.

**E**Xcitanda certa spes percipiendi fructus promissos participantibus hoc Sacramentum, si vel solo desiderio illud sumam, quales sunt. *Actus Spei. Ican. 6. 5051. &c.*  
*Qui manducat hunc panem, vivet in aeternum. Et Qui manducat meam carnem, & bibit meum sanguinem in me manet, & ego in eo. Et. Sicut misit me Pater & ego vivo propter Patrem. qui manducat me, vivet propter me.* Nam potentia Dei non est alligata Sacramentis, quin similes effectus conferre possit & velit, præsertim desiderantibus eos ardentem, cum præcipue non est opportunum, sumere ipsum Sacramentum, votòque saltem sumitur. Quare dicam cum Centurione. *Centurio*  
*Domine non sum dignus, ut intres sub tectum meum, sed tantum dic verbo & sanabitur anima mea. Et* *Mat. 8. 8*  
*cum pia muliere, Si tetigero tantum simbriam* *Luc. 8. 4*  
*vestimenti ejus salva ero.* *4.*

Quòd si aspectus ænei serpentis sanabat faucios: quidni aspectus fidei in Salvatorem mundi multò magis animam sanet? Si sola umbra Petri curabat omnes: utique & devota memoria hujus divini Sacramenti, quæ plus est, quàm umbra.

Serpens.



## PUNCTUM III

Charita-  
tis actus.

**E**Xercendi sunt actus charitatis, quibus uni-  
mur Deo, & conveniunt huic maximè Sa-  
cramento, quod est unionis. Amabo igitur illas  
perfectiões Dei, quæ in primis elucet in isto  
Sacramento, bonitatem, charitatem, poten-  
tiam, liberalitatem, vicissim optans me ip-  
si liberalem exhibere. Cupiam Deo inhære-  
re perfectè, & sine intermissione, ejusque si-  
militudinem vivam per virtutum actiones in  
me exprimere, ac potissimum per idem cum  
Deo velle & nolle. Velim ex animo, ut om-  
nes Christum in hoc Sacramento agnoscant,  
& venerentur, atque divitias in eo latentes par-  
ticipent, gratias agentes & benedicentes Deo  
pro tam eximio dono. Offeram me totum Deo,  
qui cum in omnibus suis operibus mirabilis sit,  
in isto etiam summè amabilis. Proponam igi-  
tur amare illum ex toto corde, mente, anima,  
fortitudine, & viribus: tum quia per seipsum  
dignissimus est, & omni amore major: tum ob  
tam eximia beneficia, quibus prævenit nos.

## MEDITATIO XXXV.

*Gratiarum actio post Communionem.*

**M**agni refert bene ut illo tempore, quo  
apud nos Christus demoratur post sum-  
ptam Eucharistiam, nam & tunc habet locum  
Christi ipsius dictum: *Quamdiu sū in mundo, lux*  
*sum*

*Joan. 9. 5*  
*Eccel. 14.*  
*14.*



sum mundi, & illud Ecclesiastici consilium,  
Non defrauderis a die bono, & particula boni do-  
ni non te praterat.

## PUNCTUM PRIMUM.

**E**Xcitanda primùm est fides ardentior præ- Fides  
sentia Christi, & quòd ille talis, & tantus jã præsen-  
mihi adsit, quia verò Rex non venit absque co- tia Chri-  
mitatu, me circum Angelis vallatum intuebor, sti.  
& perculsus tantæ majestatis reverentia, con-  
fundar apud me ipsum, dicamque Domino cum  
S. Petro. *Exi à me, quia homo peccator sum*: vel *Luc. 5. 8.*  
cum Elisabetha, unde hoc mihi, ut veniat Dominus *c. 2. 3.*  
*meus ad me?* & illud? *Quid est homo, quod memor*  
*es ejus?* & ô Domine Dominus noster quã admira- *Psal. 8. 5*  
*bile est nomen tuum?* Atque isti humilitatis & re- *Psal. 8. 2*  
verentia sunt affectus. Deinde excitabo affectus *Affectus*  
gratiarum, vel cum Seraphim & Cherubim qui *laudis.*  
*incessabili voce proclamant Sanctus, Sanctus, San-*  
*ctus Dominus Deus Sabaoth.* hoc est, exercituum,  
sive virtutum. Vel cum pueris Hebræorum. *Hos-*  
*sanna filio David, Benedictus, qui venit in nomine*  
*Domini, Hosanna in altissimis.* Vel cum tribus  
pueris in fornace invitabo omnes creaturas,  
*Benedicite omnia opera Domini Domino, laudate* *Mat. 21.*  
*& superexaltate eum in secula.* Licebit etiam sigil- *2.*  
latim invitare ad laudandum Deum novem *Dan. 3.*  
choros Angelorum, tum singulos Sanctorum *52,*  
choros, Patriarcharum. Prophetarum, Aposto- *Invita-*  
lorum, Martyrum, Confessorum, Sacerdotum, *tio San-*  
Virginum, Viduarum, Sanctorumque omnium. *ctorum.*



Quin meas ipsas potentias animæ, internas  
externasque provocabo ad glorificandum  
Deum. Vos oculi mei, quibus datum est cerne-  
re in hoc sacratissimo velamine Dominum ma-  
jestatis, tu lingua, labia, palatum, pectus, quæ  
tactu illius sanctificamini, tu mens, voluntas,  
*Ps. 102. 1.* memoria, quas reficit hoc celeste manna. *Eo*  
*Dan. 3.* omnia, quæ intra me sunt, benedicite Domino, qui  
*56.* est laudabilis & gloriosus in secula.

## PUNCTUM II.

1. **P**ost affectus submissionis & tantæ laudis,  
Vnio me conferam ad hauriendum fructum ex  
Christi præsentia, ac primò per amorem arctè il-  
lum complectar cum sponsa. *Inveni, quæ diligit*  
*animam meam, tenui eam, nec dimittā. Non mors, ne-*  
*que vita, neque creatura alia potest me separare à*  
*charitate Dei, quæ est in Christo Iesu Domino meo:*  
*38.*

2. Deinde Effundam in conspectu ejus orationem  
Miseriæ meam, & tribulationem meam ante ipsū pronun-  
tiabo, sigillatim exponens necessitates meas  
spirituales, & vitia, à quibus maximè impu-  
gnor, & postulans ab eo remedium, qui medi-  
cus est, lumen à magistro, auxilium à potente,  
& ut impleatur in me illud ad Zachæū. *Quia ho-*  
*die huic domui salus à Deo facta est.* Urgebo autè  
*Luc. 10, 9* instanter, ac velut Iacob cum eo luctans: *Non*  
*dimittam, nisi benedixerit mihi.*

## PUNCTUM III.

**C**onvenit tanto hospiti munus aliquod of-  
ferre. Ille quidem dicit: *Sto ad ostium, &*  
*Apoc. 3.* pulso,  
*20.*



*Grat. actio post Communionem.* 141

*pulso, si quis audierit vocem meam, & aperueris  
ianuam, intrabo ad illum, & canabo cum ipso, &  
ipse mecum.* Quare videtur cœnam expetere.  
Ille quidem sua secum infert fercula, quibus Oblatio  
sui.  
animam pascit, delicias spirituales, sed & pas-  
ci vult à nobis. Apponam ergo ipsi, quod futu-  
rum est ei gratissimum, in primis cor meum,  
quod & petit: *Fili, præbe mihi cor tuum.* Imò Prov. 13.  
26.  
Domine, libens offero: accipe, & quia tuum  
erit, fac, ne deinceps quidquam in illud subre-  
pat, quod alienum sit à te. Sed & *corpus meum* Rom. 12.  
*offerò, hostiam viventem, sanctam, Deo placentē:* 1.  
*cupiens mortificationem tuam, bone Iesu! in cor-* 2. Cor. 4.  
10.  
*pore meo circumferre; & ibi me præcipuè mor-*  
tificare, unde maxime impugnor.

Præter has spirituales dapes, è re fuerit, Elemo.  
Christum ipsum in pauperibus pascere, si facul-  
tas subsit. Religiosus autem vota sua *paupertatis,*  
*castitatis, & obedientie* opportunè renova-  
bit. Sed & aliquid peculiare offeram eo die per-  
ficiendum, quem in affectibus pietatis tradu-  
cam, implens illud: *Fasciculus myrrhæ dilectus* Cant. 1.  
15.  
*meus mihi, inter ubera mea commorabitur:* Et  
*Vivo ego, jam non ego, vivit verò in me Christus.* Ga. 2. 10.  
Et, *In fortitudine cibi istius ambulabo usque ad* 3. Reg.  
19. 3.  
*montem Dei Horeb.* Orabo tandem, ut postquã  
consumptis sacris speciebus, corporalem suam  
præsentiam subtraxerit, peculiari tamen pro-  
tectione sua non me unquam destituat, assi-  
duam mihi sui ipsius memoriam jugiter inge-  
rendo.

MEDI-



## MEDITATIO XXXVI.

## De Purgatorio.

Scopus.

Scopus hujus meditationis est excitare eos, qui in via purgativa sunt, ad opera satisfactoria pro peccatis suis suscipienda, & vivant etiam ut miserti animarum purgatorii, si eas suffragiis sublevare velint.

## PUNCTUM I.

Purgatorium  
ad quid?

Quod Deus constituerit, ut homo quicumque mortalis peccati reus, etiam post de-  
letam culpam, & æternam pœnam condonatam, debitor maneat subeundi aliquam satisfactionem temporariam, quam si in præsentī vita non exsolverit, persolvat post mortem, priusquam ad gloriam Beatorum admittatur. Atque ad eam rem destinavit Deus locum inferioribus terræ partibus, quo anima à proprio Angelo deducitur purganda. Circa hanc fidei veritatem suscipiam primū iustitiam Dei, qui quamvis liberaliter remittit culpam pœnamque æternam; tamen non relinquit prorsus peccatum impunitum. Vnde etiam in ipso Sacramento pœnitentiæ voluit satisfactionem aliquam injungi à Sacerdote pro delicti modo. Verū *super*  
*lae. 2. 13* *perexaltat misericordia iudicium*; siquidem loco tantorum & sempiternorum suppliciorum; ad correctionem nostram, temporali contentus est animadversione. Cooperabor igitur divinæ  
iustitiæ,

Iustitia  
Dei.



justitiæ, & libenter à meipso pœnas exigam, quas ille constitui; parùm putans, quòd in hac vita perpetior, pro debitis in altera peccato meo æternis cruciatibus.

Deinde expendam, quod si minus nunc exsolvero debitum istud, erit mihi luendum post mortem, quando divina id justitia postulat, & nemo, nisi planè omni debito solutus, atque purgatus in cælum admittitur. Atque utinam modò ita viverem, ut nihil post ea repurgandum superesset.

Præterea considerabo, quòd nò solùm reliquæ peccatorum mortalium exsolvendæ sint, verùm etiam venialium, & quotidianarum culparum reatus, nisi pœnis voluntariis in hac vita tollatur, erit in altera per ignem expiandus, sicut dicit Apostolus: *Et salvi erunt sed tamen quasi per ignem.* Ex qua re colligam quantopere Deus omne peccatū detestetur, quando neque justos & amicos suos ob leves culpas ad conspectum suum admittit; sed in dirum carcerem prius macerandos, expurgandosque detrudit.

## PUNCTUM II.

Quod in Purgatorio est pœna damni, dilatorio nimirum visionis beatificæ. Hanc animæ justæ graviter sentiunt, postquam à corpore solutæ purius intelligunt, quantum sit illud bonum, quo adhuc carent. *Vnde spes, qua differtur, affligit animam.* Deinde charitas in illis animabus est expeditior ab omni distractione, quò feruntur in Deum intensius: sicque est eis acerbior

2.  
Puritas  
necessa-  
ria.

3.  
Venialia  
tollenda.

1. Cor 3.  
15.

Pœnæ  
damni  
causæ  
1.  
Prov. 13  
12.  
2.



*Ps. 119. 5.* bior separatio à Dei visione. Quare intimis sensibus dicunt: *Heu mihi, quia incolatus meus prolongatus est.* Tertiò aguntur ab ignoratione temporis, in quod earum liberatio differenda sit, nam etsi divinæ se committunt voluntati; dura tamen est eis incerta expectatio, præsertim dum considerant olim se minus fuisse sollicitas de videndo quamprimum Deo; ut meritò nunc puniantur dilatione incerta, quando maximè cuperent Deum videre. Postremò inde etiam cruciantur, quòd à Christi humanitatis conspectu, ejusque matris, & à commercio reliquorum Sanctorum jucundissimo arceantur.

## PUNCTUM III.

*Ignis Inferni, & Purgatorii.* **Q**uòd in Purgatorio sit pœna etiam sensus à vero igne, qualis est inferni, & multò, quàm noxter sit acrior: agit autem cruciatque tanquàm instrumentum divinæ justitiæ à Deo supra naturam motus, ad animas ipsas excruciantas; sicque *Mal. 3.* *Velut aurum & argentum percolandas, expurgandasque, ut Malachias loquitur. Neque ibi est quod à sensu doloris animam avertat, ac distrahat; sicut in hac vita complura sunt. Quare illa pœna putatur gravior omni alia vitæ mortalis, etiam quorumvis Martyrum, Christi que ipsius. Ergo vivam, ut tali purgatione non sit opus.*

*i.* **Affectus timoris** Concipiam ex his tres affectus. Primus esto timoris divinæ justitiæ, quando sic animadvertit in amicos, vel ob leves culpas, quos alioqui amat, & à quibus amatur, ita, ut majori terrori sit ista



fit ista animadversio, quàm damnatorum in inferno, quòd illi capitales inimici sint, & irreconciliabiles, isti autem dilecti, & electi. Secundò eliciam propositum satisfaciendi potius in hac vita, ubi mitiori pœna licet debitum solvere, & ubi satisfactio ipsa simul valet ad meritum gratiæ & gloriæ, quod in Purgatorio non habet locum. Proinde rogabo Deum, ut quod minus sponte meâ præstitero, ipse tribulationibus immixtis suppleat, quòd futuras pœnas prævertam.

2.  
Satisfactio.

Tertiò, exhorrescam etiam peccata venialia quæ similiter in vita altera expiantur. Proinde super fundamentum, quod est Christus, *super* adificabo non lignum, & stipulas, sed aurum & argentum, & lapides pretiosos; nam illa, ut ait Paulus, ignis exuret: *salvus* tamen fiet homo ædificans; *Sed quasi per ignem.*

3.  
Venialium fuga.  
1. Cor. 3.  
12.

## PUNCTUM IV.

EX parte animarum purgantium duo sunt consideranda. 1. Quòd pœnas sustinet patienter, conformantes se divinæ voluntati & justitiæ, quam impleri in se gaudent. Ex quo discam adversa patienter ferre, quæ mihi purgatorii ignis loco sunt, cùm alioqui minus crucient, & conferant etiam ad meritum, & à Deo ob eum finem immittantur, ut per ea satisfaciam pro debitis peccatorum. Denique cùm omnia, quæ Dei sunt, amabilia iusto; sint pariter ejus justitia. 2.

1.  
Patientia animarum.

Quòd animæ purgantes vehementer expetunt subsidia viatorum per opera satisfactoria, ali-

2.  
Expetit suffragia.

K

que



Mat. 5.  
7.

Gratæ  
sunt er-  
ga nos.

2. Mac.  
12. 46.

que suffragia. Quod si crudelis haberetur, qui proximum igne fortuito circumventum cerne-  
ret, & cum posset, non eriperet: quomodo ex-  
cusari poterit Fidelis, qui, quoad potest, anima-  
bus defunctorum in tali necessitate non suc-  
currit? Cogitabo, quid mihi tunc fieri vellem,  
illudque similiter aliis præstabo. Et reddit Deus  
vicem, quia *miseriordes misericordiâ consequen-  
tur*: excitaboque alios, qui mihi subsidium fe-  
rant, cum illuc pertigero. Quin animæ ipsæ à  
nobis adiutæ, cum in conspectum Dei venerint,  
gratas se exhibebunt, pro nobis Deum obsecran-  
do. Denique licet opus satisfactorium quod a-  
nimab<sup>9</sup> applico, mihi ipsi detrahā, quoad ef-  
fectum satisfactionis: ea tamen spiritualis elee-  
mosyna meritum & charitatem auget, compen-  
satque jacturam. *Sancta igitur & salubris est cogi-  
tatio pro defunctis exorare, ut à peccatis solvantur.*

## INTRODUCTIO SECUNDÆ PARTIS. DE EJUS SCOPO.



UONIAM meditationes viæ Il-  
luminativæ, uti vocant, tres partes  
continent, nempe *Infantiam*, *Præ-  
dicationem*, & *Passionem*, seu mor-  
tem Salvatoris, per quas tenditur ad viam  
unitivam, quæ in duabus postremis partibus  
potissimum à nobis tractatur, in prioribus il-  
lis scopus meditati propositus esse debet per-  
fecta Christi Domini *imitatio*. Nam sicut su-  
premus



premus ille Rex, atque dux noster venit in hor-  
 rum Ecclesiæ militantis, hunc scilicet mundum, *Cant. 8.*  
 in quo meteret myrrham molestiarum & cala-  
 mitatum, quas ab infantia pertulit, cum aroma-  
 tibus odoriferarum virtutum: proponeret itē  
 doctrinam suam tanto cum affectu ac gustu,  
 quasi favum mellis comedere, donec tandem  
 vino amoris inebriatus, nudus in ara crucis ex-  
 piraret, tanto desiderio amarissimum alioqui  
 passionis calicem exhauriens, quasi lacte tempe-  
 ratum ebiberet; ita & nos tanquam amici charis-  
 simi eniti debemus, ut tria & his similia in vita  
 nostra exprimamus: Ut 1. metamus myrrham  
 mortificationis cum aromatibus virtutum, quo  
 passionibus inordinatis edomitis, puritatem ejus  
 repræsentemus. 2. Mox excellentem ac planē  
 cælestem ejus doctrinam ruminantes, tanquam  
 favum dulcissimum cum melle virtutum ejus he-  
 roicarum mistum comedamus. 3. Demum vino  
 perfecti amoris inebriemur admisto consolati-  
 onum lacte, ut affectibus terrenis exuti, vel  
 in ipsa cruce, si Deo ita placuerit, mortem ip-  
 sam subire pro ejus amore non reformidemus.

Cum verò ordinatæ charitatis gradus tres re-  
 periantur, videlicet *inchoatæ, proficientis, ac per-*  
*fectæ*; eodem modo in hac meditationum viæ  
 illuminativæ divisione tres sunt partes, Infan-  
 tiæ, Prædicationis ac Passionis Christi, toti-  
 dēque fines, ad quos illæ diriguntur: ea ta-  
 men ratione, ut earum meditationes, quæ de Infan-  
 tia sunt, ad teneriorem quendam amorem, tan-  
 quam lac & mel, divinarum consolationum,



animos, tironum præcipuè, deducant, quò faciliùs deinde ad heroicarum ejus virtutum imitationem excitentur. Neque in hoc triplici fine consistendum, sed conandum insuper, ut Christum verum Deum ac hominem, certa atque integra cognitione intelligamus, infinitam *personæ* illius dignitatem, atque inæstimabiles divitias & gratiæ thesauros penetrantes, atque ex hac cognitione *ignis* ille amoris in *meditatione*

*Serm. de perf. form. hō Christ.* *exardescit*, quo ad perfectam ejus imitationem, velut inflammati rapiamur, donec in nobis fiat illud, quod S. Gregorius Nyssenus de quovis Christiano affirmandum dicebat, ut *Christianus sit alter Christus*, humilitate, patientia, reliquisque virtutibus quibus illius in nobis formam imprimamus.

*S. Ignat. in exerc heb. 2. § 3.* Quod uti meliùs assequamur, perpendendæ nobis erunt, in hisce meditationibus præcipuæ circumstantiæ. 1. *Personarum*, quæ in eo mysterio sunt, excellentia, & interiores affectus. 2. Earundem *verba* & modus proferendi. 3. Earum *opera*, actiones, virtutésque. 4. Earum *perpeffiones* ac tormenta, ut ex singulis fructum aliquem spiritalem ad nos derivemus, horum omnium imitationem, aliósque pios affectus, de quibus initio primæ partis dictum, in nobis excitemus.

Et hæc omnia in quovis meditationum puncto servanda erunt, sed præcipuè circumstantia personæ, v. c. Christi D. & B. Virginis, consideranda erit, ut illius amorem ac heroicas virtutes & intellectu capiamus, & vita ipsa imitemur. Quòd uti meliùs assequi possimus, non  
parum



parum conferet prima meditatio, quæ hîc sub-  
jicietur de excellentia Regis nostri cœlestis,  
qui nobis ad imitandum proponitur.

## FUNDAMENTUM SECUNDÆ PARTIS. MEDITATIONUM.

*De Christo Rege invitante ad sui  
imitationem.*

### PUNCTUM PRIMUM.



Uôd Christus datus sit nobis in  
Regem, quod confitetur ipse Psal-  
mo. 2. *Ego autem constitutus sum* Rex.  
*Rex ab eo super Sion.* Psal. 2.

I. Hoc Rege melior, aptiorque dari nequi-  
vit: nam & est homo, unde compati possit sui  
similibus, & DEUS, unde opitulari: & quod  
ait S. Leo: *Nisi Deus verus esset, non adferret* Serm. 1.  
*remedium, & nisi esset verus homo, non prabe-* de Nat.  
*ret exemplum.*

II. Deinde considerentur in Christo om-  
nes regie virtutes: *Sapientia*, qua novit indigē- Regulā  
tiam nostram: *Omnipotentia* ad sublevandum: virtutes.  
*Misericordia* ad miserandum: *Bonitas*, ut velit:  
*Providentia*, ut studeat nobis consulere: *Libe-*  
*ralitas* & *Magnificentia*, quâ opes omnes, ac  
semetipsum impertit: *Iustitia* & *Providentia*  
in gubernando: denique *Aternitas*: Regnum

K 3

enim



enim ejus regnum æternum, quod non corrumpitur.

III. *Comparatio cū Regibus.* III. Comparetur hic Rex cum terrenis Regibus. Hi tributa imponunt, ille aufert: imò exsolvit ex proprio ære suorum debita: Isti suos exhauriunt, ut ipsi abundant: ille *egenus factus est, ut illius inopia nos divites essemus.* Isti in regendo à recto saepe deflectunt, ignorantia, passione, aut malitia: ille nunquam, quippe infinitè sapiens, justus & bonus. Isti graves leges imponunt, quas ipsi non servant: ille suaves, præitque exemplo. Istorum regna quavis aurea, argentea, ærea, aut ferrea, tandem comminuuntur, quia basi nituntur fictili: illius non erit finis.

IV. *Affectus* IV. Hinc varii affectus concipiendi, veluti gratiarum actionis ad Patrem pro tam nostri amante, & absolutissimo Rege: gaudij & gratulationis, quod liceat tali Regi familiarem atque intimum effici, quod apud mortales Reges tanti sit: desiderij ac studij omnia exantlandi tanti Regis gratiâ.

## PUNCTUM II.

I. *Christi hortatio* **Q**uemadmodum hic Rex suos subditos alloquatur & invitet. i. ait, decretum sibi esse, juxta æterni Patris præceptum, dæmoni, mundo & carni, vitisque omnibus bellum indicare, ut iis debellatis, cælestem Patris regiam triumphator obtineat. Porro, qui sequi se velint in hac expeditione, conformari ipsos debere suo Duci, ut cum illo similiter regnent, juxta



*De Christo Rege invit. ad imit.* 151

juxta illud : *Si quis mihi ministrat, me sequatur* : Motiv.  
 & ubi ego sum, illic & minister meus erit. 11. Ad imitat.  
 sequendum alliciunt ista. 1. Vocantis dignitas, 1.  
 & mille nomina, quibus obstrictus ei sum. 2. Ju- 2.  
 stitia causæ : ut hostes infensissimos proflige-  
 mus, cujus rei utilitas est potissimum mea. 3. 3.  
 Exemplum Ducis, qui ut præiret, è cælo venit : *Jud. 7.*  
 quique majori jure, quàm Gedeon, aut Abime- 17. & 9.  
 lech, illud requirere à nobis potest : *Quod me* 48.  
*facere videritis, facite.* 4. Promissio certissima 4.  
 victoriæ & coronæ, si per nos non steterit. 5. 5.  
 Denique secutura inde gloria DEI Patris, & *Osea.*  
 ipsius Christi. His tanquam *funiculis Adam,* 11. 3.  
 & *vinculis charitatis trahis nos,* ô Rex. ô si  
 obsequamur !

PUNCTUM III.

1. **Q**UOD pauci sequantur Christum. Omnes *Diverfi-*  
 quidem, ut ait D. Bernardus, Christia- tas se-  
 ni volunt pervenire ad Christum : sed pauci quentiū.  
 ipsius vestigia sequi, quibus juravit Dominus : 1.  
*Quod nemo virorum illorum, qui vocati sunt,* *Bern.*  
*gustabit cenam meam.* Et quia vocavi, & re- *ser. 21.*  
*nuistis, ego quoque in interitu vestro ridebo.* 11. *sup. Cāt.*  
*Luc. 14.*  
 Aliqui sequuntur, sed eminus, quoad præcepta 24.  
 tantum, ut ille adolescens, qui *tristis abiit,* cum *Prov.*  
 audiret à Domino : *Si vis perfectus esse, vende,* 24.  
*quæ habes, & da pauperibus, & habebis thesau-* 2.  
*rum in calo, & veni sequere me.* 3. Alii per o- *Mat. 19.*  
 mnia ducem suum sequuntur, posthabitis etiam 22.  
 concessis voluptatibus, divitiis, honoribus, in *Mat. 19.*  
 voluntaria paupertate, castitate, & obedientia, 29.

K 4

qualem



qualem ille vitam amplexus est, quibus nunc  
*centuplum promittitur*, & in posterum *vita æ-*  
*terna*: quamvis non tam ob eximiam remune-  
 rationem, quàm ob immensum debitum, quo  
 obstringimur, amandi hunc Regem, eique mo-  
 dis omnibus inserviendi, id præstari conveniat:  
*Eccl. 23. 38.* & quia, ut ait Sapiens, *Gloria magna est sequi*  
*Dominum*: eoque major, quò propiùs sequi-  
 mur, satagentes illud implere: *Perfecti estote,*  
*sicut Pater vester celestis perfectus est*: Et adeò,  
 sicut Rex noster, quem Pater nobis ad imitan-  
 dum proposuit. Qui autem specialiter ad hoc  
 vocati non sunt, promptum nihilominus ani-  
 mum, studiùmque suum offerant, usurpantes  
*Mat. 54.* illud: *Paratum cor meum, Deus, paratum cor*  
*Psf. 107. 8.* *meum.* 4. Sunt alii, quibus satis non est ita  
 Christum sequi, nisi alios quoque ad idem pelli-  
 ciant, ac *convocent*, ut est in Proverbiis, *ad ar-*  
*cem* Christianæ perfectionis, quales sunt Reli-  
*Prov. 9. 3.* giosi illi, quorum est institutum, Apostolorum  
 instar, non modò salutis & perfectioni propriæ,  
 verùm etiam proximorum incumbere.

## MEDITATIO I.

*De Decreto Divino Incarnationis Verbi,  
 pro reparatione Hominis.*

### PUNCTUM PRIMUM.

1.  
 Decre-  
 tum,

Q UOD DEUS ab æternitate statuerit huma-  
 num genus in Adamo lapsum reparare, tum  
 miseri-



miseriordiâ divinâ , tum miseriâ nostrâ id flagitante.

I. Condiderat ad imaginem suam tum Angelos , tum homines : sed cùm ex illis plurimi peccâssent , voluit in eis iustitiæ suæ severitatem exercere : in his autem misericordiæ divitias ostendere. Quod ex parte Dei suadebat ipsa misericordia , quia cùm in Angelis peccantibus exercuisset iustitiæ severitatem , decebat ipsum in homine saltem misericordiam exhibere , quæ maximè apparet in condonatione peccatorum , ne iustus tantùm & rigidus , nullòque modò misericors haberetur.

I.

Angelis

Hominibus  
miseri-  
cors.

II. Ex parte verò hominis misericordiam divinam provocabant duæ causæ. 1. Quòd alienâ unius culpâ reliquos infecerat , & reos constituerat , absque propria singulorum voluntate : & quòd non pauci , sed totum genus humanum interibat , mundusque iste causa hominis creatus frustrabatur penitus suo fine , dum nulli prorsus hominum ad salutem consequendam usui erat futurus. Non conveniebat autem , ut DEUS totum suum opus , omne scilicet genus hominum , interire , providentiâmq; suam circa mundi conditionem proposito fine universè fraudari. Quare ad misericordiam divinam inflectendam , nos etiam illa duo efficaciter allegare possumus , & quòd culpa aliena in peccatis concepti , & quòd opus manuum DEI sumus. Nihil enim odisti , Deus eorum quæ fecisti , & operi manuum tuarum porriges dexteram.

II.

Causæ.

I.

Aliena  
culpa.

Ps. 50. 6.

Ps. 137.

8.

Sap. 11.

25.

2. Causa , quòd homo diaboli fraude inductus

2.

K 5

est.



Serpen-  
tis ten-  
tatio.

est. Is enim, cum in Deum nihil posset, à quo fuerat damnatus, iram suam in Dei imaginem convertit. Quare hominis causam Deus ut suam suscepit, ne malignus contra Deum gloriaretur, quasi in Deum egregiè ultus, dum ab ejus obsequio hominem abalienâisset: sicque statim Deus ipsi denunciavit fore, ut qui mulierem deceperat, à muliere vinceretur: *Ipsa conteret caput tuum.* Et quia eodem livore nunc etiam impetimur à dæmone, licebit ad Deum similiter clamare: *Exurge Domine, judica causam meam.*

Gen. 3.  
15.

Pf. 37.  
22.

## PUNCTUM II.

I.  
Optimū  
medium  
satisfac-  
tionis.

Quòd Deus Pater, ad remedium peccati, ipsum Filium suum voluerit incarnari. I. Habuit alios modos; vel per meram condonationem; vel si per modum satisfactionis, potuit creare hominē peccati expertem; vel per aliquem Angelorum salutem afferre: sed elegit, quod optimum: non enim alius reparator aptior, non medium efficacius, non redemptio copiosior reperiri potuit: ut *ubi abundavit delictum, superabundaret & gratia.*

Rom. 5.  
20.

II.  
Opposi-  
ta pec-  
cato.

II. Confert culpam hominis cum remedio. Ille superbivit, divinitatem scientiāque Dei affectavit: *Eritis sicuti Dii, scientes bonum & malum:* quo meruit cum tota stirpe deleri in perpetuum. Contra verò Deus in remedium abjicit sese: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, ut homo gloria & honore coronaretur; imò fiat Deus,*

Gen. 3. 5.  
Phil. 2. 6.



Deus, in Christo quidem per unionem personæ, in reliquis verò per gratiæ adoptionem. Prorumpam igitur in laudes tantæ bonitatis, Moysis verba usurpans : *O Dominator Domine Deus misericors & clemens, patiens & multa miserationis, ac verax, qui custodis misericordiam in millia, qui auferis iniquitatem & scelera, atque peccata, nullusque apud te per se innocens est. Venerabor tanti mysterij maiestatem, facie pedibusque, more Seraphim obvelati, cumque illidem clamans: Sanctus, Sanctus, Sanctus: plena est omnis terra gloria ejus.*

Exod.  
34. 8.

III. Gratias agam pro tam stupenda adinventionem, qua vilitatem assumens meam, suam impertiit celsitudinem. Discam meipsum abjicere propter eum, qui se ita abjecit propter me: & amulabor charitatem, qua summum, quod potuit, fecit mea causa, & vicissim quicquid sum & valeo, ipsi reddam, nec sic quidem satis meo debito facturum. Et postquam Deus me tanti fecit, cavebo, ne degenerem.

III.  
Gratia-  
rū ad Ho.

Leo  
Serm. I.  
de Nati-  
vit.

### PUNCTUM III.

Quòd Deus isto facto omnes divinas perfectiones insigniter expresserit. 1. Bonitatem infinitam, dum summè se homini communicavit unione hypostatica, qua totum genus humanum fit Deo agnatum. 2. Charitatem, quia non potuit nobis majus bonum velle, neque magis illud velle: siquidem, ut illud assequeremur, Filium suum unigenitum dedit, quo vicissim facto voluit, nos unum secum facere charitate.

Virtute.  
1.

2.



3. ritate. 3. Misericordiam, qua ut subveniret nobis, miseriarum nostrarum capax fieri voluit, & participes: unde etiam disceret *compati infirmitatibus nostris, tentatus per omnia absque peccato.* 4. Justitiam, quam cum negligi non oporteret, transtulit in se debita nostrorum peccatorum: in eo summè misericors, quòd per rigidam justitiæ exhibitionem voluit nobis esse misericors, sibi rigidus. 5. Sapientiam in concilianda justitia & misericordia; in copulandis rebus tam dissitis, Deo & homine, æterno & temporali, passibili & impassibili. 6. Omnipotentiam, quia hoc est divinorum operum maximum: *Verbum caro factum.* 7. Sanctitatem omnem atque virtutes, quarum vivum exemplar constituit in Christo, ut nos ad imitandum provocaret.

## MEDITATIO II.

*De infinita Dei charitate, quæ elucet in mysterio Incarnationis, & de fine illius.*

*Io. 3.16.* **M**ateria hujus meditationis sumetur ex verbis Christi: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret: ut omnis, qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam.*

### PUNCTUM PRIMUM.

*1.  
Deus dilexit,*

**Q**uis dilexit, & quem? 1. Deus dilexit, qui nullius indigens extra se, nec amare opus habuit



habuit aliquid extra se, seipso infinite beatus :  
 amavit igitur me ex mera gratia. 2. Dilexit au- 2.  
 tem mundum, hoc est peccatores contempto- Mundu.  
 res ipsius majestatis. In hoc commendat charita- Rom. 5.  
 tem suam : quod cum inimici essemus, ita dilexit. 8.  
 3. Conferam, quam sint diversa Dei & homi- 3.  
 num studia : illius, in diligendo ; hominum, Antithe-  
 in posthabendo illius præcepta, & tam eximiã sis.  
 charitatem. Applicabo hæc omnia ad me sigil-  
 latim, quod ego sim ille, ita à Deo dilectus, &  
 ille vicissim ita in Deum ingratus.

## PUNCTUM II.

Quantum dilexit? Primo ex dono intelli- Quanta  
 ge : ut Filium suum unigenitum daret. A dilectio.  
 mor Dei erga creaturas non verbis constat, sed  
 factis : & quo plus quemquam diligit, majora  
 ei præstat. Quando igitur summum, quod ha-  
 bet, mundo donat, infinite illum amat. Exag-  
 geratur iste amor, si consideretur, in qualem  
 tam eximium donum conferatur, in mundum  
 ingratisimum, qui pro dono reddit Deo omne  
 genus flagitij & offensæ. O, reddam ego me-  
 liorem vicem Deo meo, quicquid sum & va- 10. 3. 18.  
 leo : idque non verbo aut lingua, sed opere &  
 veritate!

## PUNCTUM III.

Quare ita dilexit? ut incarnaretur Filius Dei, Causæ  
 nempe, ut omnis, qui credit in eum, non dilectio-  
 pereat : sed habeat vitam æternam. 1. Ut libe- nis.  
 remur ab interitu, hoc est à peccato, quod est 10. 3. 16.  
 mors 1.



mors animæ, & à servitute diaboli, à gehenna  
 2. æterna. 2. Ut vitam gratiæ & gloriæ adipisca-  
 3. mur. 3. Nemo à participatione tanti fru-  
 10<sup>a</sup>. 3. 16. ctûs excluditur, ait enim: *Omnis, qui credit,*  
 Tres fi- utique fide viva, *quæ per dilectionem operatur.*  
 nes In- Hinc collige triplicem quasi finem mysterij In-  
 carna- carnationis. 1. Ut patefaceret nobis Deus the-  
 tionis, sauros suæ bonitatis, potentiæ, aliarumque per-  
 1. fectionum, ut in prima meditatione hujus par-  
 2. tis est ostensum. 2. Ut liberaremur ipsi à tan-  
 3. tis malis. 3. Ut cum Deo æternum regnare-  
 mus. Hoc quasi triplici funiculo devincit nos  
 sibi Deus, ut ipsum toto corde redamemus:  
 tum quia ob infinitas suas perfectiones dignissi-  
 mus est: tum, quia est salus, redemptio, beati-  
 tudo, & corona nostra.

## MEDITATIO III.

*De electione Matris, ac ejus Conceptione.*

### PUNCTUM PRIMUM.

cur Deus  
ex Ma-  
tre?  
1. **V**oluit habere Matrem, cum potuisset cor-  
 pus jam perfectum sibi assumere, ut dedit  
 Adæ. Causæ potuerunt esse istæ 1. Ut utrum-  
 que sexum insigni honore afficeret; virum ex  
 sumptione naturæ; fœminam, ex ea carnem  
 accipiens: videlicet propter omnes venit, & ita  
 voluit etiam hanc fœminam huic mysterio coo-  
 2. perari. 2. Ut, quia nobis (ut ait D. Bernardus)  
 unus vir, & mulier una, vehementer nocuere,  
 per



per unum nihilominus virum, & mulierē unā,  
omnia restaurentur. 3. Ut nobis loco Matris  
esset, & apud Filium advocata: nam is etiam  
Deus est, & judex, & eatenus timendus. 4.  
Ut infans factus, & subditus Matri, subje-  
ctionis nobis præberet exemplum.

## PUNCTUM II.

Quod hanc inter mille elegerit, non ob ejus Electio  
propria merita, sed potius, quia in Ma- Matris  
trem elegit, ideo in eam contulit tot illa, tantá- gratuita.  
que ornamenta, quibus digna Dei Mater effi-  
ceretur. Gratulabor ipsi, ac beatam dicam:  
*quia fecit mihi magna, qui potens est.*

## PUNCTUM III.

Electio Dei Matris est planè singularis: un- Singula-  
de etiam dicitur *Electa, ut Sol*; quasi unica ris.  
inter creaturas, uti unicus est in mundo Sol. *Ephes. 1.*  
Quod igitur universè de electis dicitur, *Elegit* 4.  
*nos, ut essemus sancti & immaculati in conspe-* Cant. 6.  
*ctu ejus, in charitate*, id singulariter in Dei Ma- 2.  
trem convenit. 1. Electa est, ut esset sancta: Electa.  
ut quæ editura erat Sanctum Sanctorum, esset 1.  
quoque ipsa Sancta Sanctorum. 2. Electa est, Sancta.  
ut immaculata esset, & supra omnes pura: ut Imma- 2.  
quemadmodum Christus, qua Deus, Patrem culata.  
habet ipsum puritatis fontem: ita & qua homo,  
purissimam haberet Matrem. 3. Electa est, ut 3.  
talis esset in conspectu Dei, non foris tantum, In con-  
& ad oculum: sed intenta semper, ut Deo pla- spectu  
ceret. Nec id solum, sed etiam in conspectu Dei.  
incarnati



4.  
In cha-  
ritate.

incarnati Verbi, cui erat materna obsequia exhibitura. 4. Et postremò, Electa est in charitate, qua nimirum à sanctissima Trinitate supra omnes creaturas dilecta fuit; à Patre quidem, quòd Mater esset futura unigeniti Filii sui; à Filio, quòd sua ipsius Mater, à Spiritu Sancto, quòd ipse obumbraturus esset Matri Virgini, Dei Filium concipienti.

#### PUNCTUM IV.

Privile-  
gia Con-  
ceptio-  
nis B.M.  
Virg.  
1.  
Imma-  
culata.

2.  
Sine fo-  
mite.

**C**onceptio B. Mariæ. Quando venit plenitudo temporis, concepta est B. Maria, qualem esse Matrem Dei decebat, & qualem potuit sapientia divina sibi Matrem præparare, quatuor imprimis insignitam prærogativis. 1. Concepta est absque labe originali, quia id Filio Dei ex ea nascituro debebatur. Nec ideo non est B. Virgo per Christum redempta: nam cum duo sint redemptionis bona, vel à peccato mundari, vel ne illud incurras, præservari: istud est præcipuum perfectissimæque redemptionis. Præservata autem est à peccato, dum felix illius anima præventa est infusione divinæ gratiæ & charitatis, ne ipsa corpori infusa, ex carne ab Adamo profeminata culpam originalem contraheret. 2. Omnis mali fomitis & concupiscentiæ expers fuit: quales primi parentes conditi sunt, quod posterior Eva non debuerit esse inferior priore, cum creata est: ut nec secundus Adam inferior extitit primo, sed tantò superior. Et præservatio ab originali culpa hoc postulabat, ut rebellionem carnis, pugna-  
que



que cū spiritu careret: quando hæc pugna præcipuus est effectus culpæ originalis, à qua Dei Mater fuit exempta. 3. Confirmata fuit in gratia, ut ab ea excidere nunquam posset per<sup>3.</sup> lethale peccatum, nec verò per veniale de cha-<sup>Confir-</sup>ritatis fervore remittere. Quin ita in Deum ordi-<sup>mata,</sup>inata fuit illius charitas, ut in actionibus suis omnibus id semper ageret, quod optimum, Deoque maximè gratum esse intelligeret: quæ est perfectio beatæ vitæ. 4. In ipso conceptu<sup>4.</sup> tanta ei copia gratiæ habitualis, cælestiumque<sup>Gratiâ</sup> charismatum donata est, quanta nulli alij, etiam<sup>plenissi-</sup> Angelorum, contigit; imò quàm vel accessio-<sup>ma.</sup>ne insignium meritorum nemo potuerit æquare. Quòd si talis concepta est, quantum erit illud gratiæ, quod excellentissimis suis promeritis per omnem vitam accumulavit? quantum porro gloriæ, tum gratiæ primùm infusæ, tum reliquis vitæ meritis respondens? utique immensum gloriæ pondus sortita est. Nec vanum est, quòd tanta illam gratia perventam dicimus, præ omnibus etiam cælestibus, quantò præ omnibus tantò differentius nomen hæreditavit, ut Mater Dei nominetur, & sit.

## MEDITATIO IV.

*De Nativitate & vita B. V. usque ad  
Annuntiationem.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**N**ativitas ejus gaudiū attulit universo mun-<sup>Nativit.</sup>do. Ipsa Trinitas sanctissima gavisa est, gaudiū<sup>B. M.</sup> quando<sup>affert.</sup>



quando illa nata erat, per quam exhibere mundo gloriam suam, salutemque nostram operari decreverat. Ipsi Angeli in cælo, Patrèsque in limbo, & in terra Justi credi possunt inusitato lætitiæ sensu fuisse à Deo perfusi, quamvis ejus causa non esset omnibus perspecta. Nimirum ut aurora solet prænuntia solis exhilarare animos, ita Mariæ ortus mundum lætificavit: quòd si multi in nativitate Præcursoris gavisi sunt, quantò major in nativitate Genitricis Dei fuit causa gaudendi? Porro est quædam ejus nativitas spiritualis, cùm peculiaris quædam devotio erga Dei Matrem in corde nostro oritur, signum haud dubium appropinquantis ad nos justitiæ solis: adeo, ut B. Anselmus non dubitet affirmare eam devotionem, signum esse æternæ prædestinationis, ipsa Dei Matre impetrante nobis certa salutis media. O Virgo potentissima! *In electis tuis mitte radices.*

*Eccl. 24.*  
*13.*

## PUNCTUM II.

De no-  
min: B.  
Mariæ.

1.

2.

*Luc. 2.*

*35.*

3.

**N**omen ei impositum *Maria*. Credibile est divino instinctu: nam & variæ nominis ejus notiones aptè significant hujus puellæ excellentias. 1. Exponitur stella maris, & est *Maria* faustum sidus mare hujus sæculi navigantibus. 2. Mare amarum, est *Maria* pelagus gratiarum, in qua omnes, tanquam in mare flumina confluxerunt, quia & amaritudinibus redūdavit, *cujus animam pertransiit gladius*. 3. *Domina & exaltata*, utique Domina suarum appetitionum. Item Angelorum, quia super omnes exaltata,



exaltata, imò si ita loqui fas est, etiam Dei ipsius, quando Christus ei subditus erat. 4. *Illustrata*, sive *illustrans*: nam & sibi & alijs lumen accepit, quæ Apostolorum magistra meruit appellari. *O Maria, oleum effusum nomen tuum*! Il- luminans, sanans & exhilarans. Luc. 2. 51. 4. Cant. 1. 2.

### PUNCTUM III.

**T**Riennis præsentatur in templo. 1. Voluit Præsent. Deus eam ab infantia sibi dicari, & quasi B. V. in domo Regia educari, quàm filio suo destina- verat sponsam; quàm velut invitans, ait: *An- di filia & vide, obliviscere populum tuum & do- mum patris tui, & concupiscet Rex decorem tuum.* Obaudivit virgo ac libentissimè obsecuta est; tum parentum voluntati, quia, Deo inspirante, illam præsentare Divino servitio voluerunt; tum divino instinctui, interius eam moventi; nam & rationis usum jam tunc habuisse (si non antea ex utero Matris, sicut Joannes) credendum est. Felices, quos Deus tempestivè accipit à sæculo malo. 2. Consideranda pietas parentum Joa- chimi & Annæ, qui obsequentes divinæ inspi- rationi, filiam unicam obtulerunt, ut Anna al- tera Samuelem, postquã ablactatus fuisset. Of- feram & ego me, libertatem & amorem omnẽ. 3. Puellæ promptitudo & fervor. *Letata*, in- quit, *sum in his, quæ dicta sunt mihi: in domum Domini ibimus.* Ingressa templum, alacriter gradus conscendit per hoc innuens, quanto fer- vore ad culmen perfectionis ferebatur, ut ei optimè conveniat illud: *Beatus vir, cujus est* 1. 1. 28. 3. Ps. 121. 5.



*auxilium abs te : ascensiones in corde suo disposuit:*  
*Ps. 83. 6. ibunt de virtute in virtutem , videbitur Deus*  
*Deorum in Sion.* Superatis gradibus, humi pro-  
 sternitur , & ipsa semet penitus Deo offert &  
 consecrat; non ad tempus, ut aliæ virgines sole-  
 bant: sed in perpetuum. Ascendit oblatio in  
*Gen. 2. 21.* conspectu Dei, in odorem suavitatis, *Odora-*  
*tusque est Dominus odorem suavitatis , & ait :*  
*Veni sponsa mea , Ponam in te thronum meum ,*  
*in te habitabo.*

## PUNCTUM IV.

*Vita B. V. in tē- plo.* **V**Itæ ratio in templo. 1. Proficiebat ætate  
 & Spiritu, quasi lux splendens, & crescens  
 usque ad perfectam diem. 1. Per singulas a-  
*Crevit.* ctiones augebatur charitate & gratia. 2. Sin-  
 gulas faciebat omni contentione & studio pos-  
 sibili. 3. Discretè & constanter operabatur. 4.  
 Pios ubique affectus miscebat, & quasi condie-  
 bat quascunque actiones. Quare admirati An-  
*gat. 6. 2.* geli dixisse videntur. *Quæ est ista, quæ progredi-*  
*tur quasi aurora consurgens?* Quæ non retroce-  
 dit, sed crescit semper; *Puchra ut luna?* plena  
 gratiæ, *Electa, ut Sol?* non habens parem; *Ter-*  
*ribilis, ut castrorum acies ordinata?* omnibus in-  
 structa virtutibus, sub regimine invictæ chari-  
 tatis. 2. Consideranda sunt exercitia illius men-  
 talia, quæ comparari possunt Scalæ Jacob :  
*Exerci-* Gradus autem fuerunt: *tia men-* *lectio, Meditatio, O-*  
*alia B. V.* *ratio, & Contemplatio.* Lectioni Sacræ Scri-  
 pturæ insistebat: lecta, meditando ruminabat,  
 tum orationes ferventissimas ad Deum funde-  
 bat:



bat: & denique per contemplationem Deo inhærebat, liquidissimas hauriens voluptates. Sic ascendebat B. illa anima, sed & descendebat ad opera manuum in usus templi: inter ipsa autem opera à Deo nunquam recedens. Porro Angeli etiam ipsi ascendebant & descendebant: quia solent sic occupatos sua visitatione consolari, ferréque in cælum preces.

## PUNCTUM V.

**V**irginitatem vovet, videlicet cupiens quàm Vovet maximè placere Deo, & tota ipsius esse: virgin-  
planè non cogitare, quæ mundi sunt. *Hortus* tatem.  
*conclusus, soror mea sponsa, hortus conclusus, fons* Cant. 4.  
*signatus.* Conclufus & communitus per votum, 12.  
ut nulli pateat accessus, præterquam sponso:  
unde illud: *Quomodo fiet istud?* Luc. 1.  
34.

## PUNCTUM VI.

**N**ihilominus desponsatur viro, præscia divi- Despon-  
nitus, voto suo id nihil obfuturum; vo- satur.  
luit ita Deus. 1. Ut mysterium celaretur dia- 1.  
bolo; dum putaret Mariam more aliarum con-  
cepisse. 2. Ne haberetur adultera, cùm pepe- 2.  
risset. 3. Ut haberet vitæ solatium, & auxilium 3.  
in educatione Filij.

## PUNCTUM VII.

1. **D**esideria incensa adventûs Salvatoris. So- 1.  
let Deus eximium aliquid collaturus, de- Deside-  
siderium ejus excitare, quo præparetur animus. ria In-  
2. Deinde charitas Virginis, quâ ferebatur in carna-  
tionis,  
L 3 Deum, 4.



- Cant. 8.* Deum, accendebat desiderium videndi illum in  
*1.* terris conversantem, ut in Canticis: *Quis mi-*  
*hi det te fratrem meum, sugentem ubera Matris*  
*meae, (factum hominem) ut inveniam te foris,*  
*3.* *& deosculer?* 3. Præterea urgebat illam zelus  
*Zelus,* divinæ gloriæ, à cujus notitia & obedientia to-  
 tus mundus aberrabat, nec non cura salutis hu-  
 manæ: ut proinde voces illas Patrum assidue u-  
*Psalm. 79.* furparet; *Excita potentiam tuam & veni, ut sal-*  
*3. & 84.* *vos facias nos, &c. Et salutare tuum da nobis,*  
*8.*  
*Is. 45. 8.* *Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.*

## MEDITATIO V.

*De tempore exhibitæ Redemptionis.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Promis-  
sa Re-  
demp.

**C**Um homo peccâisset, & mortis sententiam  
 Deus in illum ferret, misericordiæ recor-  
 datus, statim ei remedium promisit, per semen  
 mulieris, quod est Christus. Magni interest,  
 ut, qui lapsus est, continuo resipiscat: dum  
 autem futurum Mediatorem Deus promitte-  
 bat, ad pœnitentiam & reconciliationem jam  
 tunc invitabat, nam in fide venirei justificari  
 statim potuerunt.

### PUNCTUM II.

Oppor-  
tuno tẽ-  
pore.

**Q**Uam opportunitatem Deus captat sui con-  
 silij exequendi. Attollam oculos in perso-  
 nas divinas decernentes, sicut olim. *Faciamus*  
*hominem: ita jam subveniamus lapso. Dein con-*  
 vertam



vertam me ad homines in terra degentes, omni flagitiorum genere coopertos, cum summa veri Dei ignoratione, imò etiam sibi divinitatem arrogantes, & ipsum quoque Dei populū, planè moribus corruptum, itaque affectum, ut non esset venientem Salvatorem recepturus, sed ei potius necem illaturus. Atque hoc mundi statu, ut veniat, decernitur: quasi captata occasione, ut per improbitatem sui populi neci datus, hanc ipsam verteret in remedium, quod & factum. Vide charitatem non averfantis peccatoris: vide misericordiam tali modo subvenientis.

### PUNCTUM III.

**C**Ur non venerit ab initio, duæ sunt causæ. Causæ  
1. Ut morbo invalescente, magis apparet necessitas remedij, ac medici virtus. 2. Ut magis desideratus veniret, plurisque fieret beneficium. Gratulabor mihi, quòd me vivere contigerit, postquam exhibitus est, ut participare valeam copiosius de plenitudine illius.

### MEDITATIO VI.

*De missione Gabrielis, & Salutatione Virginis.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**E**Xpeditur legatio ad Virginem. 1. *DEVS* S. Trinitatis legatio.  
mittit: summa dignatio! *Quid est homo,* quod  
L 4



- Psal. 85.* quod memores ejus, aut Filius hominis, quoniam  
 2. *visitas eum.* 2. Mittitur Angelus Gabriel, cujus  
*Luc. 1.* notio nominis est, *Fortitudo Dei*, quasi quod  
 27. nuntiaret, quamvis difficile, Dei virtute per-  
 3. *ficiendum foret*, apud quem *non est impossibile*  
 3. *omne verbum.* 3. Mittitur ad Virginem, non  
 4. celebrem mundo, sed fabro desponsatam, in  
 4. civitate ignobili. 4. Summa legationis, ut ve-  
 lit esse *Mater Dei*. Etsi Deus potest, quidvis  
 5. jure suo à creatura requirere, vult tamen ob-  
 sequium nostrum esse voluntarium, quo fit sua-  
 vius: sic neque per gratiam ad hominem venit,  
 nisi volentem. 5. Legationes Dei ad singulos  
 hominum sunt inspirationes sanctæ, quæ pro  
 talibus reverenter excipiendæ sunt, & obse-  
 quenter.

## PUNCTUM II.

Saluta-  
tio An-  
geli.

1.  
Ave.

2.  
Gratiâ  
plena.

**S**alutatio Virginis. Gabriel in assumpto aëreo  
 corpore decorus & gravis, sanctimoniam re-  
 ferens, ingressus conclave, reverenter Virginem  
 salutatur. Sic nuntij Evangelici toto habitu cor-  
 poris præferant modestiam, atque interiorem  
 animi compositionem. 1. AVE, pax tecum;  
 securam esse vult. O Ave, quæ Evæ nomen  
 commutasti, illiusque maledictionem in bene-  
 dictionem. 2. *Gratiâ plena*: non compellat ex  
 nomine MARIA: sed novum ei nomen impo-  
 nit, *Gratiâ plena*: quo imprimis gaudere debeat.  
*Plena* vocatur per excellentiâ: nā etsi alij quoq;  
 pleni dicti sunt gratiâ; at hæc præ omnibus;  
 quippe



quippe capacitas vasis amplior, quantò Patris Dei dignitas antecelluit omnes alias: debuit enim accipere gratiæ tantum, ut digna fieret Mater Dei. 3. *Dominus tecum*: omni modo, quo est in iustis: sed in te excellentiùs, tecum per gratiam & peculiarem providentiam, & mox etiam habitaturus corporaliter in utero tuo. Abstinet à verbo, *est, fuit, aut erit*: quia sine variatione semper tecum: *In aeternum non commoveberis*. 4. *Benedicta tu in mulieribus*, expers maledictionis illius: in dolore paries: siquidem absque illecebra concipies. Item illius, quæ opprobrio erat in populo Iudaico, *sterilitatis*; nam virgo concipies: sed inde potissimum benedicta, quia in Filio tuo benedicentur omnes gentes, atque ita omnium benedictionum Mater existes. O benedicam te in vita mea, & tu me benedictionum Filij tui participem facito!

3.  
Domi-  
nus te-  
cum.

Psa. 146.

4.  
Benedi-  
cta tu in  
mulieri-  
bus.

### PUNCTUM III.

Quomodo Maria excipit salutationem? 1. *Caste*, sola, sine teste, ad viri affatum turbatur. 2. *Humiliter*, dum audir sua præconia hæret. 3. *Prudenter* examinans qualis esset ista salutatio. 4. *Silenter*, verecunda tantum vultus mutatione loquens. *Pulchra sunt genæ tuæ, sicut turturis*, avis castæ & verecundæ. O si Eva sic excepisset verba serpentis!

B V. vir-  
tutes.

1.  
2.  
3.

Canti 9

### PUNCTUM IV.

Angelus instat. 1. *Removet timorem*: Ne timeas: est proprium boni Angeli sedare turbatos.

Evangelis.

Instat  
Angelus.

L s

batos



batos animi motus, quod est necessarium ad divina excipienda: quamvis ea Mariæ turbatio caruerit vitio, imò fuerit laudabilis. 2. Fiduciæ causam indicat; *Invenisti enim gratiã apud Deũ: ô securum mentis solatium!* ab hoc fonte manant reliqua, quòd *gratiã plena*, quòd *Dominus tecum*: quòd *benedicta sis*: O, inveniam gratiam apud Filium tuum, Virgo Mater benedicta!

## MEDITATIO VII.

*Expositio nuntii ad Virginem.*

### PUNCTUM PRIMUM.

1. **Q**ualem concipiet? **N**unciat, quòd sit editura filium, & qualem eum, ac quantum. 1. *Vocabis nomen ejus Iesum*, quod Deus vocari jubet, id in re est: erit igitur Salvator. 2. *Hic erit magnus*, & natura, quia Deus: & officio, quia mediator Dei, & hominum: & donis, quia, *Unxit eum Deus participibus suis*; itaque absolutè magnus & excellenter. 3. *Filius Altissimi*, non ut alij justì per adoptionem, sed naturalis. 4. *Dabit illi Dominus sedem David*, thronum & imperium in illo Davidico significatum, non quale illud fuit, sed excellentius. 5. *Et regnabit in domo Jacob in æternum*, non in carnali domo Jacob, sed in spiritali, in Ecclesia credentium, idque *in æternum*. Qui igitur tantus est, ecce eum concipies, & paries: eò usque se demittet, ut cõcludatur in utero tuo, & fiat infans. *Parvulus quippe natus est nobis, & Filius datus est nobis, & factus est principatus super humerũ ejus*. Hic lapillus excisus è monte sine manibus, implebit terram. PUN-

Luc. 1.

31.

2.

3.

4.

5.

Isa. 9. 6.



PUNCTUM II.

**R**espōsum Virginis: *Quomodo fiet istud? quoniam virum non cognosco.* 1. Elucet eximius sum Virginitatis amor, quod tanto promisso non capit: quin consultum vult suo pudori & voto, atq; nuntium examinat ex debito suo. Sic cautos pro castitate esse, oportet; nec per speciem boni in pericula irruere. Didicerat ex Isaia, quod Messiam Virgo conciperet: Cum ergo promitteretur ei Messias in filium, an modò id fiat à Prophe- ta indicato, prudenter exquirat. 2. Prudentia respon- si. 1. Non praeceptum, bis prius interpellata, Prudentia tandem loquitur. 2. Parcum & necessarium, ut non potuerit esse magis, 3. Modestum ac humile: servavit consilium Sapientis: *Adolescens loquere in tua causa vix: si bis fueris interrogatus, habeat caput responsum tuum.* Eccl. 32. 10.

PUNCTUM III.

**R**esponsio Angeli, rem divinitus patrandum esse. 1. *Spiritus Sanctus superveniet in te;* ita ut quæ antea plena es, superimpleat te magis ac magis gratia sua, ad dignè concipiendum talem Filium. 2. *Virtus Altissimi obumbrabit tibi:* ut absque concupiscentiæ æstu concipias, ipso operante, sine viro. 3. Id autem fiet, quia, *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Sanctum nascetur, quia ex modo conceptus fui, non erit culpæ obnoxius, ut cæteri filij hominum. Debeatur, Filio Dei, ut quando nasci homo dignabatur, ita conciperetur, ut ratione sui conceptus non contraheret culpam; contraxisset autem,

1.  
Opus  
Spiritus  
Sancti.

2.

3.



autem, aut certè reus fuisset contrahendi, si ei viro conciperetur. Amolitur ergo Angelus huius rei suspensionem, atque sanctum nasciturum, non ut Mater ejus, quæ per præventionem gratiæ præservata est à culpa originali; sed plane *sanctum*, ac proinde absque viri ope concipiendum. O superveniat in me Spiritus Sanctus, & etiam atque etiam suâ gratiâ impleat! obumbret autem adversus ardorem perverfarum cupiditatum, *in æstu umbraculum*.

## PUNCTUM IV.

Exempl.  
Elisa.  
beth.  
2.

2.

3.

**A**ngelus fidem facit exemplo Elisabethæ. 1. Inducit hoc exemplum ut innotesceret Virgini: unde non parum lætitiæ erat perceptura. 2. Quia solet Deus fidem sibi habentibus signum aliquod exhibere ad fidei solatium: sicut in incredulos animadvertere: ut cum Zachariam cæcitare percussit. 3. Sed illud potissimum divinis dictis assentiendi fundamentum esse monet: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum*, facere potest, quicquid dixerit. Discam, ego quod sterilis parit Ioannem, id est, gratiam, contingere spiritualiter, quando peccator concipit, & parturit spiritum salutis, bonorumque operum. Virgo etiam parere potest, si filios Christo generet spirituales.

## MEDITATIO VIII.

*De assensu Virginis.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Assenti-  
tur.

**R**esignatio Virginis in qua elucet. i. *fides singularis*, quòd Virgo esset conceptura & paritura.



ritura. 2. *humilitas* eximia, dum se ancillam dicit, quæ Mater DEI salutabatur. 3. *Obedientia* ad omnem Dei voluntatem.

## PUNCTUM II.

**E**Xpendenda sunt singula verba. *Ecce* usur- Ecce.  
 pari solet ad indicandum aliquid singulare.  
 Sic Gabriel dixerat: *Ecce, concipies*; vicissim Vir-  
 go: *Ecce ancilla*, quasi dicat immerita, & lon-  
 gè à tanta dignitate. Solent Sancti, dum exal-  
 tantur, suum imperfectum ante oculos ponere,  
 indèque humiliari. *Ancilla*, nomen est inter Ancilla  
 homines vile, apud Deum autem honorificum. Domini  
 Ancilla fuit 1. Quia Domini se totam esse co- unde?  
 gnoscebat, tum jure creationis, tum, quia se il- 1.  
 li mancipaverat, à cuius servitio nunquam dis-  
 cessit. 2. Quia voluntatem Dei semper specta- 2.  
 bat, non suam, quod est servi. 3. Quia non ob 3.  
 mercedem serviebat, ut mercenarius, sed cogi-  
 tabat se teneri ad omnia, illud implens. *Cum* Luc. 17.  
*facietis omnia, quæ præcepta sunt vobis, dicite,* 18.  
*quia servi inutiles sumus, quod debuimus facere,*  
*fecimus.* 4. Non sibi laborabat, sed Domino, 4.  
 gloriam illius tantum quærens, ut cum sponsa  
 dicit. *Omnia poma nova & vetera, dilecte mi, Cant. 7.*  
*servavi tibi.* 5. Non Domino solum, sed cæ- 13.  
 teris etiam domesticis serviebat, more ancillæ 5.  
 infra omnes abiciens sese, ut ei conveniat istud  
 Abigail ad David; *Ecce famula tua sit in ancil-* 1. Reg.  
*lam, ut lavet pedes servorum domini mei.* Sic af- 25. 41.  
 fecta erat B. Maria Mater Dei, quæ inde etiam  
 ancillæ sortè gloriabatur, quod sciret Filium suum  
 à Pro-



*Isa. 44.* à Prophetis servum nuncupatum. Exultabo & ego tali nomine cum Davide dicens. *O Domine! ego servus tuus & filius ancillae tuae. Fiat mihi.* Humilis obedientia & resignatio, ac si dicat: quamvis indignam me sentiam tanto munere, subjicio tamen me divinae voluntati. Et si quidem Deus consensum à me requirit pro sua bonitate, qui jure suo potest pro libitu disponere, permitto me ipsi. Et tandem opus hoc omnipotentiae Dei est, qui dicendo *fiat*, creavit caelum & terram, dicat ille, & factum erit. Fortè etiam praevidens passionem Filij & suas causas Filij, hoc verbo acceptavit omnes, seque obtulit paratam. *Secundum verbum tuum*; potest sic exponi, quasi Angelum alloquatur, secundum verbum, quod dixisti. Potest & ad Deum referri, ad quem elevata mente dicat. *Secundum verbum tuum*, prout disposuisti. Quin secundum verbum tuum, qui es Filius tuus, & vult fieri etiam servus. Fiat igitur in me, quod ille vult. Sic ego me in manus Dei resignare discam.

Secundum verbum tuum.

## PUNCTUM III.

**R**ecessus Angeli. 1. Exultavit Angelus, tum de tam sublimi legatione à se obita, tum de optato illius exitu. 2. Mox se proripuit, & in caelum remeavit: ita nos obitis mysteriis debemus ad DEUM, & ad interiora nos referre. 3. Reddita Deo ratione legationis, iterum se exhibet promptum ad alia obsequia: ita & nos. uno expleto ministerio, non dicemus, satis est, sed

1. Angelus laetus.  
2. Redit.  
3. Promptitudo.  
*Job. 38.*  
35.



sed alacres erimus ad plura. Est id Sanctorum Angelorum, ut significatur apud Job. *Nunquid mittes fulgura, & ibunt, & revertentia dicent, adsumus.* 4. Credibile est, quod Angelus Gabriel apud Caelites deprædicaverit prudentiam, humilitatem, reliquâque sanctitatem Virginis Mariæ. Tu imitare.

4.  
Laudes.

## MEDITATIO IX.

*Executio Incarnationis & corporis assumpti qualitates.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Quomodo ipsa Verbi Incarnatio peracta sit. In momento, quo B. Virgo consensit, sanctissima Trinitas operata est totum mysterium, formando corpus perfectum ex purissimo sanguine B. Mariæ, creandôque animam rationalem, utrumque autem personæ Verbi Divini uniendo, ita ut eadem fieret persona Dei & hominis, atque ita unus & idem esset Deus & homo. 1. In hoc opere complacuit sibi Beatissima Trinitas, tanquam se in primis digno singulæque Personæ divinæ peculiarem habuere exultandi rationem. *Pater*, ob adimpletam promissionem suam, & quia in hunc hominem Deum summo, præ omnibus simul creatis, amore ducebatur. *Filius*, ob arctissimum complexum assumptæ naturæ, in qua totum genus humanum cognatum sibi fecerat, quare incepit hominem amare, tanquam se. *Spiritus Sanctus*, quod

1.  
Lætatur  
SS. Trinitas.

opus



*Isa. 2. 1.*

2.

Huma-  
nitas.

3.

B. Virgo.

*Luc. 1.*

47.

opus id esset eximii amoris, & ita ipsi peculiariter, attributum, quodque *super Christum ipse Spiritus Sanctus* absque mensura *requievisset*. 2. Exultavit ipsa Humanitas assumpta, circumspiciens, quo esset evecta. 3. Tum Mater in B. Virgo. cujus thalamo fuere nuptiae istae admirabiles, Dei & hominis celebratae. Nam & hoc credibile est, quod hoc arcanum tunc ipsi fuerit revelatum, ut penitus in illud introspiceret. At si ad Elisabethae gratulationem ita *exultavit spiritus ejus in Deo salutari suo*: quanto majori laetitiae sensu perfusa est, cum intra viscera ejus tota Trinitas illud perficeret?

Est cur etiam exulemus nos ipsi, propter quos id totum peractum est, quique in Christo evecti sumus ad quandam cum Deo cognationem, tantum, ne degeneres simus.

## PUNCTUM II.

Christi  
corpus  
mortale.

**C**ur mortale & patibile corpus accepit? Etenim quod esset Deus, & qua homo, ab originali culpa immunis, debebatur ipsi immortalitas, & impatibilitas, cum contraria sint poena peccati. Item, quia secundum animam beatus, & clara Dei visione fruens, debuit corpus habere gloriosum. Voluit tamen ea assumere ad commendationem charitatis, & ad exemplum humilitatis, dum quasi culpae reus, quae non rapit, exolvit. Contra ego reus poenas debitas refugio.

## PUNCTUM III.

Carin-  
fans?

**C**ur corpus infantile accepit, & in utero formari voluit, cum potuisset aliunde accipere



pere corpus perfectum? 1. Ut per omnia fratribus assimilaretur, & tenerius ad amandum pelliceret nos infans Deus. 2. Ut tanta demissio nos permoveret. Cæli te non capiunt, & clauderis in utero Virginis! 3. Ut ingrediens mundum, patientiæ & mortificationis daret documenta. Ut enim clauderetur utero & inde aleretur, captusque sensibus in abdito illo per novem menses delitesceret; & is quidem, qui iudicio integro rationis, internisque sensibus pollebat, mirum quantæ vexationis fuerit?

1.

2.

3.

## MEDITATIO X.

*De perfectionibus animæ Christi, & de affectibus illius in ipso conceptu.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Quæ dona Christi animæ infusa in ipso conceptu? Quanta debebantur Filio Dei. Unde à Ioanne dictum est. *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre, plenum gratiæ & veritatis.* Et à Ioanne Baptista. *Non ad mensuram dat ei Deus Spiritum. Pater enim diligit Filium, & omnia dedit in manu ejus.*

Ioan. 1.

14.

Gratiæ

Christo

data.

Ioan. 3.

34.

1. Puritas sine macula, quippe erat agnus Dei, qui tollit peccata mundi, ideoque ipse impeccabilis. 2. Sanctitas in summo gradu supra Angelos, scilicet non solum fuit à culpa remotissimus, sed interna etiam sanctitate simillimus Deo. 3. Visio clara Dei, quæ est gratia consummata, & qui illam sequitur,

1.

2.

3.

M amor,



- amor, & fruitio gaudii ineffabilis, de quo intelligi potest illud. *Propterea unxit te Deus oleo*  
*Ps. 44. 8. latitiae prae consortibus tuis.* 4. Omnes thesauri  
 sapientiae & scientiae Dei, unde novit omnia, non praesentia modò, sed praeterita, ac futura; quippe iudex omnium actionum constitutus. 5.  
 6. Potestas miraculorum pro nutu voluntatis. 6. Potestas excellentiae in ipsa interiora cordium, dimittendi peccata, flectendi corda, largiendi gratias spirituales, & Sacramenta constituendi.  
 7. 7. Gratia capitis Ecclesiae militantis, & triumphantis, atque hujus tam Angelorum, quam hominum, à quo proinde influxus in totum corpus manet, & est ipse praedestinatorum primus,  
*Rom. 8. Primogenitus in multis fratribus, ad cujus exemplar cæteri praedestinantur, conformes fieri im-*  
*Zach. 3. gini Filii Dei.* Hi sunt *septem oculi in lapide uno*  
*9. apud Zachariam, & Stella septem circa Filium*  
*Apoc. 1. hominis à Ioanne visæ.*  
 16.

## PUNCTUM II.

4. Affectus  
 Christi  
 erga  
 Deum.

Quos in Deum affectus elicuit Christus in momento conceptionis, quando visa Dei facie, clarè aspexit, quantis bonis praeventus fuisset? Quatuor velut flumina ex Paradiso ab illa anima beata magno impetu eruperunt; amoris in tantam bonitatem; gratitudinis ac studii referendae vicis, humilitatis, recognoscendo ex se, qua homo, non ea habere, sed gratuita esse dona Dei; tandem obedientiae promptae & liberalis oblationis sui ad omnia pro Patris



Patris gloria. Afficiat ego similiter pro omnibus,  
quæ retribuit mihi.

### PUNCTUM III.

**Q**UOS affectus erga proximum conceperit?  
Tot tantisque sceleribus animadversis, per  
quæ offendeatur in primis Deus, tum peribant  
homines, deque illis diabolus triumphabat, in-  
estimabilem concepit dolorem, non obstante,  
quod aliunde ex visione clara Dei, immenso  
perfundeatur gaudio, quid ego pro meis, non  
ut Christus pro alienis, concipiam? Ut autem  
ille ab initio sui conceptus, ita & ego statim ac-  
lapsus sum, dolorem assumam & lamentum, &  
intellecta tunc voluntate Patris, ut per ipsum  
tanto malo remedium afferretur, immensum  
amorem, quo prosequeretur Patrem, in ipsum  
etiam hominem convertit, quem sic amari à Pa-  
tre suo cernebat, & ex amore ardens concepit  
desiderium eundem redimendi, proque zelo di-  
vinæ gloriæ gavisus est, datam sibi occasionem  
& facultatem vindicandi illam ab injuriis pec-  
catorum. Quare obtulit se, dicens. *Sacrificium*  
*& oblationem noluisti, corpus autem adoptasti* Ps. 39. 7.  
*mihi, ecce venio, ut faciam voluntatem tuam,* Heb. 10. 5.  
DEUS?

Erga  
proxi-  
mum.  
1.  
Dolor de  
peccatis.

2.  
Oblatio  
sui.

### PUNCTUM IV.

**Q**UOD Christo à primo momento fuerunt à  
Patre æterno proposita & sigillatim repræ-  
sentata, quæcunque per omnem vitam pati specie  
eum & ogere oportebat pro salute nostra, atque

Pro om-  
nibus in  
specie  
mortuus



ea tunc tanquam Patris sui præceptum obsequentiſſimè acceptavit, ut & in decurſu vitæ affiduè poſtea fecit, ſeipſum quotidie immolans. Nec generatim tantùm, ſed nominatim ſingulos, pro quibus illa acceptavit, ante oculos habuit, eiſque ſpeciatim applicuit laborum ſuorum fructum. Quare Paulus ita loquitur, & ego quoque loquar. *Qui dilexit me, & tradidit ſemet-ipſum pro me.* Fui ego, fui in illius mente, in primo illo inſtanti ſuæ conceptionis, & me reſpexit, & pro me obtulit ſeſe jam tunc.

*Galat. 2.*

## MEDITATIO XI.

*De profectione B. Mariæ ad Eliſabetham.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**Q**UOD Christus mox à conceptu properavit Præcurſorem ſuum Ioannem ſanctificare, ſicque impulit Matrem, ut Eliſabetham inviſeret. Jam tunc auſpicatus eſt officium Salvatoris, & jam eſt de bono ſuorum ſollicitus, & per hoc ſignificat, quantum malum ſit diutius in peccato hæſere.

Christus  
feſtinat.

### PUNCTUM II.

**P**OTUIT abſens ſanctificare Ioannem Baptiſtam, ſed maluit præſens, charitatis & humilitatis præbens exemplum, dum major adit minorem. Deinde, ut Maria eſſet cooperatrix. & inſtrumentum primæ huius ſanctificationis, futura

Præſens  
ſanctifi-  
cat Ioan.



futura aliquando Mediatrix peccatorum apud Filium. Demum quia Christus animam, quam ingreditur, urget ad opera pietatis, atque à contemplatione ad actionem instigat, pro gloria Dei.

### PUNCTUM III.

**Q**uemadmodum B. Virgo obedivit inspirationi divinæ. Non mandatum expectavit, sed nutum secuta est; non texuit moras, sed abiit cum festinatione, non mota intentione minus recta, vel curiositatis, vel explorandi causâ, an ita res haberet, quòd Elisabetha concepisset, sed ut Deum in illa glorificaret. Denique non est territa difficultate viæ, & insolito labore, nec dedignata est ipsa mater jam Dei visere matrem servi. Considera etiam modestiam in publico, non circumspiciens, sed afflans intuentibus sanctimoniam, Dignum *Salomonis ferculum*, quo Rex pacificus circumfer-  
B. Virg. obedi-  
tia per-  
fecta.  
Cant. 3.  
9.

### MEDITATIO XII.

*De ipsa visitatione Elisabethæ.*

#### PUNCTUM PRIMUM.

**M**aria prævenit salutando Elisabetham, ac Ingres-  
sus B. V.  
mea mediante salutatione, Verbum Divi-  
num, in ejus utero inclusum, replet bonis Ioan-  
nem. Nam expiat illum à labe originali, donat  
ad Elisa-  
betham  
gratia & sanctitate, usum rationis tribuit, Pro-  
phetam  
felic  
Ioan. I.

M 3

phetam



phetam facit, & mysterium edocet Incarnationis, gaudio exultare facit, & hæc in momento omnia. Nempe facile est Deo *subito honestare* *Eccl. 15. pauperem.* Et illud quadrat: *Rex, qui sedet in solio* *23. iudicii, dissipat omne malum intuitu suo,* Christus *Prov. 20. in MARIÆ gremio.* Hinc confidam, mediante eadem Matre Virgine, me quævis obtenturum.

## PUNCTUM II.

Elisab. **E**ffectus eiusdem salutationis in B. Elisab. *1. Quod excitata est ad DEI Matrem*  
*Laus B. prædicandam magna voce, Benedicta tu in mu-*  
*V. lieribus, sicut Gabriel te compellavit, & benedi-*  
*ctus fructus ventris tui.* Hoc plus dico, quàm Ga-  
 briel, nam à fructu tu benedicta, non ille ex te.  
 Adverte, quod Spiritus Sanctus impellit ad Chri-  
 sti & Mariæ glorificationem. *2. Inspirata est ei*  
 humilitas, agnitioque beneficii. *Unde hoc mihi,*  
*ut veniat Mater Domini mei ad me?* Ita solet  
 Spiritus Sanctus inter dona ipsa sensum humili-  
 tatis dare, gratiamque acceptorum recognitio-  
 nem: nam sequitur; *Ecce enim ut facta est vox*  
*salutationis tue, exultavit infans præ gaudio, in*  
*utero meo.* Taliter affici debemus, quando nos  
 Deus visitat: & maximè in sacra communione.  
*3. Donum accipit Prophetiæ: nam confirmat*  
 Prophet. *animum Virginis per spiritum propheticum, lau-*  
 dans illam, quod crediderit, & prænun-  
 cians perficienda omnia in ea, quæ ei dicta  
 fuerant ab Angelo. Sic lumen gratiæque à Deo  
 acceptas oportet referre ad aliorum utilitatem.

4. No-



4. *Nomen novum* MARIAE datum promulgat, compellans eam Matrem Dei.

## PUNCTUM III.

**M**editatio circa Canticum B. Mariæ: ubi Canticū  
B. V.  
considera, quòd laudata B. Virgo ab Elisabetha, non reddidit ei vicem more mundano, sed omnia in Deum transfert. Ita avertendæ laudationes. Deinde quæ parca alioqui verborum, circa Deum liberalis, implens illud. *Benedicentes Deum, exaltate illum, quantum potestis: Eccl. 43: major est enim omni laude.* Nimirum ex abundantia cordis loquebatur. Porro decem constat versiculis, quasi totidem chordis psalterium *Magnificat anima mea Dominum.* Magnificè de Deo sentiens, & summa ejus omnia ducens, & toto corde exaltans. Non in præterito aut futuro loquitur, sed in præsentī, magnificat, quasi hoc sit ipsius perpetuum studium. *Et exultavit spiritus meus in Deo salutari meo,* docet nos qualiter sit gaudendum. 1. Non in corporalibus, sed in spiritualibus gaudere oportet. 2. Non tam in donis, quàm in largitore ipso. 3. Etsi in Deo, tanquam naturæ autore, magis tanquam in salutari & Redemptore. 4. Spiritus imprimis gaudeat, superior animæ pars: etsi solet in corpus etiam redundare. *Cor meum & caro mea exultaverunt in Deum vivum.* 5. In Deo & non in me ipso, illi tribuendo omnia, non mihi. *Anima mea exultabit in Domino, & delectabitur super salutari suo.* Quia respexit humilitatem ancillæ suæ. Re-  
Quomo-  
do gau-  
dendum  
1.  
2.  
3.  
4.  
Ps. 33. 3.  
5.  
Ps. 39. 2.  
Causæ  
magni-  
ficandi.

M 4

gnificat,



1. gnificat, tres sunt propriae, septem cum aliis communes. Hæc igitur prima. *Quia respexit*, id est, benignè facere. *Humilitatem ancillæ suæ*, parvitatem atque vilitatem. quo dicto non prædicat suam virtutem humilitatis; sed eam exercet, agnoscendo suum nihilum & indignitatem quantum ex se, ergo ait, quia benefecit immerenti. Sic Sancti sunt affecti, & ita impetrant à

*Ps. 112.* Deo gratiam, qui *humilia respicit in cælo & in terra*: Et, *quoniam respexisti humilitatem meam*,

*Ps. 30. 8.* *salvast de necessitate animam meam. Ecce enim ex hoc beatam me dicent omnes generationes.* Hæc

2. *Causa.* secunda causa glorificandi Deum, quanquam non tam, quòd ipsa prædicanda sit beata, quàm quòd tantis eam Deus prævenit benedictionib⁹, unde id secuturum sit, magnificat Deum, tum etiam, quoniam ea prædicatio cessura sit in emolumentum ipsorum, qui beatam eam dicent, in quibus ut ego sim, beatam te dico. Beata es, ut Elisabetha dixit, quia credidisti, Beata, ut pia illa Mater exclamavit, quia portasti utero tuo Christum, & multò etiam magis, quia audisti, & custodisti mente verbum Dei. In te omnes illæ octo benedictiones conveniunt excellenter, quas Filius tuus pronuntiavit. Beati pauperes spiritu, mites, &c. *Quia fecit mihi magna, qui potens est, & sanctum nomen ejus.* Tertia causa magnificandi magnalia fuerunt, quòd Virgo esset & Mater, & quòd Mater Dei, tum cætera, quæ propterea ipsi divinitus collata sunt, quæ simul omnia ante oculos habens, magnificat Deum, quia fecit ei verè magna.

Nec



Nec obstat humilitati, quòd se magnam à donis agnoscit, dum ea refert soli Deo accepta, quod & faciunt in cœlo Beati, gloriam dantes Deo. Porro omnipotentiam & sanctitatem Dei laudat, ut etiam illi dicentes: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus omnipotens:* ab omnipo- Apoc. 4. tentia quippe Dei veniunt talia opera: referuntur autem eo, ut Dei nomen sanctificetur, quod est omnino sanctum, dignumque ab omnibus sanctificari. *Et misericordia ejus à progenie in progenies timentibus eum.* Quarta causam com- 4. Causa. munis cum aliis, à misericordia Dei in omnes diffusa, & in omnem posteritatem. Videlicet cogitabat Verbum illud hominem factum, quod utero gestabat, per magnam Dei misericordiam esse datum ad salutem omnium gentium, pro quo beneficio non qua suum tantum, sed qua omnium, magnificat autorem. Ita enim justipro alienis etiam gratias Deo agunt, non tantum, ut propria sunt. Illud etiam magnificat, quòd Dei misericordia ita est profusa, ut quantumvis benefaciat, ulterius semper disponat benefacere, à progenie in progenies: quippe inexhausta. *Fecit potentiam in brachio suo.* Quinta causa ab operibus omnipotentiae divinæ, qualia Deus 5. Causa. plurima patravit ab initio mundi, in creatione, conservatione, & gubernatione illius, ac præsertim in providentia circa hominem, cujus causa operatus est tot magnalia in populo Hebræorum, & tandem jam mirabilium maximum, Incarnationem Verbi pro salute hominum. Quæ simul animo complectens Vir-



6.  
Causa.

go prudentissima, magnificat Dominum, *Dispersit superbos mente cordis sui.* Sexta causa laudis ab operibus justitiæ, quòd superbum Luciferum exaltantem solium suum, quòd molitores Turris Babel, quòd Pharaonem, Nabuchodonosor, & alios passim elatos humiliare consuevit, amator ipse humilitatis, adeò ut etiam exinaniverit seipsum, & hac sua potissimum humilitate superbos depresserit. *Deposuit potentes de sede, & exaltavit humiles. Esurientes implevit bonis, & divites dimisit inanes.*

7. Causa septima & octava à justitia simul & misericordia, ex comparatione diversorum inter se, potentium & humilium, divitum & esurientium: nam potentes deponit, exaltat humiles, esurientes replet, abundantes egere facit. Est & hoc judicium Dei magnificatione dignissimum, de quo tanquam suo opere gloriatur.

1ob. 40. *Disperge superbos, & confunde eos, &c. Et ego confitebor, quòd salvare te possit dextera tua;* & alibi, *Qui ponit humiles in sublimi, qui dissipat cogitationes malignorum.* Quia verò id maximè convenit tempori Evangelii, inde prophetissa no-

9. & 10. *stra magnificat Deum. Suscepit Israel puerum suum recordatus misericordiae suae. Sicut locutus est ad Patres nostros, Abraham & semini ejus in secula.* Nona & decima causa. Prima à providentia erga suos: nam etsi videtur aliquando eorum oblivisci, in tempore tamen semper adest. Secunda à fide promissorum, quam certò servat. Utrumque eluxit in Christi adventu, qui etsi dilatus, cùm opportunum fuit, factus est: im-

pletæ



pleræ quoque sunt promissiones, Abrahamæ cæterisque Patribus factæ.

#### PUNCTUM IV.

**Q**UOD B. Virgo manserit apud Elisabetham quasi mensibus tribus. Ubi cogita, qualis inter ipsas conversatio fuerit, quàm inflammata colloquia, & divini sermones ab eis habiti fuerint, & quantum Elisabeth profecerit ex tam diuturno Mariæ consortio, quæ prima salutatione sic fuerat affecta. Et quæ denique sanctitatis exempla, ac qualem odorem Virgo Mater afflaverit toti domui, quantasque benedictiones à Deo conciliaverit. Nam si ob commemorationem Arcæ Deus benedixit Obededom, ut David ejus æmulatione, eam constituerit adducere in domum suam: quanto Maria melior est illâ Arcâ? Zachariæ tamen non est redita loquela, quia impleri debuit Angeli prædictio, & opportunius erat ad gloriam Dei, ut in ipsa Nativitate Ioannis id fieret. Discam non præfigere tempora, aut modum Deo, eique me committere.

Ædificatio Mar.

Benedictio.

2. Re. 6.  
12.

#### MEDITATIO XIII.

*De nativitate Præcursoris.*

#### PUNCTUM PRIMUM.

**I**lius conceptio. 1. Ex sterilibus Parentibus, Conceptionis & justis, qui filium à Deo impetrârunt: prionis nam, quæ etiam Deus facere destinavit, exequi- circumstantiæ.  
tur



1. tur per orationes. 2. Idem Gabriel Zachariæ de  
 2. Ioanne nuntiavit qui postea Mariæ de Christo,  
 3. par in Angelis promptitudo obsequendi, sive  
 magna, sive minora imperentur. 3. Iubet Ga-  
 briel vocari Ioannem, id est, gratiam, quod  
 gratia in ipso singulariter eluceret, qui sine me-  
 ritis ad tantum officium esset electus, & esset  
 etiam divini in se habitantis gratiæ insignia do-  
 cumenta daturus, & præcipue, quod gratiæ E-  
 vangeliij Præcursor veniret: nam *Lex usque ad*  
 13. *Ioannem*. 4. Prædicit magnum fore coram Do-  
 4. mino, sanctitate & officio. 5. Speciatim victus  
 5. asperitatem commendat: *Vinum & siceram non*  
*Luc. I. 15.* *bibet*: tanquam verus Nazaræus, Deo consecra-  
 6. tus. 6. *Et Spiritu Sancto replebitur, adhuc ex utero*  
*Matris suæ*, pro dignitate officij, & ex utero us-  
 7. que ad finem talis erit. 7. *Præcedet in Spiritu &*  
*virtute Eliæ*: zelus commendatur. *Et convertet*  
*multos filiorum Israël*, parabitque Domino ple-  
 bem perfectam, ad recipiendum Evangelium.  
 Itaque erga Deum pius, erga se austerus, erga  
 proximum zelatus.

## PUNCTUM. II.

Præro-  
gativæ.

1.

2.

3.

**P**Rærogativæ Ioannis in utero. 1. Quod pri-  
 mitiæ fuerit sanctificationis à Christo im-  
 pertitæ post Incarnationem, & adeo copiosissi-  
 mæ. 2. Quod acceptum semel usum rationis  
 tunc etiam conservaverit, Unde adhuc ex utero  
 per ferventes actus merita colligebat. 3. Quod  
 ejus intuitu replevit Deus ejus matrem spiritus  
 Prophetico, ac donis.

PUN-



PUNCTUM III.

**N**ativitas Ioannis. 1. Mater divinitus edo- In nati-  
cta vult vocari Ioannem. 2. Pater recipit vitate.  
loquelam & prophetat: *Benedictus, &c.* 3. Ex- quæ ac-  
ultatio, ut prædictum fuerat. *Multi in Nativita-* cidere.  
*te ejus gaudebunt. & admiratio: Quis putas puer* Luc. I.  
*iste erit?* 4. Quòd jam tunc *Manus Domini erat* Isa. 49. I.  
*cum illo. Dominus ab utero vocavit me, in umbra*  
*manus sue protexit me, &c.*

MEDITATIO XIV.

*De eo, quòd Ioseph voluit dimittere Ma-*  
*riam conjugem suam.*

PUNCTUM PRIMUM.

**S**anctitas Iosephi: nempe pro munere, ad SS. vete-  
quod fuit electus. Superavit Patriarchas, fi- ris Test.  
de Abrahamum, tolerantia Iacob, castitate al- superat  
terum Iosephum, consuetudine cum Deo Moy-  
sen, charitate populi Samuelem, humilitate &  
mansuetudine Davidem. Ut divinis vacaret, vo- Votum  
to se castitatis obstrinxit, quam ita eximiè con- Castita-  
secutus est, ut ex consuetudine familiari Virgi- tis.  
nis nihil animus ejus contraheret, imò ad amo-  
rem ejus virtutis magis accenderetur.

PUNCTUM II.

**Q**uòd Deus non revelaverat Iosepho myste- Exerci-  
tium, sicuti Elisabethæ & Zachariæ, ad ex- tatio Io-  
ercitationem virtutis tum Mariæ, tum Iosephi, seph. &  
Mariæ.  
dum



*ps. 25. 2.* dum hic angitur de sponsæ lapsu, illa de infamia apud justum. Sic suos probat Deus. *Proba me Domine, & tenta me.* Et debet cum gaudio suscipi, quando absque culpa nostra; & præsertim, quando potius propter virtutem tribulatio contingit, ut Mariæ.

## PUNCTUM III.

Hinc  
quæ vir-  
tutes.

**Q**Uæ inde eluxerint virtutes Iosephi. Patien-  
tia, in dissimulando factum, non expro-  
brando, non deferendo, prudentia, dum cogi-  
tat dimittere, cum qua, ut adultera, non conve-  
niebat habitare; nec id præcipitat, sed voluit  
animo. In Maria elucet. 1. Humilitas, nihilo-  
minus mysterium reticendo, nec apud maritum  
ullam sui defensionem afferendo: non sic ego,  
qui effutio, si quid ad honorem facit, & mille  
texo excusationes in peccatis, 2. Confidentia  
in divina providentia, cui se per orationes com-  
mendabat.

## PUNCTUM IV.

Revelat  
Deus.

**R**Evelatio per Angelum: nimirum humanis  
mediis deficientibus, præstò sunt divina.  
Expende gaudium & gratulationem utriusque,  
nec non revelationis ipsa verba. Exemit scrupu-  
lum: *Ne timeas*: sponsam purgat, ex *Spiritu S.*  
*est*, nutritium, & quasi patrem Christi consti-  
tuit, *vocabis nomen eius Iesum.*

## PUNCTUM V.

**E**T accepit conjugem suam, introduxit in do-  
mum,



num, nec tamen cognovit usque ad partum, nec post. Qualis deinceps inter eos convictus?

## MEDITATIO XV.

*De expectatione partus.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**Q**uomodo ipse Christus infans expetierit ardenti desiderio perficiendi salutem nostrā, ut jam tunc diceret: *Baptismo habeo baptizari; & quomodo coarctor, donec perficiatur?* Nihilominus continuit sese per novem menses, neque ad diem secum dispensavit, quod ea inclusio pœna quædam esset, ad satisfaciendum pro nobis; quales occasiones non omittebat. Deinde, erat quasi quidam secessus, in quo opus suum Patri commendabat, antequam illud aggrediretur; sicut in deserto comparavit sese ad prædicandum per dies quadraginta.

I.  
Nascēdi  
deside-  
rium in  
Christo.  
*Luc. 12.*  
50.

### PUNCTUM II.

**D**esideria B. Mariæ videndi. & fruendi aspectu Filij, quem sciret Deum, & ex ipsa hominem. Item fovendi, serviendi ipsi, maternāq; obsequia exhibendi, pro eo, quod dignatus esset ipsam habere matrem. Quare dicebat: *Quis mihi det te filium meum, ut inveniam te foris, & deosculer te?* Et tandem optabat eum prodire communis salutis causā. Ego similiter in me desideria excitabo, ut Christus in me & aliis nascatur per gratiam, utq; illum omnes amēt, eiq; serviant.

In Beat.  
Virg.

*Cant. 8.*

*1.*



Prov.

28 25.

Prov. 21.

2.

viant. Item conceptos animo salutare affectus, ut pariam, & in rem deducam, adnitar: quòd nì fiat, velut fœtus, ultra tempus utero inclusus, excruciat matrem, ita cohibita inspirationes divinæ exulcerant mentem. *Desideria*, inquit Sapiens, occidunt pigrum. *Vult* quippe, & non *vult* Unde monet Apostolus: *Spiritum nolite extinguere*. Huc referri possunt antiphonæ Ecclesiæ: O Sapientia! &c.

## PUNCTUM III.

B. V.  
certa de  
virginitate.

Isa. 7. 14.

Mat. 1.

23.

Luc. 1.

47.

Ioan. I.

23.

**E**Xpectabat Diva partum, certa de integritate sua, siquidem integra conceperat, & habebat firmum Propheticum sermonem: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel, quod est, nobiscum Deus*. Et se illam esse considerans, de qua prædictum erat: *Exultabat spiritus ejus in Deo salutari suo*, dicebatque: ô tu verè mihi Emmanuel! nam & Gabriel ad me: *Dominus tecum*. Cæterùm non angebatur de futura partûs difficultate, doloribusque, ut cæteræ matres, quando ipsa sine carnali voluptate conceperat: tantùm erat intenta præparandæ animæ affectibus pieratis ad vicinum partum, qualiter nos convenit disponi ad Christum excipiendum, juxta Præcursoris monitum: *Parate viam Domini*, intentionem dirigite, superbiam deprimite, asperitatem morum deponite.



MEDI.



## MEDITATIO XVI.

*Profectio B. Virginis in Bethleem ex Nazareth.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**Q**UOD Christus destinato consilio suum in mundum ingressum ita disposuit, ut esset illius modus nobis quidem ad exemplum quam utilissimus: ipsi verò ad ferendum permolestus & gravis. Unde extra Nazareth nasci voluit, ut qualicunque domestica commoditate nascens privaretur. I. nunc, qui tam studiosè tuas commoditates confectaris.

Extra  
patriam  
nascitur

### PUNCTUM II.

**O**ccasio profectionis exitit tributum à Cæsare indictum, & is quidem ambitione, ad ostentandum imperium, & cupiditate auri ducebatur, in edicto promulgando: Christus autem humilitatis & subjectionis exercendæ inde occasionem sumpsit, ad exemplum. Quidni ego subijciam me omni humana creatura propter Deum?

Occasio.

1. Pet. 2.  
13.

### PUNCTUM III.

**R**atio itineris, singulari totius oris modestia procedebat Virgo, mente in illum, quem gestabat, defixa, tacitaque cum illo loquens, aut de illo cum Iosepho: non gravabat sacra sarcina gestantem, sed sublevabat; ac propinqua

Ratio  
itineris.

N

fruendi



fruendi illo, spe vires reficiebat: cum alioquin  
sat proluxa & difficilis via, asperitasque hyemis  
teneram Virginem fatigarent.

## PUNCTUM IV.

Hospi-  
tio ex-  
cluditur.

**Q**UOD hospitio excluditur. *In propria venit,  
& sui eum non receperunt.* Jam tunc illud  
implebatur: *Vulpes foveas habent, & volucres cœli  
nidos: Filius autem hominis non habet, ubi caput  
suum reclinet.* Quin vulpes astuti, & cupidi ho-  
mines à suis foveis Christum excludunt: volu-  
cres autem superbi & nobiles à suis nidis, ut sta-  
bulum subire debeat, ubi *bos & asinus cognoscant  
possessionem suam*, mites ac humiles repellunt,  
quia non agnoscitur. O si cognovisses, & tu,  
quàm sæpè Dominum repellis à te, quoties pul-  
santi non aperis!

## MEDITATIO XVII.

*Nativitas Christi.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Exultās  
prodit.

*Ps. 18. 6.*

Dona  
pro hos-  
pitio.

**Q**UOMODO, imminente nascendi tempore,  
quod nec prævenire, nec prorogare Chri-  
stus voluit, *Exultavit, ut gigas ad currendam vi-  
am*, & illam quidem asperam, ac difficilem, ab  
ipso primo ortu ad exitum usque, à summo usq;  
ad summum, ab utero ad crucem. Deinde, ho-  
spitium suum, uterum Matris, Rex tantus haud  
reliquid indonatum in egressu suo, quare tunc  
ineffabili luce ac lætitia Matris suæ animam per-  
fudit.



fudit. Cavit etiam illi ab omni incommodo, quod alioqui in partu reliquæ mulieres perpetuantur: nam & sine dolore enixa est, & claustro virginali nequaquam violato.

## PUNCTUM II.

**V**irgo præsentiens partum, secedit parumper, <sup>1.</sup>  
 totaque in Deum absorpta, præstolatur In con-  
 Salvatorem, Deique salutare, quo repente edi- templa-  
 to, atque conspecto, quid illa senserit, nec cogi- tione  
 tando assequi licet. Agnoscebat filium suum: parit.  
 sed & eundem Filium Dei, verum Deum: illinc  
 amor ipsam exstimulabat; hinc reverentia retra-  
 hebat; utroque autem attemperato, mixtoque  
 amor cum reverentia, gaudio cum lacrymis,  
 infantem in ulnas accipit, suaviatur, ac liquescit  
 anima ejus in complexu Nati. Deinde, pannis  
 eum involvit, quos provida paraverat; locatum- <sup>2.</sup>  
 que reverenter in præsepio, prima adorat: Gra- Panis  
 tias agit, quod venisset propter salutem homi- involvis  
 num, quodque se dignatus fuisset honore Ma-  
 tris: vicissim ei offert, dicatque sua Matris ob-  
 sequia affectu inenarrabili. Simili eum sensu  
 Sanctus Ioseph & adorat, & gratias agit pro  
 nutritii sibi munere commisso, fidelémque suam  
 operam promittit. Faciam & ego.

## PUNCTUM III.

**M**ira in hoc infante expendam: ac præci- <sup>Infantis</sup>  
 puè, quod qui Deus est, & sedet super persona,  
 Cherubim, in humili præsepio jacet. Deinde,  
 quomodo gratias agit Patri, cujus voluntate il-  
 lic



Verba.

Mat. 11.

29. c. 18.

3. &amp; 4.

Actio-  
nes.Passio-  
nes.Ps. 87.  
26.

lic reclinatus est, offertque seipsum ad perficiendum opus redemptionis: clamat etiam ad nos tacitus: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde, & Nisi efficiamini sicut parvuli, & Quicumque humiliaverit se, sicut parvulus iste, hic major est in regno calorum.* Præterea quid agit infans? plorat & alia agit quæ talis: nam et si perfecta utebatur ratione, quæ tamen erant illius ætatis, naturam agere sinebat: quidquid autem ageret, Deo offerebat pro reconciliatione mundi, infantiles lacrymas, vagitus, & omne tale. Postremò, quæ jam tunc patiebatur æstimabo; aspero anni tempore, intempesta nocte, loco incommodissimo, in rerum omnium paupertate, & rejectus ab omnibus: nec ea patitur invitus, aut necessitate; sed volens, certoque consilio. *Pauper sum ego, & in laboribus à juventute mea.*

## MEDITATIO XVIII.

*Anuntiatio ad pastores.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Angeli  
adorant.  
Heb. 1. 6.

**Q**Uòd Angeli, viso Domino in præsepi, obstupuerunt, supplicésque eum de cælo adoraverunt, jubente etiam Deo Patre. *Et adorent eum omnes Angeli ejus.* Et cum absconditum mortalibus, obscurumque cernerent, gestiverunt omnes venire in terras, atque illius annuntiare nativitatem. Sic ego accendar studio manifestandi Dei nomen hominibus, *ut cognoscant*



in terra viam ejus, in omnibus gentibus salutare ejus.

## PUNCTUM II.

**Q**UOD pastoribus Christus annuntiatur. 1. Non sapientibus circa Bethleem, quia su-  
perbi: non divitibus, quia cupidi: non nobilibus, quia deliciis dediti: sed humilibus, pauperibus, laboriosis, superque gregem vigilantibus: Con-  
fiteor tibi Pater, quia revelasti ea parvulis. 2. Annuntiatur gaudium, cujus materia est: Quia natus est nobis Salvator: non sibi nascitur, non Angelis, sed nobis, qui salute indigebamus. Nobis natus, nobis datus, ex intacta Virgine. 3. Signa mirabilia indicantur, per quæ reperiatur: Invenietis infantem pannis involutum, positum in praesepe; ergo signa sunt, infantia, paupertas, & humilitas: Ex his intelligam, an in me natus sit, si ea vigeant in corde meo.

Pastoribus annuntia-  
tur.

1.

Mat. 1. 23

25.

26.

32

Lue. 2.

10.

## PUNCTUM III.

**A**ngelorum gratulatio & glorificatio. Mittit Quare  
Deus Angelos, ut sic humiliatum ejus Fili- mittan-  
lium clarificent, quod Deus facere consuevit in- tur. An-  
ter despectiones. Deinde, ut discamus, quid nos geli.  
facere conveniat: quomodo glorificare, & gra-  
tias agere, quando propter nos ille humiliatus  
est. Gloria in excelsis Deo: Quippe non aliud Dei  
opus magis ad illius gloriam facit, quam In-  
carnatio Verbi. Quod si in cælo propter illud  
glorificatur, utique & in terra Deus propter hoc  
debet glorificari, quæ ideo dicitur plena gratia Is. 6. 3.

N 3

Dei.



Dei. O impendam me totum in illam. *Et inter-  
ra pax.* Multiplex pax, hominis cum Deo per re-  
missionem peccatorum, hominis secum per  
subjectionem carnis ad spiritum, hominum in-  
ter se per concordiam voluntatum. *Orietur in  
ps. 75. 7. diebus illius iustitia, & abundantia pacis. Homi-  
nibus bonæ voluntatis.* Iis nimirum, erga quos  
benigna est Dei voluntas, quæ est radix nostri  
omnis boni; sed & iis, qui ipsi sunt bonæ vo-  
luntatis ordinatæ in Deum, subjectæque illius  
legi. Talibus promittitur pax, non autem iis, qui  
boni sunt intellectûs, aut aliis pollent talentis.

## PUNCTUM IV.

**R**ecedunt Angeli, & in transitu invisunt  
præsepe, ibi canticum repetentes. Quan-  
ta Mariæ exultatione!

## MEDITATIO XIX.

*Adoratio Pastorum.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Pastorū  
fervor.

Ezech.  
8. 3.

**P**roficiscuntur pastores. Non posthabent  
acceptum nuntium, ut quidam divinas in-  
spirationes: sed hortantur se mutuo ad inquiren-  
dum ostensum sibi bonum. Est quod apud E-  
zechielem: *Cherubim percutiebant inter se alas,*  
quasi gestientes, ad obsequium Deo præstan-  
dum. Deinde etsi non fuerit eis mandatum, nu-  
tum tamen pro mandato habuerunt. Perfecta,  
obedientia. Deniq; festinantes fervore magno  
ac desiderio.

PUN-



## PUNCTUM II.

**R**Eperiunt annuntiatum, & adorant. Credi-  
bile est ad primum conspectum ex infantis  
ore promicuisse splendorem, simulque intus il-  
luminatos fuisse pastores, ut illum Messiam &  
Deum esse cognoscerent. Deinde ad hanc illu-  
strationem reverentiâ tacti, simulque amore  
succensi, prosternunt corpora, adorant, gratias  
agunt, offerunt de sua paupertate, implentes  
illud: *Non apparebis vacuus ante Dominum. Deut. 16.*  
Tum ad Matrem conversi, quæ sanctitatem  
spirabat, eam reverenter alloquuntur, gratulan-  
tur de tali prole, narrant, quæ viderant & au-  
diverant de puero hoc.

Illustra-  
ri pa-  
stores.

## PUNCTUM III.

**R**Ecedunt ad propria, glorificantes & lau-  
dantes Deum in omnibus, quæ audierant  
& viderant; vel circa præsepe: nam viderant in-  
fantem admirabilem, & audierant ibi aliqua  
mirabilia de illo à Matre; vel quæ audierant ab  
Angelo, & conferendo ea cum visis ad præsepe,  
laudabant Deum. Deinde hæc audita & visa  
narrabant aliis, & omnes qui audiverunt, mirati  
sunt, tum apud præsepe narrabant, quo alii ali-  
qui confluerant, exciti adventu pastorum, tum  
obviis, ut fit in rebus insolitis. Porro cæteri  
mirabantur: *Maria autem conservabat omnia  
verba hæc, conferens in corde suo.* Quatuor ge-  
nera hominum. 1. Quidam, etiam auditis, nihil  
movebantur, aliis intenti. 2. Aliqui illac trans-  
eunt, sepe.

Rece-  
dunt.

Quatuor  
genera  
hominū  
ad præ-



euntes, & introsipientes, nihil notantes singulare, præteribant. 3. Alii fide viva accedentes: agnoscunt & adorant, fructumque referunt; sed recedunt ad sua. 4. Alii inhærent, ut Maria & Ioseph, volvuntque assidue, & inter se conferunt mysterium.

## MEDITATIO XX.

*Circumcisio Christi.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Obedi-  
tia.

**Æ** Stimanda in Matre & sponso obedientia legis, ob quam subjecerunt circumcisioni Filium, imò ipsimet circumciderunt, vel Maria, vel Ioseph. Item affectus Matris in ipso actu: quam compatiebatur! quam blandè fovebat, quam devota sanguinem excipiebat, quâ diligentia plagam curabat, quâ curâ primitias Sanguinis & præputium asservabat: vel sola ad redemptionem nostram satis futura!

### PUNCTUM II.

1.  
Christi  
obedi-  
tia.

2.  
Humili-  
tas.

3.

**Q**ualis in circumciso infante affectus! 1. Obedientiæ erga legem durissimam, in qua poterat secum dispensare, ut Deus, aut quæ etiam non tenebatur, quippe ab originali culpa immunis, cuius erat testificatio ipsa circumcisio, quam suscipiendo, universæ legis faciendæ debitor fiebat. 2. Humilitatis, dum notam peccatoris accipit: nos autem, qui verè sumus peccatores, renuimus videri, aut dici. 3. Patientiæ in



in ferendo vulnere, ob teneram complexionem, Patiétia,  
 valde acri: & quia pollebat usu rationis, non  
 tantum idcirco sensit, sed expectatio abscissio-  
 nis, & aspectus cultri timorem & tristitiam na-  
 turaliter afferebat: quod in aliis non evenit in-  
 fantibus. Porro ita doluit & ploravit, ut simul  
 gauderet ob impletam in eo Patris voluntatem.  
 4. Charitatum erga Patrem, tum erga nos, qua  
 etiam totum sanguinem dare, innumerásque 4. Charitas  
 plagas accipere paratus fuit.

## PUNCTUM III.

Quod est quædam spiritualis circumcisio, Circum-  
 quam Christus nos docet sua corporali; cisio spi-  
 nempe superflua abjicere in vitæ commodis, ritualis.  
 & inordinatos affectus resecare. Hanc nostram  
 circumcisionem qui juvant, eique cooperan-  
 tur, amandi sunt, nempe qui vel incommodo,  
 vel injuria aliqua nos afficiunt: unde nimius  
 nostri, & honoris proprii amor castigatur. Dein- Sangui-  
 de considera, quod Christus tripliciter sangui- nem fu-  
 nem fudit. 1. In circumcissione à suis, debito dit ter.  
 & sancto ministerio. 2. A seipso in horto per  
 vehementem cum imminente morte conflicta- 1.  
 tionem animi sponte susceptam. 3. A Sathanæ 2.  
 ministris in passione ipsa. Ita etiam circumcisio  
 nostra partim ab iis, qui præsumt, perfici debet,  
 amputando occasiones & mortificando subdi- 3.  
 torum affectus, detrahendóque non necessaria:  
 partim à nobis ipsis per voluntarias mortifica-  
 tiones: partim ab adversariis & calumniatori-  
 bus. Offeram me ad omnem modum.

N 5 MEDI.



## MEDITATIO XXI.

*De impositione nominis Iesu.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Iesu no-  
men.Christo  
antonio-  
masticos

Isa. 63. 1.

Habac. 3.

18.

B. V. no-

men in-  
dit.

Cant. 1.

3.

**N**Omen Christo imponitur à Deo, qui solus potuit nominare ipsum, uti solus noverat finem & officium illius. Nominavit autem Iesum, hoc est, Salvatorem: quod nomen, si quidam alij acceperunt, ut in figura tantum, & secundum quid: Christus autem simpliciter & excellenter multis modis. 1. Quia ab omni simpliciter malo nos liberat. 2. Quia sic liberat, ut simul introducat in omne genus boni in hac vita & altera. 3. Quia modo singulari liberat, quod fit Deus & homo: unde fit, ut persoluto pretio ad æqualitatem redimat, non ex potentia tantum, qui dicit: *Ego, qui loquor iustitiam; & pro-* *Habac. 3. pugnator sum ad salvandum.* Igitur, *In Domino gaudebo, & exultabo in Deo Iesu meo.* Porro B. Virgo Maria prima fuit, quæ infanti jam nato hoc nomen imponendum edixit, & prima illud pronuntiavit: *Iesus est nomen ejus:* in pronuntian- do autem tum ipsa præcipuè, tum Ioseph, & astantes mira perfusi sunt suavitate, tanquam ex effuso foras unguento, quippe *Oleum effusum nomen tuum*, ô Iesu! ideo adolescentula dilexe- runt te: In primis Mater, *cujus spiritus exultavit in Deo salutaris suo, in Deo Iesu suo.* Impositum sibi nomen accepit infans, gratiasque egit Patri



Patri æterno pro nomine, & officio, ad exequendum illud paratissimus.

## PUNCTUM II.

**C**ur nomen in Circumcisione imponitur? 1. Ad clarificandum ipsum, ut quia tanquam esset peccator, circumcidebatur: ex nomine innotesceret eum esse Salvatorem, qui tollit peccata mundi. 2. Ad significandum, quòd Salvator veniret per sanguinem, cujus modò, quasi primitias offerret, daturus postea totum.

Cur in Circumcisione datur.

## PUNCTUM III.

**E**xcellentie hujus nominis; quod si nec nominari potest, *Nisi in Spiritu Sancto*, ut ait Apostolus, quis ejus excellentias assequatur? 1. Complectitur perfectiones divinas; qui si Iesus est, utique in facto bonus, sanctus, sapiens, omnipotens, misericors: sunt enim hæc necessaria ad salvandum: siquidem *factus est nobis sapientia à Deo, & iustitia, & sanctificatio, & redemptio.* 2. Complectitur omnia dona gratiæ & virtutum, quia *de plenitudine ejus* participare debent, qui salvantur. 3. Officia omnia illius, quòd sit Magister, Medicus, Pater, Iudex, Advocatus, Pastor, Protector, Iesus meus & omnia. 4. Est compendium aliorum nominum apud Isaiam: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus fortis, Pater futuri sæculi, Princeps pacis.* 5. Est mihi fons & origo bonorū omnium, in hoc datur remissio peccatorum; orationes à Deo exaudiuntur, ægitudines spirituales curantur, tentatio-

1. Cor. 12.

3.

Excel-  
lentiæ  
hujusno-  
minis.

1.

1. Cor. 1.

20.

2.

3.

4.

Isa. 6. 9.

5.



tentationes vincuntur, dæmones profligantur,  
pericula avertuntur: est Lux, & Dux, atque ad  
omnes virtutes stimulus.

## MEDITATIO XXII.

*Magorum profectio Hierosolymam.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**A**pparitio stellæ. Voluit Deus, sicut in Iudæa  
pastoribus, ita etiam Gentibus manifestare  
ortum Salvatoris, atque ad adorandum vocare,  
siquidem omnium erat Salvator, tum Iudæo-  
rum, tum gentilium, illis autem per Angelum,  
his per novam stellam significavit, juxta vatici-  
nium Balaam. Multi etiam alii eandem stellam  
viderunt, & quem indicaret, conjecerunt: sed  
hi tantum Magi ad inquirendum permoti sunt.  
Sic plerique commodis temporalibus intenti,  
posthabent lucem divinæ inspirationis, aiuntque  
illud: *Leo est in via, occidendus sum*, prætexen-  
tes excusationes; sed *qui timet pruinam, irruet  
super eum nix*: & isti pro temporali incommodo  
incurrunt æternum. Singulare beneficium Ma-  
gis collatum, ut præ tot aliis efficacius move-  
rentur, ut omnibus postpositis, quærerent Chri-  
stum: quale Abrahamæ: *Egredere de terra tua*.  
Optem ita vocari: & si vocatus sum, mundum-  
que reliqui, ut Christum invenirem, gratias  
agam. Nam alioqui, *Multi sunt vocati, pauci  
verò electi*, ita ut obtemperant.

PUN-

*Num.*

*24. 17.*

*Soli tres*

*Reges*

*sequun-*

*tur.*

*Prov. 2.*

*13.*

*Eccl. 12.*

*Amos. 5.*

*19.*

*Job. 6. 16.*

*Gen. 12.*

*2.*

*Mat. 20.*

*16.*



PUNCTUM. II.

**P**rofectio Magorum. Dant se viæ: & ecce  
 vident stellam præire ducem, ut olim He-  
 bræos antecede-<sup>1.</sup>bat columna nubis per diem, <sup>Stella</sup>  
 ignis per noctem: nempe aggredientibus magno <sup>ducit.</sup>  
 animo servitium Dei, adest gratia singularis ad  
 prosequendum cœpta. Sequuntur stellæ du-<sup>2.</sup>  
 ctum in neutram partem declinando; & cum il-<sup>Sequun-</sup>  
 la vel quiescendo, vel movendo: ita ego ductum <sup>tur.</sup>  
 rectæ rationis, supernaturale item lumen, & il-  
 lustrationes à Deo immissas, & denique Supe-  
 riorum, & spiritualis Patris directionem sequar,  
 quasi totidem stellas, vel unam potius ex pluri-  
 bus coagmentatam. Appropinquantibus illis  
 Hierosolymam, subducitur aspectibus eorum  
 stella ad fidei, constantiæque probationem: ac  
 licet tristati fuerint, non tamen à cœpto desti-<sup>3.</sup>  
 terunt. Ita nos, cum subtrahitur consolatio, <sup>Se abdit.</sup>  
 non resiliemus. Converterunt autem se ad me-  
 dia ordinaria, quærendo ex aliis: sicut sponsa:  
*Num, quem diligit anima mea, vidistis?* Ad-  
 eundi Prælati, & qui nos juvare queunt.

Cant. 3.

3.

PUNCTUM III.

**I**nterrogant audacter de Rege nato. 1. Elucet  
 fides eximia. Non quærun-<sup>1.</sup>t, an sit natus: sed <sup>Fides.</sup>  
 de loco tantum, quasi de re nihil dubitent. 2.  
 Magnitudo animi: non verentur, in regia civi-<sup>2.</sup>  
 tate, & aula ipsa alium Regem Iudæorum quæ-<sup>Magna-</sup>  
 rere, quam qui præsidebat. Qua tanta illorum <sup>nimitas,</sup>  
 con-<sup>Turba-</sup>tionis.

con-



confidentia turbatur Herodes, ipsi verò minime. Cum Herode turbatur civitas, quæ potius gaudere debebat, cum ex Messiae expectatione, verique sui Regis tota penderet: sed fit, ut potentioribus consentiatur, etiam in malo.

## PUNCTUM IV.

Herodes  
locum  
designat

**H**erodes inquit ex sacerdotibus. Elucet mira providentia Dei. 1. Quod iniquum faciat cooperari suo consilio. Diligentiam enim Herodis patet locus nativitatis. 2. Quia per malos ministros & sacerdotes aperit sensum scripturarum piis. *Labia enim sacerdotum custodiunt scientiam.* 3. Quod scriptura sit lumen ad inveniendum Christum, quæ cum habetur, non est opus aliâ stellâ *Scrutamini scripturas, illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me.* 4. Iudicium Dei, quod Genriles è longinquo cum labore veniunt adoratum. Iudæi autem, quibus promissus, & inter quos erat, non se loco movent, scilicet: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater meus traxerit eum.*

*Ioan. 6.  
44.*

## MEDITATIO XXIII.

*Inventio & adoratio Regis nati.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Desere  
aulas.

**P**rosequuntur Magi iter, & iterum vident stellam. Cum primum de loco nativitatis indicium acceperunt, relicto aulae strepitu, pergunt. Non nisi ex necessitate, inter tales morari oportet



*Inventio & adoratio Regis nati. 207*

oportet viros Religiosos. Quin ipse Rex David à tumultu cupiebat liberari. *Quis dabit mihi pennas, sicut columba, & volabo, & requiescam?* *ps. 54. 7.*  
Nota etiam bonitatem Dei, qui Magos jam ex indicio pergentes, voluit solari, reddita stella: unde illi mirificè recreati sunt. *Secundum multitudinem dolorum meorum, consolationes tue latificaverunt animam meam.* *ps. 93.*  
Ita Deus agit cum homine. *19.*

PUNCTUM II.

**A**ppulsus in Bethleem, & ingressus in domum. 1. Stupent, cum vident stellam super casam stare, sed continuò illustrati sunt, quod regnum ejus non est, ut mundi. 2. Inveniunt Puerum cum Maria Matre ejus, sic etiam pastores. Non facilè disjunguntur Iesus & Maria, & debent in affectu nostro conjungi. 3. Ad conspectum Infantis emicuit ex ejus vultu radius, qui etiam mentes Magorum illuminavit, ut agnoscerent illum esse verum Deum, Regemque & Salvatorem. Unde gaudio magno valde perfusi sunt, magis, quàm ex revisa stella. Et utique erat Christus *stella matutina*. Quare impletum tunc in Magis illud: *Satiabor cum apparuerit gloria tua.*  
*1.* Stupor Regum.  
*2.* Iesus & Maria.  
*3.* Illustratur Reges.  
*Apoc. 2.*  
*28.*  
*c. 22. 16.*  
*ps. 16.*  
*15.*

PUNCTUM III.

**M**agi adorant, & offerunt. 1. Procidunt ad terram totis corporibus, simulque animis demississimè prosternuntur, implerique coepit: *Coram illo procident Æthiopes, & inimici ejus terram lingent.* 2. Fuit adoratio latriæ, tanquam  
*1.* Reverentia.  
*psal. 71.*  
*2.* Latria.  
vero



vero Deo exhibita, pro salute hominum facto homini: pro quo in genus humanum beneficio, proque singulari erga se Magi gratias ex intimo corde infanti egerunt, impleveruntque il-

*Psal. 71.* lud pro sua parte: *Et adorabunt eum omnes Reges terra, & omnes gentes servient ei.* O serviant illi omnes, ac imprimis ego & tandem fiat ei, quod

*Isai. 45.* apud Isaiam: *Mihi curvabitur omne genu.* 3. Pro-munt aurum Regi, thus Deo, myrrham homi-

<sup>3.</sup>  
Oblatio. ni mortali: nec non interna, aurum charitatis, thus devotionis, & myrrham mortificationis, quæ & ego offeram; ac, si Religiosus sum, tri-na vota. In myrrha castitatem, qua caro à corruptione præservatur: in auro paupertatem, quæ omnibus se abdicat Christi causâ: in thure obedientiam, quæ est oblatio totius homi-nis in odorem suavissimum Deo. Nec bonus Ie-sus dimisit indonatos, aut se vinci liberalitate passus est. Reddidit vicissim magis aurum sapientia, qua mysterium Incarnati Verbi perceperunt: thus insignis devotionis, internæque consolationis: myrrham incorruptionis à pec-catis, ne posthac laberentur lethaliter, quæ est confirmatio in gratia. Ita piè credi potest.

#### PUNCTUM IV.

**C**olloquia Magorum cum Maria. Narrabant de stella, de gestis Hierosolymis, circumspiciebant casam, præsepia, pannos, ipsam Matrem admirabantur. Illa vicissim conserva-bat omnia, conferens in corde suo: laudabat eorum fidem, confirmabat. Non adfuerat ini-tio



tio Ioseph, ut indicaretur Infantem hunc non habere Patrem in terris, qua homo erat: super-veniens autem Ioseph, quæ sensit? quæ dixit? Cum pernoctassent ibi, admonentur in somnis, ne redirent ad Herodem, quod ille petierat, ne ipsi & infans in periculum adducerentur. Pa-rent, & alia via revertuntur, gratulantes sibi pro suscepto labore. Ita iis contingit, qui con-stanter Christum quærunt.

## MEDITATIO XXIV.

*Purificatio Matris & Presentatio Filij.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**V**irgo implet legem Purificationis, quæ jube-  
bat mulierem, quæ peperisset masculum, ginis  
oblato sacrificio purificari in templo post 40. virtutes.  
dies. 1. Libenter se continuit per illos dies in il-  
la casa, intenta alendo Filio, & defixa in contem-  
platione tantæ rei. 2. Enituit puritas, quod, cum  
purissima esset, adhuc voluit purificari. 3. Obe-  
dientia erga legem, à qua tamen erat exempta, *Levit.*  
quod concepisset, non suscepto semine. 4. Hu-  
milis, profitendo se indigere purificatione, *12. 2. 3.*  
dum ritum servabat, *Offerendi pullum columbæ.*  
*aut turturem pro peccato:* sicut Filius se peccato-  
rem exhibuit, admissa circumcisione. 5. Amor  
paupertatis, quia non agnum obtulit in holo-  
caustum; sed pullum columbæ, aut turturem,  
quod permittebatur pauperibus: & potuisset  
procurare agnum ex oblatione Magorum; sed  
maluit



6. maluit ex pauperibus esse. 6. Devotio & reverentia, qua munus suum obtulit Sacerdoti, petens pro se orari. Hæ sex virtutes sunt instar sex foliorum lilij candidissimi, *Sicut lilium inter spinas, sic amica mea inter filias.*
- Cant. 2.  
2.

## PUNCTUM II.

1. Oblatio. **L** Ex altera jubebat offerri Deo omne primogenitum, in memoriam liberationis ex Aegypto, ab internectione primogenitorum omnium, tam hominum, quam pecudum. 1. Devotè offert Patri æterno Filium ipsius, & proprium, oblatione significata præteritis sæculis per tot illas primogenitorum oblationes, & optatissimam ipsi Patri æterno, multoque acceptiorem, quam Abelis, Noë, Abrahamæ, omnibusque Mosaïcis sacrificiis, per quam perebat pia mater toti mundo salutem, & reconciliationem. 2. Infans quoque ipse offert sacrificium Patri: quandoquidem priores oblationes non auferebant peccata: at speciatim cogitabo, quòd pro me se obtulerit. O offeram ego meipsum!
2.   
Ipsius Christi.

## PUNCTUM III.

- Redimi-  
tur 5.  
sclis. **P**rimogenitus debebat redimi quinque siclis. 1. Redimitur à Deo Patre, cui fuerat oblatum. Non sibi retinet, testificans quod vult prorsus eum esse nostrum. 2. Redimit Virgo Mater, ut nutriet, non ut servet sibi, sed mundo. 3. Pretium, quinque sicli, non pluris hic, quam alii primogeniti, redimitur. Ostendit Deus promptitudinem dandi eum nobis, ut noster sit: siquidem



dem tam parvo redimi eum finit. Quinque sicli  
 possunt intelligi, mortificatio quinque sensuum, Sicli  
quid.  
 vel quinque virtutes, quæ ad Christum dispo-  
 nunt, recuperando cum Deo gratiam. Viva fi-  
 des, timor Dei, dolor de peccatis, fiducia de mi-  
 sericordia Dei, ac stabile propositum emenda-  
 tionis. 4. Redimitur in eum finem, ut sub pote-  
 state hominum sit, & morti etiam pro iis tra-  
 datur.

## MEDITATIO XXV.

De Simeone & Anna in presentatione  
 Christi.

## PUNCTUM PRIMUM.

**V**irtutes Simeonis & oraculum. 1. Erat vir Simeon  
*iustus & timoratus*: cavens diligentissimè, qualis?  
 ne quid offendat. *Qui timet Deum, nihil negli-*  
*git.* 2. *Expectans consolationem Israël*, per ardentia  
 desideria, per preces cum fiducia magna. 3. *Et*  
*Spiritus Sanctus erat in eo*, non tantum sicut est  
 in quovis iusto, sed peculiariter, à quo proinde  
 incitabatur ad flagitandam ardentem & expe-  
 ctandam consolationem Israël: ipse enim spiritus  
 postulat pro nobis, dum postulare facit. Qua  
 fiducia & vitæ sanctimonia meruit *responsum*  
*accipere, non visurum se mortem, donec videret*  
*Christum.* Domini. *Deus voluntatem facit ti-*  
*mentium se, & deprecationem eorum exaudit.* 4. *19.*  
 Datur etiam nunc aliquibus in hac vita videre  
 Christum Domini per contemplationem; sed



Exod.  
33.

quia scriptum est: *Non me videbit homo & vivet*, moriar per mortificationem, ut videam per contemplationem, aut planè moriar hîc, ut illic videam facie ad faciem.

## PUNCTUM II.

**I**mpletur votum Simeonis. *Venit in spiritu in templum, & accepit Christum in ulnas suas.* Verè potens est Dominus facere superabundanter, quàm petimus aut intelligimus. Petierat Simeon videre, & datur ei amplecti ipsum, contrectare, exoculari. Multi tunc aderant, solusque agnoscitur Simeon, quòd infans nihil præ se ferret foris singulare. Ita contingit, ut solùm, qui dispositi dignè sunt, Christum in Evcharistia agnoscant, & fruantur. Præterea æstimetur gaudium boni Senis, præ quo ducebat omnes labores pro nihilo, & nihil superesse amplius in hac vita sibi optandum. Ita & tu, propter eminentem scientiam Iesu Christi, omnia arbitrare, ut stercora, ut Christum lucrifacias. Duo collige ab exemplo Simeonis, quæ faciunt ad felicem mortem. 1. Fiduciam, quam Sancti concipiunt futuræ retributionis, cum experiuntur in hac vita, quomodo Deus consoletur suos, ac centuplum eis nunc reddat, juxta promissum suum. 2. Fastidium rerum humanarum, unde cupiunt dissolvi, & esse cum Christo. Tandem quid sensit Mater, similiter & Ioseph, cum agnoscere puerum à sancto sene viderent, & ita prædicari. *Mirantes erant super his, quæ dicebantur de illo.*

Luc. 2.  
33.

PUN-



## PUNCTUM III.

**S**imeonis sermo ad Mariam. Prædicit, ipsam prædoloris gladio transfigendam. Sic Deus mi-  
scet tristitia lætis, summo consilio. Et voluit, ut meonis,  
B. Virgo & Mater jam tunc inciperet amaritudinem Filii passionum perferre. Deinde de puero, quod futurus sit in ruinam & resurrectionem multorum in Israël. Ex parte quidem Christi, nulli in ruinam, sed in resurrectionem tantum, ad profectionem, ad gratiam & gloriam; ex parte verò ipsorum hominum, qui abufuri erant beneficio, & scandalizandi in ipsius humilitate, etiam ad ruinam. Item quod in signum contradictionis, in quem tanquam in scopum jacularentur, calumniando doctrinam, miracula, mores, & vitæ etiam insidiando. Gaudebo ad imitationem Christi, quando propter ipsum contradicetur mihi.

## PUNCTUM IV.

**A**nnæ confessio, cui etiam revelatus fuit Annæ Christus, ejus quoque insignes extiterunt virtutes. virtutes, quibus id promerita est. *Castitas virginalis, Oratio & jejunium, Legis observatio & assiduitas in templo cum annorum 84. perseverantia in hisce bonis operibus.*

## MEDITATIO XXVI.

*Est de applicatione sensuum.*

O 3

MEDI-



## MEDITATIO XXVII.

*Fuga in Aegyptum.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Christi  
persecu-  
tio.

**P**ersecutio Regis nati, instigante diabolo, qui suo regno à tam admirabili infante metuebatur, Herode Rege successorem non ferente, & populo assentiente Regi impio, Christus queritur ad necem, Cœpit jam tunc impleri Simeonis vaticinium de contradictione, Et voluit Pater æternus ab infantia Filium suum laboribus exerceri, & proprium est mundi persequi adversantes sibi. Id evenit primitivæ Ecclesiæ, & passim justis. *Omnes enim, qui volunt pie vivere in Christo Iesu, persecutionem patientur.* Et præmonuit nos Christus. *Non est servus major Domino suo, si me persequuti sunt, & vos persequentur.* Potuit aliter, quàm fugiendo declinare periculum: sed ita maluit. 1. Ut plus pateretur in exilio apud extraneos, nec fugit ad Magos, ubi in pretio esset; sed ad ignotos, ubi lateret, quod imitari debemus, ut velimus in occulto esse, dum aliter de nobis disponit per Superiores. 2. Voluit etiam genti Idolis deditæ prodesse, & implere Isaïæ prædictionem. *Ecce Dominus ascendet super nubem levem, & ingreditur Aegyptum, & commovebuntur simulacra Aegypti à facie ejus.* Hæc nubes fuit sacra illius humanitas, vel etiam Matris ulnæ, in quibus portabatur: simulacra autem commota sunt, quia fun-

2. Tim.

3. 12.

Ioan. 15.

20.

Quare  
fugeris.  
1.2.  
Isa. 19. 1.



fundamentum ab eo positum est illius perfectionis, quæ postea in Aegypto maximè viguit in sanctis Anachoretis & Cœnobitis, per quam idola, quibus mundus serviebat, divitiæ, honores, & voluptates, prostrata sunt & conculcata. O cùm Christus in nube panis ingreditur ad me, simulacra pravarum affectionum turbentur! Quod Christo evenit fugienti in Aegyptum à facie Herodis, evenit ejus corpori primitivæ Ecclesiæ, sanctisque Apostolis, qui pulsati à Iudæis, se ad gentes converterunt. Ne me deserat, obsecro, meus Iesus, ne ego tibi, bone Iesu, secedendi præbeam occasionem, & ne alius accipiat coronam meam.

## PUNCTUM II.

**R**evelatio de fuga capescenda. Deus mittit Angelum providentiam gerens de Filio, <sup>Appariti-  
tio An-  
geli.</sup> donec veniret hora ejus. Gerit etiam de justis adoptionis filiis. Per Angelum intimat, quia vult sibi obediri etiam in ministris. Non Matri intimat, sed Iosepho, cui, ut capiti domus, voluit Matrem subjacere. Nec illa ægre tulit, sed perinde paruit, ac si fuisset sibi revelatum, dummodo voluntas Dei fiat, non interest, per quem innotescat. Discam ita obedire, & subordinatis.

## PUNCTUM III.

**C**ircumstantiæ mandati. 1. Dormienti noctu imperatur, vult Deus postponi quietem, & commoda propter obedientiam. 2. Iubetur puerum & Matrem adducere, cæteris relictis, <sup>1.  
Nocte.  
2.  
Puer &  
Mater.</sup>



lietis, quò tutius abiret. Sic ego, dum voluntas Dei urget ad aliquid, non prospiciam de commoditatibus, sufficit Iesum & Mariam secum habere. 3. Locum exilii designat Ægyptum, hostilem terram. Qui sub obedientia religiosa degunt, non sibi deligant locum, ubique tuti sub Dei manu erunt. 4. Terminum exilii, non assignat, *donec dicam tibi*. Deo relinquamur, quamdiu in hoc aut illo munere & loco versemur, quia ipsi est cura de nobis. 5. Rationem fugæ reddit, ob periculum ab Herode. Et si ad obediendum non requiritur, ut ratio reddatur, Deus tamen subinde facit, ut qui alioqui sine ratione paratus est obedire, si ea ex abundantia reddatur, suavius faciat. Ut in rebus fidei, quando ad promptitudinem credendi accedit miraculum, solatium est credenti. Quando autem rationem præcepti non assequimur, perinde obsequemur, imitantes quod dicit Paulus. *Ad Phil. 2.1. ficiens in obedientia tua scripsi tibi, sciens, quoniam & super id, quod dico, facies.*

3.  
In diffe-  
rentia  
loci.

4.  
Tēporis  
Fugæ ra-  
tio.

5.

#### PUNCTUM IV.

**O**bedientia Ioseph. 1. nihil objecit, aut difficultates movit. 2. celeriter obedivit. 3. non est moratus difficultatem itineris, & rerum necessariorum inopiam.

#### PUNCTUM V.

**C**ommoratio in Ægypto, in magna rerum paupertate, labore manuum victitantes inter barbaros & impios: ferebant pacatissimè,  
Deo



Deo curam relinquentes; cruciabantur ob gentis impietatem & peccata. Credibile est aliquos, ad Dei notitiam cultumque permotos fuisse admiratione hujus sanctæ familiæ, quam etiam juverint: aliquibus subsidiis.

## MEDITATIO XXVIII.

*Cades innocentium & reditus ex Aegypto.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**C**Ogita. 1. Quàm sit ambitio perniciofa, ut talia patret, & Christo ipsi infidietur, & quàm suspicax, ubi non est timendum. 2. Quàm Christus compassus fuerit innocentibus. 3. Quàm illis bene cesserit mors pro Christo obita.

1.

Ambitio

2.

3.

### PUNCTUM II.

**M**ortuo Herode, revocantur ex Aegypto. 1. Herodes frustratus voto occidendi Christum, regnum etiam amisit infelici morte, pro quo retinendo fuerat Christum persecutus, sic nihil proficit tandem iniquitas. 2. Ioseph admonetur per Angelum, fiduciâque in Deum majorem concipit, quando videt ita sui curam geri, sibi que commissorum. Ideo me projiciam in Deum, in cujus manu sortes meæ sunt. 3. Angelus apud Iosephum non nominat ex nomine Mariam, aut sponsam suam, nec modò, nec in prioris apparitione, sed Matrem vocat. Accipe puerum & Matrem ejus, quia hoc nomen ipsi gloriosiss-

1.

Decipitur Herodes.

2.

Ioseph monetur Psal. 30.

3.

Mariam nominat



218 Pars II. Meditat. XXIX.  
riofissimum, & ita ferè Evangelistæ appellant,

### PUNCTUM III.

1. **R**editus ex Ægypto. 1. Sensere illi, qui as-  
sueverant sanctis hîsce hospitibus, & for-  
tè ad Dei cognitionem adducti fuerant, illo-  
rum abscissum.
  2. Ioseph solitus in dubiis ad  
Deum recurrere, edocetur, ne transeat in Iu-  
dæam.
  3. Christus nomen contraxit à civitate,  
ubi enutritus est, ut Nazaræus vocaretur, id est,  
sanctus, Deoque sacer. Quis, ut ille? vel flo-  
ridus, quomodo non alius, omni genere virtu-  
tum, *flos campi, & lilium convallium.*
- Cant. 2.*  
*1.*

### MEDITATIO XXIX.

*Christus ascendit in templum, & manet.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**Q**Uòd consuetudo fuerit Mariæ & Ioseph  
ascendendi in templum temporibus à le-  
ge præscriptis, ter in anno, tum spiritu pa-  
trandi legi, tum peculiari devotionis sensu er-  
ga Dei domum: Christus autem simul ascende-  
bat, quòd ita parentes vellent; & ut ibi Patrem  
glorificaret, gratiasque solennes ageret cum  
reliquo populo pro communibus & privatis be-  
neficiis, quæ fuerat legis ratio præcipientis  
ascensum. Nec quia consuetudo erat, ideo ex  
consuetudine faciebant, sed ex devotionis spi-  
ritu, quod est in talibus atque aliis virtutum  
actionibus servandum nobis.

PUN-



PUNCTUM II.

**R**emansit puer Iesus in templo, quia magis Reman-  
etiam, quàm Samuel versari in Dei oble- sit puer.  
quio appetebat, & ut exemplum daret pietatis  
circa res sacras & cultum divinum, præsertim  
in ea ætate, quando alii incipiunt ratione uti,  
ut doceret jam tunc assuescere oportere pietati,  
exercitationemque virtutum. Remansit autem  
in sciis parentibus, ne si illi repugnarent, vi- In sciis  
deretur inobediens, cum alioqui remanere parenti-  
eum oporteret; vel si permitterent, eorum bus.  
præsentia sibi foret impedimento. Discam af-  
fectum carnis & sanguinis deponere, & si con-  
iuncti prohibitori sunt, celare ipsos consilium,  
quamvis dolituros. *Qui amat patrem aut ma- Mat. 10.*  
*trem plus, quàm me, non est me dignus. Et. Qui 37.*  
*dixit patri suo & matri suæ, nescio vos, &c. hi Deu. 33.*  
*custodierunt eloquium tuum.* 9.

PUNCTUM III.

**V**oluit Iesus manifestare se, idque in tem-  
plo, & apud legis Doctores, in quo actu  
insignes exhibuit virtutes. 1. Modestiam, vul- Christi  
tu, verbis, & moribus singularem, ut ea per- 1.  
moti, ad confessum eum admiserint. 2. Hu- modest.  
militatem, interrogando, & audiendo, quasi 2.  
discens, non autem docens. 3. Sapientiam in Humil.  
quæsitis, & responsis, ut stuperent. 4. Zelum, Discret.  
quia non ad ostentationem, sed pro gloria Dei 4.  
faciebat, unde elati confunderetur, humiles Zelus,  
illustrarentur interius. Quàm mihi hæ virtutes  
necef-



necessariæ! qui immorigerè & arroganter scientiam jactò, quæ nulla est, indèque meam, non Dei laudem quæro.

## PUNCTUM IV.

**Q**uid egerit illo triduo. Credibile, mansisse in templo semper, & humi cubâsse, ac sine cibo vixisse, vel tenui & illo emendicato.

## MEDITATIO XXX.

*Quæritur IESUS, & invenitur.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Parentū  
virtutes  
in quæ-  
rendo  
Iesu.

1.

2.

3.

4.

**Q**uod Deus parentes, amissione talis Filii, absque eorum culpâ, & dum pium obsequium præstant, voluerit exercere ad exemplum virtutum. 1. Patientiæ, nam ita dolabant, ut interius non turbarentur, neque pacem cordis amitterent, neque conquererentur, sed Deo se committerent. 2. Humilitatis, dum culpæ suæ tribuerent, quæ aberat omnis, vel quod indignos se putarent tali vitæ solatio. 3. Studii & curæ, ubi primum adverterunt, quærendi illum, dolore & amore exstimulante, quodque id paterni officii esse intelligerent. Non invenerunt autem inter cognatos, quia propter eos non deseruisset parentes. 4. Orationis, quæ per noctem petebant à Deo sibi reddi. Contingit spiritualiter amitti Christum per diem prosperitatis, & animadverti in nocte tribulationis, vel per diem vitæ, dum per repore hæret quis



quis in aliquo peccato mortali, nec se agnoscit, aliquando tamen ad vitæ noctem recognoscit. Gratiam quoque devotionis Deus subtrahit ob varias causas, vel culpabiles, vel ex providentia.

## PUNCTUM II.

**Q**uomodo invenitur. 1. Post triduum, in typum alterius tridui à morte ad Resurrectionem ejusdem Christi. Sed illa amissio & mora fuit multò acerbior, hæc tantum quædam illius prægustatio. 2. Locus. In templo invenitur, orationis loco. Invenietur in corde nostro, si illud fecerimus orationis locum, non negotiationis. Sic *sponsa non invenit in plateis*. & turbis distractionum, nec verò in lectulo com-  
moditatum, quia, ut apud Job, *non invenitur in terra suaviter viventium*. 3. Inter quos invenitur? in medio Doctorum, audiens & interrogans. Inde intelligi potuit cur remansisset. Invenitur apud eos, qui habent clavem scientiæ. Cogitent isti inter ipsos Christum esse, observareque quomodo alios dirigant. 4. Gaudium Mariæ majus, quàm Matris Tobix, in-  
star illius, quod postea percepit, cum redivivum à mortuis recepit filium. Invento Iesu in tali actu & plausu, non ingessit se Mater, ut fit, prædicando suum esse filium: at modestè & tacitè rem considerabat, & exitum præstolabatur.

1.

Tempus  
tridui.

2.

Locus  
Templi.

*Cant. 3.*

1.

*Job. 28.*

13.

3.

Societas  
Doctorum.

4.

Gaudiū  
B. Virg.  
Mariæ.

PUN-



## PUNCTUM III.

1. **Alloqui-**  
tur Fi-  
lium a-  
manter.  
Iob 7.  
20.  
Mat. 27.  
46.  
Ps. 43.  
24.

**Q**uomodo Mater alloquatur inventum Fi-  
lium. 1. *Fili! quid fecisti nobis sic?* Non  
est curiosa inquisitio causæ, sed amorosa exposi-  
tio doloris, ut cum Job, *Quare me posuisti con-*  
*trarium tibi?* Et Christus, *ut quid dereliquisti*  
*me?* Et David: *Quare faciem tuam avertis?*  
Simul indicatur, ab ipsius Dei providentia affli-  
ctionem venire, & posse, cum velit, mederi.  
Solet in his verbum addi fiduciæ, ut, *Deus,*  
*Deus meus, ut quid, &c.* & Maria, *Fili, quid?*  
nam ex amore & fiducia proficisci debent tales  
quasi querelæ. 2. *Pater tuus & ego.* honorat  
sponsum, dum primo loco nominat, & glorio-  
sum patris titulum tribuit, se humiliat, quasi  
ejus filius habeat alium parentem præter se;  
quod inde colligebatur. 3. *Dolentes quareba-*  
*mus te.* Debet quæri cum dolore, qui ex amore  
procedat, & cum simplicitate cordis purâ ipsius  
gratiâ, non ob gustum, aut commodum aliud.  
Et quærendus est diligenter, & perseveranter.  
Ier. 29. *Quæretis me, & invenietis, cum quaesieritis me*  
13. *in toto corde vestro.* 4. Sic, emphasim habet.  
4. Quàm pauca & cordata verba, uti aliàs solita  
Breviter. Diva Virgo!

## PUNCTUM IV.

1. **Respon-**  
dit Chri-  
stus as-  
perius-  
cule.

**Q**uid responderit Christus. 1. *Quid est, quod*  
*me quarebatis?* subas perior in specie respō-  
sio. Sic subinde expedit, ad exercitium patien-  
tiæ, & humilitatis, quando etiam abest omnis  
culpa,



*Queritur JESUS, & invenitur. 223*

culpa, ut hîc. Voluit etiam indicare, se plus esse, quàm hominem. 2. *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Com- Servien- mendatur nobis studium divini absequij præ dū Deo, rebus omnibus.

## PUNCTUM V.

**C**hristus descendit cum eis, & erat subditus illis. In itinere quærebat Mater ex eo, quid egisset illo triduo, & conservabat verba ejus in corde suo. Quàm deinceps fuit Virgo attenta, ne Christum admitteret! Utinam & ego!

## MEDITATIO XXXI.

*Vita Christi usque ad annum  
trigesimum.*

## PUNCTUM PRIMUM.

**J**ESUS proficiebat sapientiâ & ætate apud Deum & homines. Habuit à suo conceptu omnem sapientiam & gratiam: proficiebat autem, quotidie magis exercens, forisque ostendens, quemadmodum sol in se idem, crescere dicitur usque ad perfectum diem, secundum operationis efficacitatem. Spiritualiter crescere aut decrecere varijs modis contingit. 1. Ali- 1. qui, ubi cœperunt, mox retrocedunt. De his Mali retrocedunt à bonis. Christus. *Mittens manum suam ad aratrum, & respiciens retro, non est aptus regno Dei.* Et Luc. 9. sunt ut uxor Loth, quæ versa est in statuam salis, 62.



Gen. 19. 26. 2. Alij in progressu  
 Apoc. 2. 4. 3. Alij incipiunt  
 4. 4. Alij,  
 Ps. 83. 6. ubi inceperunt, pergunt alacriter. *Ascensiones  
 in corde suo facientes, & cunctes de virtute in  
 virtutem.*

## PUNCTUM II.

1. **C**rescebat coram Deo & hominibus. Vitan-  
 da extrema. Aliqui, non habitâ ratione æ-  
 Modus crescendi. dificationis apud homines, quævis faciunt fer-  
 2. Sapien- tia & gratiâ, ad sapientiam spectant, medita-  
 tio cælestium, prudentia agibilium, discretio  
 sermonis; ad gratiam autem eæ omnes actio-  
 nes virtutum, quibus placemus Deo, & homi-  
 nibus reddimur amabiles. Sicut de Christo di-  
 citur. *Non erit tristis neque turbulentus.* Pro-  
 ficiebat & Maria ab exemplo Filij, proficiam  
 & ego.

## PUNCTUM III.

Christus obedit. **D**E Christo ab hoc tempore ad trigesimum  
 annum ætatis non habetur aliud; nisi  
 quod



quod erat subditus illis. 1. Cogita, quis obediebat. 2. In quibus? quæ in domo fabri, & paupere occurrunt facienda, & faciebat omni affectu. Laus obedientiæ non est à dignitate actionum, quæ fiunt, sed ab intentione & affectu facientis, qualescunque imponantur, licet suo genere parvæ.

#### PUNCTUM IV.

**E**Xercuit Christus fabrilem etiam post mortem Ioseph, unde dicebant. *Nonne hic est faber Filius Mariæ?* 1. Ad exemplum vitandi otij. 2. Ut se subjiceret maledicto Adæ. *In sudore vultus tui vesceris pane tuo.* 3. Causâ humilitatis. Considera, quo affectu interno opera faciebat, & offerebat Patri æterno labores illos. Tu fac similiter in omnibus.

Cur Faber?

Marc. 6.

3.

Gen. 3.

19.

1.

2.

31

#### PUNCTUM V.

**Q**uod Christus tanto tempore latuerit usque ad trigesimum annum. Unde postea mirabantur, *quomodo litteras sciret, cum non didicisset.* Imò dicebant: *In furorem versus est.* tam insolita dicebat & faciebat, qualia ab eo expectari non poterant, ex comparatione vitæ prioris. Ama latere, nec te ipsum ostenta. Erit tempus, cum Deus disposuerit.

Mar. 3.

21.



P

PARS





# PARS TERTIA MEDITATIONUM.

*DE VITA ET DOCTRINA  
Christi à Baptismo ad Passionem.*

INTRODUCTIO AD  
Meditationes tertiæ partis.

*De duplici vita, Activa, & Contemplativa.*

**S**piritualis vita constat partim exter-  
nis actionibus, & dicitur activa,  
partim internis, & vocatur con-  
templativa. Cum utræque jun-  
guntur, efficitur vita mixta, quam Christus  
tenuit & exhibuit. Ambæ sunt in Maria &  
Martha sororibus adumbratæ, de quarum of-  
ficijs & proprietatibus aliquid præmittendum  
est in usum meditationum sequentium.

## CAPUT PRIMUM.

*De actionibus vitæ activæ.*

Obse-  
quia vi-  
tæ acti-  
væ.  
Luc. 10.  
38.

**I**nsinuatur in Martha, de qua S. Lucas. In-  
gressus est Iesus in quoddam castellum, &  
mulier quædam, Martha nomine, excepit illum  
in



De actionibus vite activæ. 227

in domum suam. Quibus verbis significantur tria obsequia vite activæ. Primum est, ut præparetur Christo domus, quod fit tribus modis. 1. Ut mundetur tota, videlicet à peccatis. Quoniam *in malevolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccatis.* Huc pertinent opera pœnitentiæ. 2. Ut reddatur tranquilla, & absque tumultu, quo possit hospes quietem capere. Id perficitur compressis, & mortificatis passionibus appetitus. 3. Ut ornetur, utique virtutum moralium ferventi studio, & exercitatione.

1.  
Præparatio.  
Sap. I. 4.

Secundum obsequium est, excipere Christum hospitio in pauperibus, sicut Martha excipiebat illum in seipso cum discipulis suis, exercendo in pauperes opera septem misericordiæ corporalis, de quibus Christus. *Quamdiu fecistis uni ex his fratribus meis minimis, mihi fecistis.*

2.  
Elemosyna.

Mat. 25.  
40.

Tertium est, præparare Christo hospitium in aliorum etiam animis, quod fit per opera misericordiæ spiritualis, perque ministeria docendi, concionandi, confessiones audiendi, & Sacramenta administrandi. Hoc erat munus discipulorum, quos præmittebat Christus in omnem locum, quo erat ipse venturus.

3.  
Zelus animarum.

Luc. 10.  
11.

CAPUT II.

De actionibus vite contemplativæ.

Expressimuntur in Magdalena sorore Martha.  
P 2 Et



228 *Introduct. ad meditat. III part.*

*Luc. 10.*  
*39.*

*i.*  
*Appro-*  
*pinqa-*  
*re Jesu:*

*Ps. 33. 6.*  
*2.*

*Affidere.*  
*Ps. 45.*  
*11.*

*Ps. 84. 9.*  
*3.*

*Ad pe-*  
*des.*  
*1.*

*2.*  
*3.*

*4.*

*Deut. 33*  
*3.*

*iv.*  
*Audire*  
*Jesum*  
*variè.*

*Et huic erat soror, nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Hoc est præcipuum contemplativæ: sorores sunt, quia ab eodem Patre Deo genitæ, sed prior Marthâ, quæ Deo hospitium parat, tum Magdalena, quæ jam domi excepto fruitur. Huic conveniunt ista. 1. Magdalena propinquior est Christo, quippe inhærens pedibus ejus. Martha autem causâ ministerij per domum discurret. *Accedite ad Deum, & illuminamini.* 2. *Sedet*, nempe quiescit, absque distractione, uni rei intenta, sepositis curis omnibus, atque internis potentijs, sensibûsque omnibus collectis, pacatisque affectibus. *Vacate & videte, quoniam ego sum Deus. Audiam, quid loquatur in me Dominus.* 3. *Ad pedes* manet inde affectus hauriens salutare, qui per pedes significantur. Primò *humilitatis*, cum recumbit in novissimo loco, deinde *reverentia* erga Christi majestatem, quam recognoscens demittit sese. Tertiò, *subjectionis*, paratam se ad obsequium illo situ profitens. Quartò, *imitationis*, vestigijs Christi insistere cupiens. Talibus contingit illud. *Qui appropinquant pedibus ejus, accipient de doctrina illius.* 4. Audit verbum, & huic rei præcipuè contemplativa intendit; audit autem, vel sacros & pios libros legendo, vel spirituales magistros & cohortationes avidè excipiendo, vel meditando, & cum Deo colloquendo, vel denique per intuitum contemplationis veluti spectando divinam veritatem. In quem actum maxime*



mè convenit auditio, nam hæc fit absque nostris ratiocinationibus, per illapsam doctrinæ in interiorē auditum. Sic Paulus *audivit arcanæ verba*, & Christus ipse: *Quacunque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Ita anima per contemplationem excipit divinas illustrationes & sensus, nullo labore, magno gustu suavitatis, & *suscipit*, quod optat S. Iacobus, *in mansuetudine insitum verbum, quod salvat animas suscipientium.*

### CAPUT III.

*Vita activa opus habet contemplatione.*

**I**D apparet in Martha, quæ satagens circa frequens ministerium, stetit & ait: Domine, non est tibi cura, quod soror mea reliquit me solum ministrare? dic illi, ut me adjuvet. Sanè contemplatio debet adjuvare actionem, ut hæc cum devotione & suavitate perficiatur. Quare Martha stetit aliquantulum intermittens actionem. Queritur autem amanter de subsidij defectu à sorore; per hoc volens impetrare à Domino auxilium contemplationis. Iube, inquit, & confestim fiet. *Mitte de celis, sede magnitudinis tuæ spiritum sapientiæ, ut mecum sit & mecum laboret: & sciam, quid acceptum sit apud te, hoc est, ut tibi placere possim in actione mea.* Sunt quidam ex occupatis in actione, qui queruntur quodammodo de ipso Deo, quasi ab ipso deferantur, nulli



fectum  
querun-  
tur.

3.  
De con-  
templa-  
tivisma-  
lè judi-  
cant.

1.

2.

la quiete ad respirandum concessa, quasi culpa actionis fiat, quòd destituantur fructu contemplationis. Qui quidem, si humilitatem colerent, in magno beneficio ponerent, quod in Dei gratiam sese totos impendere liceret sanctis actionibus, atque ea ratione donum contemplationis obtinerent, quod modò avertunt à se per superbam querimoniam, & fortè simulatam, qua tegere volunt & excusare tepiditatem suam in studio contemplationis. Alij autem queruntur de contemplativis, quasi otiosis & Ecclesiæ Dei nihil conferentibus, sed planè inutilibus, quo in iudicio multum peccant. Primò, quòd velint omnes eandem inire viam secum, quasi una tantum sit ad perfectionem contendendi. Deinde errant, quòd otiosos existimant, qui Deo toti vacant, & inutiles, quorum orationibus plurimum juvatur Ecclesia, & illi ipsi, qui proximis dant operam. Quare Dominus Magdalenam defendit, quæ otiositatis arguebatur à sorore. Agat igitur gratias Deo unusquisque pro sua vocatione, in eaque se perficiat, deque aliorum bono gaudens, faciat illud sibi proprium.

## CAPUT IV.

### *De moderanda actione.*

**N**imiam sollicitudinem coarguit Dominus, quando Marthæ dixit. *Martha, Martha sollicita es, & turbaris erga plurima.* Hujus verò inquietu-



quietudinis causa est triplex. Prima est naturæ conditio, ex qua quidam sunt ita animo inquieti, ut se colligere non valeant, ideóque a-  
 mant distractiones. Alij autem sunt pacati, fa-  
 cilesque ad collectionem sui. Sicut autem hos  
 charitas, cùm opus est, ad actionem provocat,  
 ira illos frænare debet, & ab effusione cohibe-  
 re timor spiritualium damnorum inde prove-  
 nientium, & spes de virtute gratiæ Dei eos ad  
 connitendum confirmare.

1.

Inquie-  
tudo na-  
turæ.

2.

Defectus  
judicii.

Secunda causa est zelus indiscretus, atque defectus experientiæ, unde fit, ut omnia com-  
 plecti velint, & ubique adesse. Sic Dominus  
 redarguit sollicitudinem Marthæ circa plurima.  
 Corrigendus est error iste, & suum cuique rei  
 tempus dandum, juxta illud *Sapientia scribæ Eccl. 28.*  
*in tempore vacuitatis, & qui minoratur actu,*  
*sapientiam percipit.* Hoc est, vir sapiens captat  
 otium suo tempore, & vacat à curis, & per di-  
 minutionem, sive cessationem ab actione in-  
 tendit sapientiæ acquirendæ.

3.

Amor  
sui ni-  
mius.  
Impe-  
tuosus.  
Indiscre-  
tus.

Tertia est causa, ab amore sui ipsius, quo fit  
 primum, ut in res proprias nimio amore fera-  
 mur, atque ita effundamur foras supra mo-  
 dum: deinde impulsu vanæ gloriæ sæpe urge-  
 mur ad multa aggredienda, & prosequenda,  
 non obstante proprio spiritûs detrimento. De-  
 nique, per indiscretionem, non æstimantes, quid  
 expediat, tum licere videatur, contra Pau-  
 li documentum. *Omnia mihi licent; sed non* 1. Cor. 6.  
*omnia expediunt.* Quidquid ergo speciem ali- 12.  
 quam



232 *Introd. ad Med. III. Partis.*  
quam boni habet, sine delectu suscipitur,  
quod est inconveniens.

## CAPUT V.

*De uno necessario, quod est proprium  
vitæ contemplativæ.*

**H**Oc unum commendavit Christus in Ma-  
gdalena. Porro UNUM est necessarium.  
Huc spectat vita contemplativa, ubiq; renuens  
pluralitatem, amans unitatem. Primò in usu  
rerum temporalium, ex quibus studet quàm  
paucissimis uti. *Habentes alimenta & quibus  
tegamur, his contenti simus.* Multum id  
confert ad quietem cordis, & singulariter id  
sectati sunt viri contemplativi, & quo parcius  
istis utimur, liberaliùs à Deo donamur spiri-  
tualibus bonis. Secundò requiritur *unitas in-  
tentionis*, quæ debet esse gloria Dei, & quæ ad  
illam per se diriguntur, uti est præcipuè salus  
nostra. Quidquid non huc refertur, extra u-  
num est, si vel totum mundum lucrifaciam.  
Huc spectat etiam *Unitas*, quâ sumus *unum  
corpus, & unus spiritus cum Christo, & una  
est omnium fides, unum baptisma, una spes vo-  
cationis, unus Dominus, unus Mediator, unus  
Deus, & Pater omnium.* Quare detestabor  
quæcunque me ab hac unitate corporis Chri-  
sti, quod est Ecclesia, quocunque modo ab-  
ducunt, aut divellunt. Tertia est, *unitas fa-  
cultatum animæ, & actionum; quæ in unum  
colli-*

1.  
Unitas  
parsimo-  
niæ

1. Tim.  
6. 8.

2.  
Inten-  
tionis.

Eph. 4.  
4.

3.  
Unitas  
faculta-



colliguntur, quando sic in potestate sunt, ut nihil obstrepant, aut avertant animam contemplantis ab unione cum Deo per contemplationem & amorem; sed potius cooperentur suo modo, atque subserviant.

## CAPUT VI.

## De præstantia vitæ contemplativæ.

Commendavit illam Christus illis verbis: *Gratia Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea.* Ubi est notandum, quod ait, Mariam elegisse. Nam, etsi Deus inspirator esse debet suscipiendi vitæ genus, præsertim tam eximium; homo tamen ipse obsequitur vocanti, & cooperatur.

Vocata autem *optimam partem*, quo præfert eam vitæ activæ, nam conjungit magis hominem summo bono, similioremque Deo facit & Angelis, perficiendo ipsam secundum nobilissimas potentias rationales, intellectum & voluntatem, atque istas per actus omnium excellentissimos; nempe contemplationem primæ veritatis, & amorem summi boni, à quibus actibus deinde provenit amor proximi, & fervor, atque devotionis sensus in operibus bonis perficiendis.

Addit porro Dominus: *quæ non auferetur ab ea.* Nam quos Deus semel ad eam vitam vocavit, vult in ea permanere, nec ullis ob-  
trectationibus (qualis erat illa Marthæ) ab in-



2. Non im-  
pedit.  
*Cant. 2.*  
7. *Ec.*  
3. 5.  
2.  
Nunquā  
aufert.  
*De Ci-*  
*vit. in*  
*sine.*

stituto revocari. Deinde vult, ut à consuetis  
ejus vitæ exercitationibus, per tempora distri-  
butis, nullo modo patiantur se impediri, aut  
distrahi, quovis alio prætextu meliorum. Nam  
in ipsos dicitur, sponso, *Ne suscitatis, nec evi-*  
*gilare faciatis dilectam, donec ipsa velit.* Voleat  
autem, quando id esse voluntatis divinæ, ex  
obedientia intelliget. Denique Deus nun-  
quam auferet hanc partem ab eo, cui semel  
contulit, sed eandem perficiet in æternitate,  
ubi cessante actione toti Deo vacabimus, a-  
mabimus, & laudabimus, ut dicit Augustinus.

## CAPUT VII.

*De vitæ mixtæ excellentia.*

*Gen. 28.*  
*12.*

**M**Ixta est, quæ contemplationi addit actio-  
nem, cujus vitæ mixtæ respectu con-  
templativam solam Dominus vocavit *partem*,  
quia non est totum bonum. Hanc Christus  
expressit, deinde Ioannes Baptista, Apostoli,  
Doctores Ecclesiæ, alique viri sanctissimi secu-  
ti sunt. Significata verò est in *scala jacob*, per  
quam *Angeli ascendebant & descendebant.* U-  
tique homines Angelis similes, modò ad cæ-  
lum per contemplationem se attollentes, mo-  
dò se ad terram demittentes, causâ proximos  
juvandi per opportuna ministeria. Et quam-  
vis ista perfectio videatur esse paucorum, ut  
ait Cassianus; tamen ipsa contemplatio amor-  
que divinus, dum proximi charitatem accen-  
dit,

*Collat.*  
*19. c. 9.*



*Quomodo Christus utramque, &c. 235*

dit, ad actionem instigat. Intelligit enim opus esse Deo gratissimum, cooperari Christo in lucro animarum faciendo, proque ipsis vitam ipsam fundere, paratum esse. Cæterum sicut Martha indiget Magdalenæ subsidio, ita vicissim pulchra Rachel (quæ etiam contemplativam designat) invidet Liæ lippienti, sed fecundæ (quæ est activa) clamâtque. *Damini liberos, alioquin moriar.*

Contemplatio  
ad am-

rem pro-

ximi  
pellit.  
Gen 30.  
1.

Oratio.

Quamobrem Dominum obsecrabo, ut Martha obsequium pariter & Mariæ otium tenere valeam, neque me sollicitudo Marthæ nimia à quiete Magdalenæ distrahat, vel hujus studium avocet à subsidio proximis ferendo.

CAPUT VIII.

*Quomodo Christus utramque vitam excellenter conjunxerit.*

**N**Octem contemplationi, diem actioni tribuebat; quod significat Lucas: *Exijt in montem orare, & erat pernoctans in oratione Dei.* Circa quæ verba considerare possumus Christi contemplationis modum, ad imitandum. *Luc. 6. Exijt in 12.*

1.  
Christi  
oratio.

I. Accedebat paratus, sepositis distrahentibus, nam eligebat locum à strepitu semotum, Cum montem, tempus quietissimum noctis, & solus secedebat. 2. Diu orationem producebat, ut, qui in illa pernoctabat. Ac ille momento in Deum assurgebat, nos autem non nisi multa col-

1.  
præpa-  
ratione.  
2.

Longa.

ta col-



ta colluctatione obtinere possumus benedictionem, sicut Patriarcha Iacob. Et propterea dicitur: *Melior est finis orationis, quam principium*: quia tandem post multam instantiam, & conatum efficimur compotes alicujus celestis lucis, & consolationis, quare debemus orationem producere. 3. Oratio ipsa Christi erat perfecta, nam ait: *Pernoctabat in oratione Dei*. Phrasi autem Scripturæ res quæpiam dicitur Dei, quod sit in eo genere excellentissima, qualis oratio à Ieremia describitur: *Sedebit solitarius, & tacebit: quia levavit se super se*.

II. Præterea universa oratio dici potest, Dei, quod ex omni parte Deum respiciat. 1. Debet à Spiritu Sancto inspirari, qui idcirco dicitur pro nobis postulare. 2. In Deum solum debet esse intenta, alijs curis seclusis. *Introibo in potentias Domini: Domine, memorabor iustitiæ tuæ solius*. 3. Summa petitionum debet esse honor Dei, & ejus impletio voluntatis. 4. Effectus est unitio cum Deo, & transformatio in illius similitudinem. Oratio itaque perfecta verè appellatur Dei, qualis in primis oratio fuit Christi Domini.

III. Ab hujusmodi contemplatione Christus prohibat ad actionem: sed & inter actionem miscbat contemplationem, velut cum in patrandis miraculis orabat Patrem, quod etiam fecisse tacitus, quando non memoratur aperte orasse, credendus est: & fecit, ut doceremur similiter, contemplationem eodem tempore



*Quomodo Christus utramque, &c. 237*

pore cum actione jungere, non solum eam  
præmittere: sicut hortatur Ieremias: *Leve- Thren. 3.*  
*mus corda nostra cum manibus ad Dominum 41.*  
*in celos.* Cum manibus, inquit, & inter ope-  
randum.

Porro Christi actio per tempus prædicatio-  
nis ejus maximè enituit, in concionibus, ex- Christi  
emplis, & miraculis, quæ omnia fuerunt exi- actio-  
mia, circa quæ versatur tertia pars meditatio- nes  
num.

## MEDITATIO I.

*Vita Præcursoris.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**A**B infantia degit in deserto, ubi quatuor  
imprimis præluxit virtutibus, quæ sunt co-  
lumnæ perfectionis. 1. Asperitas vitæ, habe-  
bat vestimentum de pilis camelorum, & zo-  
nam pelliceam circa lumbos suos: esca autem  
ejus erat locusta, & mel sylvestre, & haud du-  
biè, non dissimile cubile & lectus, antrum, &  
nuda humus: ferebátque omnes cæli mole-  
stias, æstus, imbres, frigusque patienter. Nec  
hæc ob delicta præterita, cum fuerit ab utero  
sanctificatus; sed ad vitandas etiam leves cul-  
pas, carnemque spiritui subigendam, utque  
idoneus fieret divinis percipiendis, quæ ordi-  
nariè non nisi talibus sui victoribus commu-  
nicantur. Ita studebo imitari quoad licebit,  
&

1.  
Pœnitē-  
tia cor-  
poralis.

&



& offerre me hostiam vivam, sanctam, Deplacentem; præsertim quia ad satisfactionem pro multis peccatis mihi est mortificatio carnis necessaria, non tantum ad disponendam animam divinis influxibus. Et tandem, quia

- Mat. 11. qui molliter vestiuntur, in domibus Regum*  
*8. sunt.* 2. Negotium per id tempus illius fuit  
*2. Oratio.* assidua oratio & contemplatio, implente illud  
*Osea 2.* Domino circa Ioannem: *Ducam eam in solitudinem, & ibi loquar ad cor ejus.* Unde divinis illustrationibus supra omnes Patriarchas & Prophetas donatus est, atque ineffabilibus suavitatibus delibutus. Et meritò, ut qui ita se omni abdicaverat prorsus consolatione terrena.  
*Cant. 4.* Nempe ad montem myrrha, & mortificationis contendere oportet, ut ad thuris collem perveniat.  
*6. Gregor. 1. dialog. c. 1.* 3. Excelluit fortitudo & constantia in tam diuturna militia. Nec enim dubium, quin à Sathana frequenter & graviter fuerit appetitus, quando ipsum Christum post quadraginta dierum solitudinem sic est ille aggressus: *Delectatur enim cibus electis, & fiduciam habet, quòd Jordanis ipse fluat in os ejus: tantum præsumit.* 4. Cordis puritas, vel à minimis labe-  
*Hab. 1. 16.* culis, & studium proficiendi semper: de quo dicitur: *Puer autem crescebat & confortabatur spiritu.* Quare in eum maximè illud convenie-  
*Luc. 1. 80.* bar. *Beatus vir, cuius est auxilium abs te, ascensionem in corde suo disposuit, ibit de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.*  
*Ps. 83. 6.* Insistam hisce vestigijs, ut crescam sicut matutina lux usque ad perfectam diem;

PUN-



## PUNCTUM II.

**Æ**Tate jam provecta, prædicare aggredi-  
 tur. 1. Id agit Spiritus Sancti impulsu, <sup>1. Conciones ex Spiritus S. impulsu.</sup>  
 cuius ductu antea latitaverat: nam solet Spi-  
 ritus, quos ad perfectionem provexit, ad alios  
 quoque perficiendos inducere, ad parandam  
 Domino plebem perfectam. Sed & qui in cel-  
 lam vinariam introductus fuerat, exstimulante  
 charitate, alios quoque ad dilecti sui amorem  
 inflammare gestiebat. 2. Attemperabat præ-  
 dicationem suam auditoribus. In protervos <sup>2. Accommodatæ auditoribus.</sup>  
 Phariseos & Saduceos hæreticos terribilis, ut  
 Elias: *genimina vocans viperarum*, & extrema <sup>Mat. 3.</sup>  
 intentans: at in plebem, publicanos, & milites  
 benignus, apta singulis præbens documenta. 3. 7.  
 Prædicationis argumentum præcipuum fuit <sup>3. De pœnitentia.</sup>  
 pœnitentia, ad quam inducebat, tum  
 spe, quòd regnum cælorum appropinquaret,  
 tum metu se veri iudicii, securi jam ad radi-  
 cem arboris admota, & ventilabrum jam Deo  
 versante, ad purgandam aream & triticum à  
 paleis segregandum. 4. Fructus prædicatio-  
 nis sequebatur magnus, magni ad eum concur- <sup>4. Fructus.</sup>  
 sus fiebant hominum, qui confitentes pecca-  
 ra sua, ad baptismum pœnitentiæ se offerebant.  
 Atque id totum nullo patrato miraculo: tan-  
 tum valet sanctimonix exemplum. O, dei  
 Ecclesiæ suæ Deus multos ejus efficacitatis!

PUN-



## PUNCTUM III.

1.  
Humili-  
tas.

2.  
Christi  
exaltat.  
Luc. 3.  
16.

**H**abitatus est pro Christo à populo, quod ubi coniecit Ioannes, refragatus est: in quo eluxit insignis humilitas. 1. Quod nec ob severissimam vitæ rationem, nec ob tam eximias virtutes, nec demum ob tantum populi plausum, conceptamque de ipso opinionem, sibi ipsi placuerit. 2. Quod non dissimulavit rem, sed Christo gloriam dedit, se verò abiecit. *Ego baptizo vos aquâ: venit autem fortior me, cuius non sum dignus solvere corrigiam calceamentorum ejus, ipse vos baptizabit Spiritu Sancto & igne.* Ubi etiam baptismum suum extenuat, Christi autem magnificat, cum nos extenuemus bona aliena, effera-  
mus propria.

## MEDITATIO II.

*Testificatio Joannis Baptiste de Christo.*

**N**on populus tantum, sed primores etiam dubitare cœperunt, num esset Christus? *Jo. 1. 19. quare miserunt Sacerdotes & Levitas, ut interrogarent: tu qui es? in Responso quatuor heroicis demissionis actus exercuit.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Actus  
humili-  
satis,

**C**onfessus est: *quia non sum ego Christus.* Hic est primus actus præcisè & promptè amoliri à se, quod non erat; & deferre ei, cuius



cujus erat. Affectatio divini honoris dejecit <sup>1.</sup> Dei glo-  
Luciferum, & primos parentes exturbavit, <sup>riam</sup>  
quosdam etiam potentes mortalium hæc in- <sup>quærit.</sup>  
saniam invasit. Contra servavit Angelos, qui  
cum respuissent, & Christi Apostoli vehemen-  
ter averfati sunt omnem speciem delati sibi  
ejusmodi honoris. Calliditas fuit Sathanæ, ut <sup>Callidi-</sup>  
Joannem, quem alijs machinis labefactare ne- <sup>tas Sath.</sup>  
quiverat, excellentiæ supra humanam, delatio-  
ne caperet. Sic aliàs agit, ut justis majora quæ-  
dam supra meritum atque virtutem deferan-  
tur, ut evedtos præcipitet, quod, qui in humi-  
litate fundati sunt, cavent, sequentes illud:  
*Quantò major es, humilia te in omnibus.* <sup>Ecc. 3.</sup>

## PUNCTUM II.

**S**Ecundò interrogatur: *Elias es tu?* Respon- <sup>2.</sup>  
det: *Non sum.* *Propheta es tu?* *Non sum.* Debitū  
respondet. Poterat Eliam Prophetam se fateri, honore  
sicut vocatus est à Christo: at humilis non <sup>fugit.</sup>  
tantum indebita respuit, sed debita etiam,  
quando salva veritate potest, à se amolitur, in-  
dustrius in hoc: sicut superbi contra in deri-  
vandis ad se titulis & honoribus sunt ingenio-  
si. Hic est alter humilitatis actus; & respondet  
præcisè: *Non*, ne involutum responsum re-  
linqueret suspicionem.

## PUNCTUM III.

**T**ertia quæstio: *Quis ergo es?* *Ego vox cla-* <sup>3.</sup>  
*mantis in deserto. dirigite viam Domini,* <sup>In Deum</sup>  
*sicut dixit Isaias.* Non jactat genus, parentes, <sup>omnia</sup>  
lacer- <sup>derivat.</sup>



sacerdotium, ut quidam solent de suis gloria-  
 ri: *Vocem* autem se dicit, quo significat mu-  
 nus quoddam sibi demandatum Præcursoris  
 sed ita humiliter, ut quicquid est, alterius se esse  
 insinuet, nimirum Dei, per ipsum tanquam  
 vocem loquentis. Hic est tertius humilitatis  
 actus, ut quando bona nostra cogimur aperire,  
 quàm demississimè id fiat, ac in Deum  
 deriventur. Porro Ioannes erat vox, & ver-  
 bo, & exemplo, ad Christum omnes vocans.  
 Talis sim.

## PUNCTUM IV.

4.  
Publicè  
se depri-  
mit.

**Q**uarta quæstio: *Quid ergo baptizas, si tu  
 non es Christus, neque Elias, neque Pro-  
 pheta?* Perstringitur Ioannes, quod usurparet  
 sibi munus baptizandi; ipse autem se non tue-  
 tur, in Deum authorem referens suum baptis-  
 mum, qui est quartus humilitatis gradus, sed  
 pergit abjicere se, dicens: *Ego baptizo in a-  
 qua, medius autem vestrum stetit, quem vos  
 nescitis, ipse est, qui post me venturus est, qui  
 ante me factus est, (michi prælatus) cuius ego  
 non sum dignus, ut solvam ejus corrigiam cal-  
 ceamenti.* Idem testificatur, quod antea apud  
 plebem, Christo dans honorem; nunc maxi-  
 mè, quando solemniter ex parte magistratum  
 interrogatur, ut illis innotescat Christus, ipse  
 autem pro indigno illius servo habeatur. Re-  
 ctè Christus Ioannem dixit non esse arundi-  
 nem vento agitatam, quippe eandem semper  
 confessionem de Christo confessus est, nun-  
 quam

Humilis  
stat im-  
mobilis.



quam vanitatis vento transversum impulsus.  
Talis est humilis, qui tanquam terræ moles su-  
per nihilum suum firmiter fundatus est.

### MEDITATIO III.

*Christus baptizatur.* Matth. 3. Marc. 1.

Luc. 3.

#### PUNCTUM PRIMUM.

**C**hristus aggressurus opus suum, valedicit Valedi-  
Matri mœrenti de abitu, sed gratulanti, cit Matri  
ob appropinquantem Redemptionem Israël; Christus,  
profectusque ad Jordanem, inter publicanos  
& peccatores baptizandum se offert Ioanni. Fa-  
cti hujus causæ fuerunt. 1. Ad humilitatis ex- Cur ba-  
emplū, quæ est optima præparatio, ad aggrediē pricerur  
dum magna, juxta illud: *Et mittes, quod salvatū Christus.*  
*fuerit de Juda radicem deorsum, ut faciat fructū* 1.  
*inversum.* 2. Ut baptismum Ioannis facto suo isa. 37.  
probarer, sicut & circumcisionem, dum ei se 31.  
subjecit. Sic Christi legem consiliaque osten- 2.  
dimus nos maximè probare, si ea impleamus.  
3. Ut sanctificaret aquas in lavacro regenera- 3.  
tionis.

#### PUNCTUM II.

**I**oannes, qui Christum de facie non nove-  
rat, revelante tunc Spiritu Sancto, ipsum Joannis  
agnovit. Quis gaudij sensus in pectore Bapti- gaudiū.  
stæ! illo etiam major, quo *exultavit in utero*  
ad

Q 2

ad



Humili-  
tatis &  
obediē-  
tiæ con-  
junctio.

ad præsentiam Domini sui. Quis effectus reve-  
rentiæ & submissionis! Unde ait: *Ego à te de-  
beo baptizari, & tu venis ad me.* Profunde  
scilicet penetrabat, quis Christus, quis ipse.  
Ita tu, cū venit ad te in Evcharistia. IESUS  
autem respondit: *Sine modo, sic enim decet  
nos implere omnem justitiam.* Nos inquit, &  
me, & te decet, me quidem per humilitatis  
opus, te verò per obediētiæ, baptizando me,  
quod à te requiro. Omnem inquit justitiam,  
quippe humilitate & obediētia continetur  
omnis perfectio sanctitatis. Paruit Ioannes,  
non excusans, ut Petrus lavari: at quā reveren-  
tiā & sensu baptizavit puritatem?

### PUNCTUM III.

Christus  
exaltatur  
triplici-  
ter.

1.  
Cæli a-  
pertura

Marc. 1.  
15.

Ioan. 1.  
18.

Act. 7.  
56.

2.

CHRISTUS in actu tantæ humiliationis exalta-  
tur & clarificatur à Patre æterno triplici  
indicio. 1. Nam baptizatus confestim ascen-  
dit de aqua: & ecce aperti sunt ei cæli, ei, in-  
quam, in gratiam ipsius, ut sic ostenderetur  
eum de cælo venisse. Deinde per ipsum ape-  
riendos quoque nobis, & verum esse, quod  
Baptista, inducens ad pœnitentiam, prædica-  
bat: *Appropinquare regnum Cælorum.* Mar-  
cus ait, quòd vidit cælos apertos: quippe  
Christo patebant arcana omnia cælestia, & per  
ipsum nobis aperienda erant. *Qui enim est in  
sinu Patris, ipse narravit,* ut ait Ioannes. Un-  
de & Stephanus vidit cælos apertos, in terra exi-  
stens, idēque illis contingit, quorum con-  
versatio in cælis est. 2. *Descendit Spiritus S.*



corporali specie, sicut columba in ipsum. Per Spiritus  
hoc significata primum est septriformis gratia  
Spiritus Sancti, quæ super florem Jesse ab ipsius

S. descē-  
su.  
Isa. 11.

conceptu requievit, & venit in columbæ spe-  
cie, ad innocentiam Christi testificandam: tam-

2.

etsi ut peccator baptizari voluisset. Deinde  
in signum, uti columba missa à Noë, & cum

Gen. 8.  
11.

oliva rediens, quod per Christum mundus ab  
eluvione peccatorum eximendus foret. Et tan-

dem, quod more columbæ fecunda foret Chri-  
sti gratia, innumeris hominibus ex aqua & Spi-

ritu S. regeneratis, qui ipsi una forent colum-  
ba, una sponsa Christo Domino. 3. Et ecce

3.

vox de calis, dicens: Hic est Filius meus dilectus,  
in quo mihi complacui. Singula verba perpen-

Vocis e-  
missione

denda sunt: Hic, qui mortalis, qui in speciem  
peccator, quem columba ostendit, est Filius

meus, non adoptione, sed natura, non rege-  
neratus ex aqua, Sed ex utero meo ante Lucife-

Ps. 109.

rum genitus, in splendoribus Sanctorum, lumen  
de lumine, Deus de Deo. Dilectus, proinde

3.  
Symbole:

non ut alij iusti, sed unicè ac singulariter, imò  
infinite; quâ Deus: sed & dilectus unicè, quâ

homo: quia facit, quæ mihi placita sunt sem-  
per. In quo ita complacui, ut nullus mihi alius

placere possit, nisi per ipsum, & propter ipsum,  
si illius imagini conformatus sit.

In isto actu manifestari cœpit sublime my-  
sterium Trinitatis divinarum personarum, pro

ss. Tri-  
nitas.

qua manifestatione gratias agam, tanquam pro  
singulari beneficio.

Q 3

PUN-



## PUNCTUM IV.

Sacra-  
mentum  
Baptis-  
mi.

P. 3. q.  
66. a. 2.

Ma. 3.  
14.

Quòd Christus suum tunc baptismum insti-  
tuerit, ut putat S. Thomas, certè indica-  
verit, qui in nomine apparentium ibi divina-  
rum personarum conficitur; & effectus illos  
tres habet, ut cælum aperiat, Spiritum Sanctum  
ejusque dona conferat, & filios adoptionis effi-  
ciat, cælesti Patri gratos & dilectos. Gratias  
pro tam singulari & insigni beneficio agam, ex  
corde deprecans ne à tantis bonis semel acce-  
ptis excidam. Non abs re credi potest, quòd  
Christus suo vicissim baptismo Baptistam Joan-  
nem abluerit, votum ejus implendo, quando di-  
xerat: *Ego à te debeo baptizari*: & exultavit  
procul dubio, novâ auctus gratiâ, donisque.

## PUNCTUM V.

Oratio-  
nis effi-  
cacia.

Act. 10.  
11.  
Act. 1.  
14.

Eccl. 35.  
Oratio  
Sacra-

Quòd Lucas ait: *Christo baptizato & oran-  
te, apertum est cælum, & descendit Spiritus  
Sanctus*. Quo docemur efficaciam orationis,  
quæ cælos aperiat, uti etiam orante Petro con-  
tigit, & Spiritum Sanctum promereatur, ut,  
cùm discipuli *in oratione perseverantes repleti  
sunt Spiritu Sancto*. Et vox Patris cælestis in  
oratione auditur per inspirationes sanctas, &  
testimonium internum, quòd simus filij Dei.  
Atque id præsertim operatur oratio, si cum  
exercitio humilitatis conjuncta sit, ut tunc fuit  
illa oratio Christi: *Quoniam oratio humilian-  
tis se nubes penetrat*. Docemur etiam devotè  
Sacramenta obire, orantes, ne illorum effectus  
impe-



impediatur in nobis, utque novam viram, ad mentis  
quam per illa regeneramur, vel augemur, per-  
petuò tueri possimus. Oravit etiam Christus  
pro suscepturis suum baptismum, ne ejus effectu  
fraudentur, gratiasque egit Patri pro hoc ipso  
beneficio regenerationis in homines collato,  
proque alijs sibi proprijs. Nam & hæc pars o-  
rationis est actio gratiarum.

## MEDITATIO IV.

*Christus in desertum secedit, & jejunat.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**S**Tatim à baptismo se subducit in desertum.  
1. Quoniam tam mira circa ipsum in baptis-  
mo acciderant, docet vitandum esse plausum  
hominum. 2. Docet interiora potiora esse ex-  
ternis ceremonijs, qualis erat Joannis baptis-  
mus in aqua tantum, nec ut Pharisei faciebant:  
*Mundantes, quod de foris est calicis, intus autem  
pleni immunditia.* 3. Qui Spiritu plenus gusta-  
vit cælestia, avertit se recipere ad illa amplius se-  
cum ipse pertractanda.

### PUNCTUM II.

**D**uctus est in desertum à Spiritu, ut Mat- Spiritus  
thæus: at Marcus: & statim Spiritus ex- S. sequē-  
pulit eum in desertum: haud dubiè Spiritus San- dus.  
ctus: non à spiritu vanitatis, aut sinistro alio  
ducebatur, ut nos: nempe, qui Spiritu Dei Rom. 8.  
aguntur, 14.



aguntur, hi sunt filij Dei. Ductus dicitur, quia sponte obsequens: expulsus, quia sine mora, & cum fervore. *Nescit tarda molimina Spiritus Sancti gratia*, & fortiter, simul, graviter, *que disponit omnia*. Non in Jerusalem, sed in deserto desertum expulit, ut inter bestias ageret, uti Christus fuerat inter animalia natus. Utrumque agit ad

1. exemplum humilitatis, & quærens hominem
2. jumentis similem peccando factum. Deinde,

*quia is locus pœnitentiæ, & orationi erat aptus*. Unde ascendebat oratio illius sicut *Virgula fumi*, ex aromatibus *myrrha & thuris*. Penetrat videlicet illa oratio cælos, quæ à mortificatione, & incenso devotionis affectu procedit. Sic præparanda anima est, quando aliquod præcipuum est aggressura.

Sap. 8. 1.

Cur in

deserto

Christus

1.

2.

Cant. 3.

6.

## PUNCTUM III.

1. **J**ejunavit quadraginta diebus & noctibus. 1. Suscepit hoc jejunium pro intemperantia primorum parentum, in cibo vetito gustando: deinde, ut doceret, ab initio spiritualis vitæ domandam esse gulam. 2. Jejunium hoc fuit rigidissimum, sine ullo cibo continuatum. Docemur, quàm strictissimè jejunare, quantum natura & vires ferunt, absque miraculo. 3. Fuit prolixum ad quadraginta dies, ad commendandam constantiam in operibus pœnitentiæ: Cujus exemplo observabo exactè quadragesimale jejunium, quadripartita intentione, juxta quatuor illius partes, nempe ad satisfactionem pro peccatis meis, in gratiarum actio-

1. Gulam reprimi

2. Jejunium exactum

3. Prolixum



actionem pro beneficijs acceptis, ad impetrandas virtutes mihi maximè necessarias in præparationem beatæ Resurrectionis, in præmiũ vitæ æternæ. 4. Jejunium hoc fuit suave, sufficiente vires Divinitate, ipsaque contemplatione molestiam omnem auferente: sicut & *Elia & Moysi* contigit: illi dum ad montem Dei Oreb pergeret, pane subcinericio refectus, isti autem, dum colloquio Dei in monte Sinai frueretur. Ambo enim totidem dies absque cibo alio, potùve perdurârunt. Nempe pro eo, quod jejunium juvat, ac promovet orationis fervorem: ab hujus vicissim suavitate lenitur jejunandi labor & molestia.

4.  
Suave  
per ora-  
tionem.  
Exod. 34  
28.  
3. Reg.  
19. 8.

## MEDITATIO V.

*Christus tentatur à diabolo.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**D**uctus est in desertum, ut tentaretur à diabolo. Exponit aliquando Deus viros perfectos tentationibus, ut in ipsis triumphet:

*Quia fidelis est, & non patitur nos tentari su-  
pra id, quod possumus, sed facit cum tentatione  
proventum.* Solitudo est apta dæmonum insi-  
dijs. Sic etiam Evam aggressus est, cum sola  
ageret sine marito. Ideo olim non nisi pro-  
batis permittebatur vita Solitaria. Perinde  
verò est, quamvis in consortio multorum vi-  
vam, si tentationes celem apud me: ait enim

1. Cor.  
10. 11.  
Solitudo  
utilis.

Qs

Sapiens:



*Eccel. 10.* Sapiens: Si mordet serpens in abscondito, & abs-  
*11.* que sibile, nullum habet lucrum incantans:  
*Eccel. 4.* Hoc est, nulli est utilitati, quia ignorat mor-  
*10.* bum. Ita, si spirituali patri non manifestentur  
*Christus* tentationes occultæ, quas tanquam morsus  
*cur ten-* figit absque sibilo, & clam serpens antiquus.  
*tatus.* *Va sô'i, quia cùm ceciderit, non habet sublevan-*  
*tem se.* Solus etiam est, qui suum casum non  
communicat ei, à quo sublevari potest. Por-  
ro Christus tentari voluit. 1. Quasi tyro ali-  
*Eccel. 2.* quis, cui dicitur: *Accedens ad servitutem Dei,*  
*1.* *prepara animam tuam ad tentationem.* 2. *Ut*  
*2.* *per omnia nobis similis fieret, absque peccato:*  
*Heb. 4.* Et experienciâ disceret compati infirmitatibus  
*15.* nostris, tentatus ipse. 3. Ut animum nobis  
*3.* faceret & vincendi præberet exemplum. Col-  
*In ten-* lige hinc tria documenta. 1. Ne dejiciaris ten-  
*tatione,* tatione, quasi minus Deo charus, siquidem  
*1.* *Lætare.* Filius Dei tentatus est: quin animare, & gau-  
*2.* *Spera.* de spiritu. 2. Fiduciam concipe auxilij oppor-  
tuni ab eo, qui propter te tentari voluit, ut  
compateretur. 3. Disce prævenire tentatio-  
*Ora.* nes, ut fecit Christus in *jejunio & oratione.*  
*Mat. 17.* Est enim genus Dæmoniorum, quod non al-  
*12.* liter ejicitur, ut Christus ipse affirmat.

## PUNCTUM II.

**T**Entationes quales fuerint. Primæ mate-  
ria fuit gula. Secundæ vana gloria. Ter-  
tiæ avaritia & ambitio: sed in omnibus pater  
superbiæ ad superbiam spectavit. 1. Tentatio.  
*1.* *Gula.* *Si Filius Dei es, dic, ut lapides isti panes fiant,*  
*capiat*



*Christus tentatur à diabolo.* 251

captat occasionem à jejunio, & esurie. Variè de  
gula tentat homines: aliter voluptuosos, pro-  
ponens ipsis cupedias: aliter egentes, indu-  
cens ad procurandum cibum modis illicitis:  
aliter pios, prætenu honesto, sicut Prophe-  
tam illum induxit, ad jejunium à Deo sibi præ-  
ceptum transgrediendum, obtenfa revelatio-  
ne; & Christum Dominum, siquidem esset Fi-  
lius Dei, ut panes sibi faceret ex lapidibus. Re-  
pulsus est, *Non in solo pane vivit homo, sed in  
omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Nititur  
hoc responsum humilitate, quâ non vult Deo  
præscribere modum alendi ipsum, cùm plures  
ipsi suppetant, & fiducia de illius providentia.

*Qui dat jumentis, ipsorum escam, & pullis cor-  
vorum invocantibus eum.* 2. Tentatio à vana

gloria: *Tunc assumpsit eum diabolus in san-  
ctam civitatem & statuit eum supra pinnacu-  
lum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte  
te deorsum.* Diabolus primam tentationem

adhibet, ut exploret propensionem, unde fa-  
ciat gradum ad alias, pro cujusque ingenio.  
Spiritus bonus duxit Christum in desertum, ut  
declinaret plausum & accursum: malus autem  
portat in pinnaculum templi, ut qui noluerat  
in occulto facere miraculum parvum, in aper-  
to faceret illud, à gloria stimulatus. Per-  
mittit se portari Christus, usque adeo sese hu-  
milians. Repellitur tentator, *Scriptum est:  
non tentabis Dominum Deum tuum.* Non  
sunt frustra petenda miracula. Humilis facilè  
discernit spiritum vanitatis, sicut dicit Sapiens:

*Ubi*

3. Reg.

13.

Pf. 14.6.

2.

Vana  
gloria.

Mat. 4.

5.

Prov. 11.

2.



3. *Ubi est humilitas, ibi & sapientia.* 3. *Ten-*  
*Avaritia tatio. Assumpsit eum diabolus in montem excel-*  
*sum.* En, ut pro uno peccato totum offert

*Mat. 16.* mundum: *Hæc omnia tibi dabo.* Contrà tu

26. *disce, nec pro omnibus mundi regnis, vel u-*

*Sap. 5. 8.* num esse admittendum. *Quid enim prodest*

*homini, si universum mundum lucretur, anima*

*verò suæ detrimentum patiatur?* Quòd ipsi fa-

*tentur peccatores: Quid nobis profuit super-*

*bia, aut divitiarum jactantia?* Deinde obser-

*va mendacij patrem ea promittentem, quæ in*

*sua potestate non sunt: sic sæpe multos vanâ*

*Avaritiæ deludit spe, ut somnia sibi fingant, vel persua-*

*execra-* *deri per alios sibi sinant, quo inducat in ali-*

*tio.* *quod peccatum. Præterea attende, quantum*

*fit malum avaritia, & ambitio, quæ faciunt*

*Col. 3. 5.* *adorare diabolum. Certè avaritia idolorum*

*servitus vocatur, quòd illius causa nihil non*

*fiat, proinde Christus impossibile dixit ser-*

*Mat. 9.* *vire Deo & Mammonæ. Et, quod est mise-*

24. *randum, non pro toto mundo, sed pro uno*

*palmo terræ à multis diabolus adoratur. Pel-*

*litur tentator: Vade Sathana! scriptum est e-*

*nim, Dominum Deum tuum adorabis, & illi*

*soli servies. Tali zelo repellendus est, maximè*

*cùm Dei honor directè tangitur, ut hîc.*

### PUNCTUM III.

Provi-  
 dentia  
 Dei cir-  
 ca suos.

**T**Unc reliquit eum Diabolus, & ecce, Ange-  
 li venerunt, & ministrabant ei. Missi à  
 Patre æterno non unus, sed plures, ad hono-  
 randum filium, ex certamine victorem, & ad  
 mini-



*Christus tentatur à diabolo.* 253

ministrandum esurienti: Et ministrabant summa cum reverentia. Sic Deus consulit suis. Feram patienter defectum rerum, Deo fidens & in tentationibus ille sit præ oculis, sed nunquam me securum putabo à tentatione imposteri: dicitur enim Sathan, *ad tempus à Christo recessisse.* *Luc. 4. 13.*

## MEDITATIO VI.

*De vocatione Apostolorum.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**C**ur abjectos elegerit? 1. Quia ipsemet Christus venit pauper & humilis, voluit tales habere asseclas, & in hoc ipso exercere humilitatem? *Cum simplicibus sermocinatio ejus.* 2. Quia oportebat prædicatores Evangelij fundatos esse in humilitate, ne sibi gloriam Evangelij arrogarent; juvat autem ad humilitatem, meminisse, unde assumptus sis. 3. Ut illustrior fieret propagatio Evangelij, & agnosceretur esse opus Dei: quando per tales subderetur Christo mundus. Ex istis collige humilitatis studium, & quod Deus zelotes sit gloriæ suæ, ut ea non usurpetur ab hominibus.

### PUNCTUM II.

**Q**uales secundum mores vocaverit. 1. In quibusdam præcessit propinquior quædam dispositio, ut in Andrea, qui in scholis dam dispositio, ut in Andrea, qui in scholis

*perfectos  
Andream,  
Joan. &c.*



Joannis incoeperat institui, cujus discipulus erat. Et inerat ei desiderium majoris perfectionis. Nam, cum audisset præceptorem suum Joannem Baptistam de Christo dicentem: *Ece Agnus DEI*, continuò adhæsit Christo: inerat etiam zelus pro alijs, unde statim adduxit Petrum ad Jesum, dicens ei: *Invenimus Messiam.*

2.  
Rudes  
piscato-  
res, Pe-  
trum,  
&c.

2. In quibusdam remotior præcessit dispositio, sed apta, ut in duobus paribus fratrum, Petro & Andrea, Joanne & Jacobo: erant enim piscatores, duro ac humili labori assueti. Deinde inter se magnâ charitate conjuncti: qui mores apti sunt Evangelio, quòd requirit homines laboriosos, non desides, & colendæ charitati ac societati idoneos.

3.  
Peccato-  
res Mat-  
thæum,  
& Saulū.

3. In quibusdam contra suberat impedimentum, quòd peccatores essent, & mundo impliciti: ut Matthæus & Saulus Christi persecutor. In quibus & magis potentia vocantis commendatur, & misericordia, ut nemo desperet. Ex primo & secundo puncto collige, quales dispositiones debeas æmulari, ut fias aptum divinæ gloriæ instrumentum. Et adverte quòd illæ ipsæ sint dona Dei. Ex tertio ama bonitatem, quæ etiam imparatos, & immerentes vocat, ut te.

### PUNCTUM III.

I.  
Vocat  
sensum.

**V**arij vocationis modi. 1. Quosdam vocavit sensum, ut Petrum & Andream, quos primùm familiariter admisit ad colloquium privatum. Deinde paulatim auditores habuit &



& adhaerentes pro tempore. Denique ad perpetuam sequelam vocati sunt. Hinc commendatur profectus in bono, & quod Deus bene utentes minoribus donis promovet ad majora. 2. In vocando Christus imperio usus est, & quamvis irretitos vitijs, pravâ consuetudine & praesentibus illecebris, verbo ab omnibus expedit laqueis, & attraxit, ut Matthæum, dicens: *Sequere me.* 3. In ipso vocandi per imperium modo adhibuit discrimen: Cum nam Matthæum absolutè sequi iussit, filios promissæ autem Zebedæi quadam invitatione ad melius. *Venite post me, faciam vos fieri piscatores hominum.* Ubi etiam exprimitur Apostolicum officium, ut & ipsi Christum imitatione sequantur, & alios inducant. Circa primum potes recolere, quomodo te Deus sensim vocavit, & permovit, donec te illi devoveres. Ac in ipsa Societate adverti potest similis progressus: ubi probatio novitatus præcedit, tum post vota probatio altera, usque ad gradum, qui quidem affectandus non est, sed ad eum nos aptare ex vocatione tenemur. Circa secundum & tertium recole, quàm potenter, simulque quàm suaviter vocavit: Deus, auferens à te amorem sæculi, ac cælestium inspirans.

#### PUNCTUM IV.

**O**bedientia Apostolorum erga vocantem. 1. Obedientia. Captivatio iudicij, non æstimando, quæ obstabant, ut in Petro cura filiae, uxoris & familiaris; in Zebedæi senioris patris auxilium & solatium;



2.  
Volun-  
tatis.

3.  
Execu-  
tionis.

Dei est  
vocare.

1. Cor. 2.  
13.

Tres  
gradus  
obedi-  
entiae.

1.

2.

3.

solatium; in Matthæo perplexitas rei numma-  
riæ, & dispositio rei familiaris, & plura talia in  
quolibet. 2. Conformitas & subiectio volun-  
tatis, quæ sic repente omnem exuit affectum  
erga charos, & res possessas, ac penitus in vo-  
cantem transtulit. 3. Promptitudo exequen-  
di vocationem, nulla prorsus mora interjecta,  
absque repugnantia & cum alacritate magna.  
Circa hæc collige vocationem frustrari, si ista  
desint, præsertim subiectio intellectûs, ex qua  
pendent reliqua: nam, qui nimium volunt esse  
sapientes, facillè inveniunt nodum in scirpo, ut  
eludant. Vocatio enim ad perfectionem, divi-  
na magis, quàm humana nritur ratione, idem-  
que caveri debet in alijs inspirationibus divi-  
nis, de rebus præsertim sensui repugnantibus:  
nam *Carnalis homo non percipit, quæ sunt Spi-  
ritus Dei*. Age gratias, quòd tibi datum fue-  
rit simpliciter obedire, sed cave dolos: nam  
sunt, qui post plures annos in Religione, ob-  
tendere incipiunt, quòd rem olim non intel-  
lexerint. Utique sicut primi parentes post præ-  
varicationem: ita isti, postquam intepuerunt  
spiritu, facti sunt scientes bonum & malum.  
Recole etiam, quòd in omni obedientia præ-  
standa Superiori requiruntur illa tria. 1. Ut  
absque discussione probes tanquam melius. 2.  
Ut posthabito privato affectu, afficiaris erga  
iussa. 3. Ut promptè & alacriter exequaris.

PUN.



## PUNCTUM V.

**R** *Emuneratio sequela.* 1. Quòd eis Chri-  
 stus dignitatem Apostolatûs contulit, ac  
 legatos suos constituit. 2. Quòd eos adscivit  
 in familiaritatem intimam, & convictum suum,  
 faciens secretorum divinorum conscios & par-  
 ticipes, tanquam amicos. 3. Quòd eos præ  
 omnibus veteris novique Testamenti Sanctis,  
 & Spiritu sanctificante impleverit, & gratijs  
 gratis datis ornaverit, sapientiâ, virtute mira-  
 culorum, &c. 4. Quòd promisit fore, ut se-  
 cum iudices sederent in secundo adventu. Re-  
 cognosce hæc quatuor in statu Religioso, &  
 speciatim in tuo, ad quem te clementissimus  
 JESUS tali anno vocare dignatus est. 1. Qui-  
 dem: nam, quod ait S. Paulus: *Legatione*  
*fungimur pro Christo: Reconciliamini Deo.* Id  
 agit Societas nostra ex instituto. 2. Quia fa-  
 miliaritas cum Deo, & quasi convictus, illu-  
 strationesque internæ non alijs magis deben-  
 tur, quàm ijs, qui ut Deo adhæreant, mun-  
 dum reliquerunt. Et hujus rei præcipua cura  
 habetur in Societate: quod si tu minus es af-  
 secutus, tibi imputa. 3. Quia constat summos  
 quosque sanctitate & sapientiâ, insignesque  
 viros ex Religiosis fuisse; & habet Societas  
 nostra etiam suos. Nimirum status Religio-  
 sus fovetur singulariter à Deo, & habet auxi-  
 lia ad sanctitatem acquirendam particularia. 4.  
 Denique ad Religiosos etiam pertinet, ut qui  
 R mundum,

1.

Aposto-

latus.

2.

Fami-  
liaritas.

3.

Primitiæ  
Sancto-  
rum.

4.

Judices.

Eadem

præmia

Reli-  
giosorum.

2. Cor. 5.

20.



mundum, sicut Apostoli, pro Christo relinquerunt, mundum judicent.

## MEDITATIO VII.

*De generali vocatione hominum.*

**Q**uia Christus venit, ut dissolvat opera diaboli, præmittitur vocatio, qua ad se diabolus homines invitat; tum verò Christi,

### PUNCTUM PRIMUM.

Lucifer  
confusus

Laquei.

Præda.

**P**onatur ob oculos Lucifer Princeps hujus mundi in throno, quasi Rex, ignito & fumoso, teterimus ipse, & truci vultu, stipatus innumeris dæmonum legionibus, in perniciem mortalium, & regni Christi everfionem, conjuratis. Triplici rem aggrediuntur via, per concupiscentiam carnis, quæ est gula & luxuria; per concupiscentiam oculorum, quæ est cupiditas habendi, & per superbiam vitæ, quæ est appetitus excellentiæ. Agunt rem instantissimè, quasque leones rugientes circumeunt, quærentes, quem devorent: sed & subdolè se insinuant, uti serpentes: plurimos autem perdunt, & à Christi vexillo in suum pertrahunt. Dessebo super multitudine pereuntium, qui ita cæci sunt, ut cum alioqui nōrint stipendium suum fore æternum supplicium, nihilominus diabolo militent. Et heu, quòd ego ipse aliquando ex illis fui!

*Hoc*



Hoc punctum fusiùs explicatur post punctum  
tertium.

## PUNCTUM II.

CONTRÀ consideretur Christus in humili  
subsellio, totus amabilis & suavis circum-  
fusam circa se multitudinem hominum invi-  
tans. *Si quis vult venire post me, abneget se-  
metipsum, & tollat crucem suam, & sequatur  
me.* Quibus verbis contraria prorsus suadet ijs,  
quæ diabolus suggerit. Nam primò abnegatio  
sui est renuntiatio voluptatum carnis, abdica-  
tio divitiarum, ac contemptus excellentiæ.  
Deinde sublatio crucis est præparatio ad feren-  
da contraria, nempe ad corporis afflictiones,  
ad egestatis ærumnas, ad humilitatem & sub-  
jectionem, quæ opponuntur triplici concupis-  
centiæ à diabolo suggestæ, non solùm priva-  
tivè, quia inferunt contrariam passionem, pro  
voluptate dolorem, pro affluentia penuriam,  
pro exaltatione depressionem. Postremò, vult  
in abnegatione & crucis susceptione, ut ipsum  
imitemur; *& sequatur me*: planè protestans:  
quia, *qui non bajulat crucem suam, & venit post  
me, non potest meus esse discipulus*: Nempe in-  
tuitu assimilandi nos Christo, impelli debe-  
mus. Porro convenientissimum est, ut ita  
agam: nam, cum ex carne impellat ad pecca-  
tum, debet mortificari; cum divitiæ & hono-  
res sint laqueus animæ, & fomes peccati, fu-  
gienda sunt; cum præsens vita sine cruce non  
sit, præstat utilem subire; & cum Christus

1.  
Christus  
amabi-  
lis.

Mat. 16.  
24.

Luc. 9.  
23.

Suadet  
mortifi-  
cationē.

2.  
Crucem.

3.  
Sui imi-  
tationē.

Luc. 14.  
27.

R 2

mei



mei causâ è cælo veniens, seipsum abnegaverit per omnia, crucemque sustulerit suam, condecet me ipsi conformari.

## CAPUT III.

Ratio-  
nes

Christi.

1.

Luc. 9.

24.

2.

Mat. 16.

26.

Luc. 9.

23.

Sap. 5.8.

3.

Quibus rationibus Christus utatur ad persuadendum. 1. *Qui voluerit animam suam salvam facere, perdet eam, & qui perderit illam propter me, inveniet eam.* Iam si, qui vitam pro Christo exponit, tunc maximè eam lucratur, quia pro temporali recipit æternam; pariter, qui cætera, voluptates, opes, honores, mundique gloriam propter me spernit, recipiet eadem æterna. 2. *Quid prodest homini, si universum mundum lucretur, anima verò suæ detrimentum patiatur? aut quam dabit homo commutationem pro anima sua?* Interrogentur damnati, ipsi tibi dicent: *Quid nobis profuit superbia, aut divitiarum jactantia, quid contulit nobis? Transferunt illa omnia, tanquam umbra, & tanquam nuntius prateriens: tormenta autem in æternum manent.* 3. *Filius hominis venturus est in gloria Patris sui, cum Angelis suis, & tunc reddet unicuique secundum opera sua.* Qui crucem cum eo portaverit, cum ipso regnabit; qui vexillum Sathanæ secutus fuerit, cum eo plectetur.

Hæc cum ita sint, nec militare Christo simul & Sathanæ liceat, quia *nemo potest duobus dominis servire*, præsertim tam dissitis: utri serviam? utri servivisse juvabit, & quisque volet in tempore rationis reddendæ? Quamquam

nec



nec opus est ad illud tempus respicere, quando etiam nunc militia Sathanæ durissima est, Christi autem suavis: de illa queruntur ipsi-Servitus  
met sequaces: *Lassati sumus in via iniquitatis* diaboli.  
*& perditionis, & ambulavimus vias difficiles.* Sap 5.7.  
Ad hanc autem Christus invitans, ait: *Veni-*Mat. 11,  
*te ad me omnes, qui laboratis & onerati estis,* 28.  
*& ego reficiam vos. Tollite jugum meum super*  
*vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis*  
*corde, & invenietis requiem animabus vestris:*  
*jugum enim meum suave est, & onus meum*  
*leve.* Res mira! Crux Christi perfugium, &  
levamen est præ mundi servitute, quia indul-  
getur voluptatibus, inhiatur opibus & hono-  
ribus, ut qui sapiunt, huc tandem, tanquam *Jugum*  
ad asylum recipiant se, & tanquam ad portum *Christi.*  
à jactatione tutum: id autem faciunt mites  
& humiles corde; quia superbi non capiunt  
hanc sapientiam.

*Explicatur fusiùs punctum primum hu-*  
*jus meditationis, quod agit de*  
*vexillo Diaboli.*

N O T A I.

**C**irca primum punctum: in throno Luci-  
feri designatur principatus ejus super om-  
nes dæmones, qui partim est ei naturalis, ob *Quid*  
naturæ & potentiae præstantiam præ reliquis, *thronus*  
partim ex spontanea subjectione aliorum, qui, *Lucife-*  
quem semel apostasiæ ducem sequuti sunt, *ri?*  
dum



Quid  
sedes?

Ezech.  
1. 27.  
Ejus fi-  
gura.

Odium.

Ambitio  
Invidia.

Locus.

dum in peccato perseverant, etiam in illius obsequio manent. Quod ignea & fumosa sedes describitur, designat pœnas, quas secum circumfert. Ignis fumosus est, non splendens, sed obscurus, ac urens tantum. Nam alioquin thronus Dei apud Ezechielem instar ignis, sed splendidissimi apparuit. Horribilis est figura, caret forma, & figura ille corporea, sed cum aliquam assumit, fert terram ac fœdam, qualis ipse intus est, à prava & inordinata voluntate. Horribilis aspectu, spirans minarum & cædis in totum genus humanum. Ad id impellitur primum odio Dei, quem experitur vindicem, volens sic privare eum obsequio suæ creaturæ, despectumque ipsi facere. Deinde ambitione, ut sibi potius mortales serviant. Denique invidia, ne fruatur homo felicitate, à qua ipse excidit. In campo Babylonico representatur, loco infami à superbia, ex quo homines dispersi sunt in mundi plagas: quosigitur illic ambitione & superbia dementavit, etiam dispersos nunquam desinit ad malum incitare.

## N O T A II.

Eph. 6. 12

1. Pet. 5.  
8.

QUOD per Dæmones impugnemur: testatur Paulus: *Non est nobis colluctatio adversus carnem & sanguinem, sed adversus principatus & potestates, adversus mundi rectores tenebrarum harum, adversus spiritualia nequitia in celestibus*: Et Petrus, *Tanquam leo rugiens*



giens circuit quarens, quem devoret. Quibus Modi  
modis impugnent. Suggestione ad animum, impu-  
concitatione affectus medianre corpore, obje- gnandi.  
ctis occasionibus. Deinde impugnant, quâ  
apertè, quâ rectè. Non sinuntur tentare, quan-  
tùm volunt, & possunt, prohibente Deo:  
*Qui non patitur nos tentari supra id, quod ferre* 1. Cor. 10.  
*possumus.* 13.

Cur Deus tentari à Diabolo permittit, cùm  
alioqui ab intrinseco plus satis habeamus ten- Extrin-  
tationis in omni genere? Quia Deus finit a- secè ten-  
gere res creatas, & maximè liberas, & in ijs tationes  
dæmones: hi autem inimicitias immortales ge- neccessa-  
runt cum homine. 2. Quia à quo quis supera- rix.  
tur, ejus & servus est: homo autem victus est 2. Pet. 2.  
in paradiso, ut jure subiaceat infestationi victo- 19.  
ris. 3. Quia est materia meriti, & ostenditur Utiles.  
virtus gratiæ, & homo redditur humilior, &  
cautior, & etiam fortior ex victoria, & ad  
Deum docetur confugere. Quanquam sine  
hac impugnatione habeant etiam ista locum,  
ob hominis fragilitatem, & corruptionem.  
Omnis status obnoxius est infestationi. Justi  
eò minus, quòd sunt extra potestatem Diabo-  
li. Item Religiosi ratione statûs: quia sunt  
consecrati Deo. Tamen ob alios fines extra-  
ordinariè sinuntur tentari, ut Paulus, Job, To-  
bias, ne extollantur: ut discant compari, in ex-  
emplum virtutis.



## NOTA III.

**C**irca triplicem tentationem, non ponitur concupiscentia carnis: quia exercitia secundæ hebdomadæ ijs dantur, qui ex cœno emerferunt, & de statu cogitant eligendo. Insunt autem pericula statui, à divitijs, & honoribus, quæ æstimanda proponuntur. Concupiscentia autem carnis non est à statu, sed ab intrinseco, eaque fovetur in statu divitiarum, & potentiae, unde proinde dicuntur reliqua peccata provenire. Licet ergo certum sit à Diabolo etiam concupiscentiam exstimulari, sicque plurimos sibi subicere, an ei tamen resistendum sit, in deliberationem non venit, cum id omnibus necessarium sit; sed an status divitiarum & honorum tenendus, ex quo, inter alia, concupiscentia licentiæque carnis exardescit.

## MEDITATIO VIII.

*De resignatione ad sequendam vocationem.*

**H**Anc resignationem Christus præcipit illis *Luc. 14. 33.* verbis: *Omnis ex vobis, qui non renuntiat omnibus, quæ possidet, non potest meus esse discipulus: Quod intelligitur, primum in præparatione animi, quando opus sit pro salute animæ jacturam omnium facere. Deinde cum*  
Deus



Deus peculiariter aliquem vocat ad eam perfectionem. Sed sunt tres classes.

## PUNCTUM PRIMUM.

**Q**Uòd quidam vellent sequi vocationem, & renuntiare omnibus, sed media non admovent. *Vult, & non vult piger*: sic in quavis virtute amplectenda contingit, placet humilitas, patientia & reliquæ, sed humiliatio non placet, pati renuunt.

1.  
Nolunt  
media.  
Prov. 13.  
14.

## PUNCTUM II.

**Q**Uòd alij media rapiunt, sed pro suo iudicio & affectu, ut ægri, qui pharmaca non quævis admittunt. Resignant se in manus Dei, qui si inspiret, ut re abjiciant omnia, non tantum affectu renuunt, tristantur, ut ille adolescens, qui *tristis abiit*, quòd juberetur, *omnia vendere, si perfectus esse vellet*. Faciunt, ut *Naaman Syrus*, qui, cum juberetur *lavare in Jordane*, ut à lepra mundaretur, recusavit; quòd putasset tactu manûs se mundari ab Eliseo debuisse: scilicet præscribunt media Deo, non recipiunt oblata. Ita peccatur, cum in via spirituali dirigi volumus arbitratu nostro, non Patris consilio, præsertim, quando acrius adhibetur remedium.

2.  
Volunt  
placencia.  
Mat. 19.  
21.  
4. Reg. 5.  
10.

## PUNCTUM III.

**D**Enique alij se totos voluntati ac providentiæ relinquunt, nihil excipientes, memores

3.  
Indifferentes



ad om-  
nia.Isa. 48.  
17. 18.

Act. 9. 7.

Phil. 1.  
29.Gal. 6.  
14.

res illius : *Ego Dominus Deus tuus docens te  
utilia, gubernans te in via, quam ambulas.* His  
contingit, quod ibidem dicitur : *Facta sunt flu-  
men pax tua, & justitia tua sicut gurgites ma-  
ris.* Et hi ad portum feliciter perveniunt, quan-  
do ex præscripto Dei se duci sinunt, ut Sau-  
lus : *Domine, quid me vis facere?* Sed in hoc  
gradu subest aliquid excellentius, quando, etsi  
paratus est, & indifferens ad omnem Dei vo-  
luntatem, quoad se tamen, ob conformita-  
tem cum Christo, mallet pauper & contem-  
ptus Deo servire, ut qui dicebat : *Absit mihi  
gloriarì, nisi in cruce Domini nostri Jesu Chri-  
sti, propter quem mihi mundus crucifixus est,  
& ego mundo.*

*Circa hanc Meditationem 8.*

N O T A.

**H**Æc Meditatio in exercitijs dirigitur ad e-  
lectionem rectè faciendam de statu vitæ,  
& constituit hominem in illa indifferentia cir-  
ca res creatas, quæ in fundamento exercitio-  
rum, uti necessaria, ex ipsa ultimi finis recta  
intentione colligitur.

Porro hæc meditatio est præcedentis me-  
ditationis de duobus Vexillis quædam explica-  
tio, sive applicatio. In illa enim Christus hor-  
tatus est ad contemptum mundi, quam ad-  
hortationem non æquè omnes ad animum  
admittunt suum; sed alij aliis vel efficacius,  
vel remissiùs, unde tres constituuntur classes.

Verùm,



Verum, quia Religiosus ratione statûs jam se determinavit ad id, quod perfectum est, omnes illas classes censetur supergressus. Potest tamen in capeſſenda perfectione diverso modo se habere, juxta easdem classes. Nam quibusdam placet perfectio, sed remissè adhibent media. Alij adhibent, sed excipiunt aliquid, quo non sibi putant contendendum, contenti mediocribus. Alij denique nihil excipiunt, nullaque remedia recusant opportuna.

Diversitas ten-  
dentium  
ad perfe-  
ctionē.

Considera, ut te habeas, & applica prædicta ad particulares virtutes, puta humilitatem, patientiam, resignationem, & alias, in singulis examinans, quo in gradu consistas, an in velleitate tantum; an si seriò vis, cum exceptione velis; an absolutè contendas, & inquire de causis te retardantibus, modisque excitandi. Possunt autem propriæ de singulis virtutibus meditationes institui, saltem de præcipuis, magisque necessarijs.

Examen.

## MEDITATIO IX.

*De Nuptijs in Cana. Joan. 2.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**B**enignus Dominus non abnuit interesse convivio nuptiali, ut capter occasionem beneficiendi, & discipulos suos confirmandi. Discamus etiam ex illo modestiam, & gravitatem inter gaudia, juxta illud: *Justi epulentur* 1. Christi charitas. ps. 67. 4.

tur



*tur & exultent in conspectu Dei, ut qui Deum præsentem considerant.*

2. Deinde Mater pientissima, nequaquam rogata, ultro est sollicita pro reddenda gratia invitantibus, quanto magis pro sibi devotis? de qua Augustinus: *quo ceteris Sanctis est melior, eò est de nostris commodis, eisdem sollicitior.* Fidenter orat pro illis: *Fili! vinum non habent.*
3. Satis putat insinuare necessitatem ei, qui pius est, & potest. O pro me sic ora: verum enim est, quòd vinum non habeam, videlicet charitatis & devotionis. Ac si ita te tangit corporalis necessitas, tangat potius mea spiritualis inopia. Discam ita orare, & Christo meas spirituales necessitates indicare.

## PUNCTUM II.

1. Christi responsum ad speciem durius: *Quid mihi & tibi est, mulier? nondum venit hora mea.* 1. Sic voluit significare, se plusquam hominem esse, & sicut opus petatum Dei erat, ita tempus patrandi designare; nec carni & sanguini quidpiam esse dandum. Unde discamus, non esse præscribendum Deo tempus subveniendi. Quare Judith: reprehendit eos, qui definiebant tempus tradendæ civitatis, nisi interim Deus opitularetur. O Domine, fac secundum consilium tuum! 2. Ut doceret nos affectum carnis deponere: unde nunquam affectuoso Matris nomine compellavit B. Virginem, sed mulieris, etiam in cruce. *Mulier! ecce filius tuus.* Quin, cum nunciaretur ei, quæri
- Deo nihil præscribendum. *Judith. 7. 21.*
- Affectus carnis exue. *Ioan. 29. 26.*



quæri se à Matre, respondit. *Quæ est Mater* Mat. 12.

*mea, & qui sunt fratres mei?* quasi nec ipsa no- 49.

mina carnalis cognationis & affectus usurpan-  
dasint. Unde illud: *Qui dixerit patri suo & Deut. 33.*

*matri suæ? nescio vos, & fratribus suis, ignoro* 9.

*illos, & nescierunt filios suos, hi custodiunt elo-  
quium tuum, & pactum tuum servaverunt.* 3.

Ut occasio daretur B. Virgini exercendi exi-  
mias virtutes patientiæ, & humilitatis; nihil 3.  
Deus  
probat  
suos.

enim est turbata, aut quæsta, cum confundi  
videretur: quin nec fiduciam deposuit; sed

quasi impetrasset, mox locuta est ministris. Sic  
non dejiciat, cum non exaudior, ac differor.

*In silentio & in spe erit fortitudo vestra.*

Isa. 30.

15.

## PUNCTUM III.

**D**icit Mater ejus ministris: quodcumque di- B. Vir-  
xerit vobis, facite. Multa hîc eximia. 1. ginis,

Fiducia non plus dicere potuisset, si Filius re- Fiducia.

spondisset, se facturum. 2. Lumen cæleste, 1.

quo intellexit, non absque cooperatione illo- 2.  
Lumen.

rum præstandum esse à Filio beneficium, qui

alioqui poterat id facere sine ministrorum o-  
pera. 3. Docet nos fiduciam obtinendi desi- 3.

derata, in obedientia divinorum præceptorum Obe-  
dientia.

fundari oportere. Nam Deus voluntatem ti- Ps. 144.

mentium se faciet. Et: si cor nostrum non re- 9.

prehenderit nos, fiduciam habemus ad Deum. 1. Ioan.

Et: Si verba mea in vobis manserint, quodcum- 3. 21.

que volueritis, petetis, & fiet vobis. 4. Quam Ioan. 15.

pauca & matura verba MARIE, sive ad Filiû, 7.

sive ad ministros. Et condam in corde meo ista. 4.  
Loquedi  
modus.

Quod-

modus.



*Quodcumque dixerit vobis; facite; sive per se,  
sive per Superiores.*

# PUNCTUM IV.

1. **E**Xecutio miraculi. 1. Laudanda ministro-  
rum obedientia, implendo hydrias aqua,  
quod non ad rem videbatur facere. Nempe  
tutum est, Dei Vicarijs obtemperare, non in-  
quirendo causas, quia sic Eva decepta est. Et  
solet Deus aliquid in speciem repugnans injun-  
gere, ad iudicii proprii submissionem, & eo  
humiliter praestito, hominem consolatione,  
donisque afficere. 2. Potentia Christi, qui so-  
la voluntate absque conatu aquam mutavit in  
vinum. O, gaudeam de tam potenti Salvatore!  
ô, ille mutet cor meum in melius, ex frigido in  
fervens! En me offero, quia & opus est coo-  
perari. *Qui fecit te sine te, non salvabit te sine*  
te. 3. Effusa liberalitas Salvatoris, tantum vi-  
ni optimi pro haustulo accepto reddit, sed nec  
haustus aquae frigidae carebit mercede, & re-  
linquentibus sua propter ipsum, reddit centu-  
plum. In spiritualibus nuptijs introducens ani-  
mam in cellam vinariam, totidem hydrias pro-  
pinat praecipuarum virtutum. 1. Charitatis in  
Deum. 2. Misericordiae in proximos. 3. Ze-  
li, pro Dei gloria & proximorum salute. 4.  
Devotionis & promptitudinis ad ea, quae sunt  
Dei. 5. Gratitude pro acceptis, cum laude  
& gratijs. 6. Denique obedientiae ad omnia,  
juxta Dei beneplacitum.

PUN.



## PUNCTUM V.

**A**ffectus varij, qui intervenerunt in hoc facto. 1. In Virgine gaudium, quod spe sua non excidisset; & sic in fiducia est valde confirmata, gratiasque egit toto corde. Ob-

serva vim orationis **MARIÆ**, quæ impetravit, ut, cum hora nondum venisset, ea tamen acceleraretur, initiumque Christus daret miraculis. Item illud, quod Christus, post carnis assumptionem, tum primum miraculum, tum primam sanctificationem perfecit, interveniente **MARIA**. Unde & ad illius vocem Joannes in utro sanctificatus est, & exultavit. Videlicet significabatur, per illam nobis à Christo tum spiritualia, tum corporalia bona derivanda esse. O Domina! monstra te esse Matrem, & accelera mihi remedium cunctarum miseriarum. 2. In Apostolis fides confirmata.

*Et crediderunt in eum discipuli ejus*, magis nimirum roborati, & gaudentes de Magistri sui potentia, sub quo nihil eis defuturum esset.

Et consulto Christus in re tali potentiam ostendit, ut inde sensim ad altiora disponderet expetenda, & speranda. 3. Admiratio Architrilini, qui etiam redarguit sponsum, quod bonum vinum servasset in finem, quasi prius illud præ hoc non valuisset quidpiam: Nec Deus, uti homines, prius bonum vinum ponit. 1.

Quia vult, ut experiamur ipsi indigentiam nostram, *Adjutor in opportunitatibus*. 2. Quia consolatio spiritualis non datur, nisi carnali spre-

ta,

1.  
B. Vir-  
ginis  
Gaudiū.

2.  
Aposto-  
lorum fi-  
des fir-  
mata.

3.  
Archi-  
trilini  
gaudiū.

Ps. 9. 10.



ta, & deficiente. Ut non pluit manna, nisi farina Ægyptiaca jam consumpta. Non commiscantur vina hæc, ut ait Bernardus, cæleste solatium & terrenum.

## MEDITATIO X.

*De ejectis è templo negotiatoribus.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Christi  
zelus.

*ps. 68.*  
*10.*

*Gant. 8.*  
*6.*

*Prov. 3.*  
*12.*

*Heb. 12.*

**Z**elus Christi pro Patris gloria, & templi honore: est autem Zelus studium ardens amolendi quicquid officit bono rei amatae. Christus autem, ut amabat summè Patrem, & Ecclesiam sponsam, ita zelum habet pro ijs ardentissimum, de quo in Psalmo. *Zelus domus tue comedit me*: nam pro zelo suo tradidit se morti consumendum. Et quicquid cogitabat vel agebat, zelus erat, & in zelum totus erat conversus, uti ignis convertit in se, quæ arripit. Hinc tam fortis, & intrepidus factus ad ejiciendos prophanatores templi, ut non fuerit veritus illorum vim, quia *fortis est, ut mors dilectio, dura, sicut infernus, amulatio*: flagellum facit quasi in filios: nam, *quem diligit* *Deus, corripit*. Quo autem zelo flagellum arripuit, eodem se pro nobis flagellandum dedit. O zelo induat in carnem meam ad castigandam, & pro alienis quoque culpis impediendis. Optem, ne auferatur ejus zelus à me, sed castiget in misericordia me peccantem.

PUN-



## PUNCTUM II.

**I**udæi petunt à Christo signum, ad comprobandam potestatem istud audiendi. Pro signo ait. *Solvite templum hoc, & in tribus diebus excitabo illud.* Duplex signum dat. 1. Quod permittet solvi templum corporis sui. *In quo habitabat plenitudo divinitatis corporaliter*, per dirissimos cruciatus. 2. Quod propria virtute illud excitabit gloriosus. Tale etiam dedit in Iona, qui in mare dejectus, in ventre ceti delituit triduum, qui est typus mortis, tum reditus est incolumis, qui est resurrectionis. Clare ostendit, suo permisso futurum ut occidatur, idque verè prodigii loco est, ut cuius anima erat gloriosa, corpus morti subjiceretur. Magnum hoc extitit signum, & charitatis in nos, ut ædificaremur ipsi in templum sanctum Dei; & potentiæ quod moriendo nos vivificavit. Per hæc signa factum ut omnia ad se traheret exaltatus in crucem, nec jam funiculis ad flagellum faciendum uteretur, sed ad vinculum nectendum charitatis, quo nos traheret *in funiculis Adæ.*

Ioan. 2.

19.

1.

Passio.

Coloss. 2.

9. 2.

Resur-  
rectio.Chari-  
tas.

Os. 11. 4.

Oratio.

Domine! anima mea templum est, illud ego destruo peccando, tu reædifica tribus diebus, in primo gratia tua vivificando, in secundo perseverantiam usque ad finem largiendo, in tertio ad vitam resuscitando.

## PUNCTUM III.

**Q**uod iterum ante passionem eiecit negotiatores; sed hac vice non adhibuit flagellum, ut in prima, in qua est significata lex vetus,

tus,



*Matt. 21* tus, quæ est timoris. In secunda autem lex gra-  
*12.* tiæ, quæ est amoris. In prima dixit. *Nolite facere domum Patris mei, domum negotiationis;* in se-  
*Luc. 19.* cunda autem. *Vos fecistis illam speluncam latro-*  
*45.* num, est domus negotiandi, sed cum Deo; spe-  
*Marc. 11.* luncam latronum, quod in negotiando plerum-  
*16.* que fraudes fiant. In prima *ejecit negotiantes pe-*  
*Anima* *cora, & subvertit mensas,* in secunda non sinebat,  
*est Ora-* ut vel quispiam transferret vas per templum.  
*torium.*  
*Mat 6 6* Anima mea debet ipsa orationis esse domus,  
*1. Tim.* quam ingrediens, *Orabo Patrem in abscondito,*  
*2. 8.* & qui vidit in abscondito, reddet mihi. Hoc ora-  
 torium nobiscum ferimus. *Volo viros orare in*  
*omni loco, levantes puras manus, sine ira & disce-*  
*ptatione.*

*Sit mun-* Absit ab hac domo negotiatio prophana, &  
*da.* tumultus passionum, nec non cupiditas & avari-  
 ritia. Universè sit munda à culpis, quieta à per-  
 turbationibus, ornata virtutum exercitationi-  
 bus. Quis oret in Ecclesia quæ sordet, & tumultus  
 est plena? Domine sume zelum, & ejice ex  
 me, quidquid officit domui tuæ, templo tuo.

## MEDITATIO XI.

*De sermone Domini in monte habito.*

*De octo Beatitudinibus, pars prior.*

### PUNCTUM PRIMUM.

*1.* **T**Riplex Christi munus in hoc sermone. Mu-  
*Christus* nus est Doctoris, in quo sunt omnes thesau-  
*Col. 2. 3.*



vi, sapientia & scientia Dei, qui non docet curiosa, & inutilia, sed scientiam salutis. Legislatoris, qui legem veterem declarat adversus depravationes Pharisaicas, & adjicit, quod minus erat in illa expressum. Consiliarii, qui suadet optima, & perfecta, super debitum legis. 2. Hoc triplex munus exercet excellenter, quia non exterius tantum docet, sed intus etiam illuminat: non præcipit tantum, sed movet ad implendum, quod melius est. 3. Non olim tantum, sed etiam nunc eadem præstat, non quoad exterius ministerium, sed quoad internam illuminationem, motionem, & inspirationem. Domine esto mihi Doctor! *Declaratio sermonum tuorum illuminat & intellectum dat parvulis.* Esto legislator, da quod jubes, & jube, quod vis, esto consiliarius. *Trahe me post te, curremus in odorem unguentorum tuorum.*

2.  
Doctr.,  
illumi-  
nat, mo-  
ver.  
3.

Ps. 18.  
30.

## PUNCTUM. II.

*De ipsis Beatitudinibus generatim.*

Quod hæ virtutes sunt veteres & novæ, veteres quidem, quia semper ita res habuit, ut tales essent beati, alii contra miseri; novæ autem, quia latebant, & parum erant exercitæ, donec eas Christus verbo & exemplo commendavit. Deinde sunt carni amaræ, Spiritui autem salutares, instar myrrhæ, quæ cum sit amara, servat à corruptione, ut hic conveniat illud Christo, *Labia tua distillantia myrrham primam*

1.  
Acerbæ.

Cant. 5.  
13.

2. Quod Christus ab his tebus vocarit homines

2.

S 1

bea-



Mundo  
contra-  
riar.  
3.  
Octo  
gradus  
in cœ-  
lum.

beatos, contra mundi sensum qui felicitatem  
contrariis ponit, in his verò miseriam. 3. Quo-  
sint, quasi totidem gradus conscendendi ad per-  
fectionem, & in ipsum cœlum. Circa singu-  
las autem considerari debent ista. *Primò*, ip-  
si actus virtutis. *Secundò*, Exemplum Christi.  
*Tertiò*, præmium promissum. *Quartò*, pœna  
ex contrario.

### PUNCTUM III.

*Beati pauperes spiritu, quoniam &c..*

1.  
Pauper-  
tatis a-  
ctus 5.

1.  
2.  
3.

4.

*Ps.* 72.  
25.

5.

II.  
Christus  
exercuit  
hos a-  
ctus.

**A**ctus hujus paupertatis numerantur quin-  
que. 1. Pauper spiritu est, qui affectu par-  
tus est omnia potius perdere, quàm Deum of-  
fendere. 2. Qui Spiritu divino impulsus, reliquit  
omnia, ut Christum sequatur vocantem. 3. Qui  
spiritu non est inflatus, non alta sapit, de se su-  
isque talentis præsumens; nec æstimationis de-  
pud homines, laudis gratiæ honorisque est ap-  
petens, sed contemptor. 4. Qui non his tan-  
tùm externis seipsum exuit, sed internis quo-  
dammodo naturæ facultatibus, judicio & volun-  
tate, suum judicium facillè submittens, ac facillè  
aliis cedens, nullis etiam affectibus ac desideriis  
distentus, ut verè dicat; *Quid mihi est in cœlo, &c.*  
*à te quid volui super terram?* 5. Qui intimè agno-  
scit, quidquid tandem habet naturæ aut gratiæ,  
dona esse Dei, nec ex seipso habere aliud, quàm  
nihilum naturæ, id est, non esse, & nihilum  
gratiæ, quod est peccatum. II. Exemplum  
Christi, quoad primum actum. Quam Christus  
abfuit



abfuit ab hoc affectu, qui sic studuit cupiditatem evellere è cordibus nostris! Quoad 2. re-  
 ipsa amplexus est paupertatem, ut ex tota ejus vi-  
 ta apparet. Quoad 3. non tumuit spiritu, qui  
 non suam, sed Patris gloriam quærebat, & qui  
 dicebat. *Si ego quero gloriam meam, gloria mea*  
*nihil est, &c. Discite à me, quia humilis sum.* Quo-  
 ad 4. propria se voluntate exuerat, qui dicebat.  
*Non ut faciam voluntatem meam sed Patris; Et*  
*Non mea voluntas, sed tua fiat. Et, Mens cibus*  
*est, ut faciam voluntatem Patris.* Quoad 5. pro-  
 fitebatur, nihil se posse facere à semetipso, nisi  
 quod vidisset Patrem facientem: Et, *Mea do-*  
*ctrina non est mea, & Cur me dicis bonum? nemo*  
*bonus, nisi solus Deus, Ille solus ex proprio bo-*  
*nus, cæteri ex alieno: ex se autem nihil.* III. Præ-  
 mium. *Quoniam ipsorum est regnum cælorum.* Beatitudo  
 cœlestis est summum, & omne bo-  
 num, ideo per varia bona, quæ apud mortales  
 præcipua habentur, declaratur, inter quæ est ip-  
 sum regnare. Et quadrat peculiariter paupe-  
 ribus Christi, ut intelligatur, quanto cum fœ-  
 nore Deus refundat quod propter ipsum reli-  
 ctum est: *Elevans de terra inopem, ut colloquet*  
*eum cum principibus populi sui.* Deinde etiam  
 in hac vita pauper spiritu fruitur hoc regno per  
 spem, & prægustationem illius boni, qua semet  
 solatur, & confortat. Præterea, quia recte Pau-  
 lo. *Regnum Dei est iustitia, & pax, & gaudi-*  
*um in Spiritu Sancto, quæ pauper spiritu etiam*  
 nunc percipit. 4. Pœna ex contrario: *Va vobis*

1.

2.

3.

10. 8. 54.

Matt 11

29.

4.

10. 6. 38.

Luc. 22.

42.

10. 4. 34.

10. 5. 19.

10. 7. 16.

Luc. 18.

19.

III.

Paupe-

rum be-

atitudo,

ps. 122.

8.

Spescer-

ta cœli.

Rom. 14

17.

4.

divi-



*Pena.* *Luc. 6.* *24.* *divitibus, qui nunc habetis consolationem vestram, quia non extenditur ultra momentum vite presentis. Deinde his memoria mortis amara est; quippe cor habentibus in terra, ubi est thesaurus illorum, non in cœlo, quo vix adspirant. Denique consolatio illorum multis acerbitatibus mixta est, quippe non in Spiritu Sancto.*

*Beati mites, quoniam ipsi possidebunt terram.*

### PUNCTUM IV.

*1.* *Actus* *mansuetudinis* *tres.* *1.* *2.* *3.* *1.* *2.* *Christus* *mansuetus.* *Is. e. 41.* *Mat. 11.* *29.* *3.*

*1.* **A**ctus sunt tres. *Primus* frænat iram, & appetitum vindictæ, & cum zelus sumentus est, facit absque conturbatione interna & externa. *Secundus* alloquio & moribus se exhibet suavem, nec ulla re, aut verbo gravem & molestum. *Tertius* adeo non quærit vindictam de accepto malo, ut nec pro justa sui defensione ad repellendum nocere velit, quando etiam liceat, & valeat, paratus potius alteram maxillam præbere. *2.* *Exemplum Christi:* Nam de illo *Isaias:* *Non erit tristis, neque turbulentus, non clamabit, neque audietur vox ejus foris; calamus quassatus non conteret, & lirus fumigans non extinguet.* Et *S. Petrus:* *Cum malediceretur non maledicebat; cum pateretur non cominabatur: tradebat autem judicanti se injustè.* Et ipse de se: *Discite à me, quia mitis sum & humilis corde.* *3.* *Premium, quoniam ipsi possidebunt terram, terram cordis sui, quippe affectibus suis dominantes. Item corda aliorum: nam, qui opera sua in*

*man-*



mansuetudine perficiunt, super hominum gloriam possi-  
 diligentur. Denique terram viventium heredi- dent a-  
 tabunt. Ita describitur beatitudo tanquam bo- nimas.  
 num stabile. Terra enim in aeternum stat, quasi Eccl. 3.  
 dicat: Licet mansueti per injuriam spolientur 19.  
 præteritis bonis, manet illos inamissibilis pos- ps. 38.  
 sessio in cœlis, cujus intuitu nihil morantur Eccl. 1.4  
 præsentia damna, vel injurias: sed immoti &  
 æquabiles, tanquam cœlo fixi perseverant 4.  
 è contrario immites sunt imprimis impoten- 4.  
 tes sui, ac suarum passionum servi. Deinde in- Immi-  
 grati & exosi aliis. Demum, quia ad terram il- tium  
 lam non applicuerunt cor suum, fluctibus turba- damna.  
 tionum jactantur, cum nunquam desint adver-  
 santia.

*Beati qui lugent, quoniam ipsi consolabuntur.*

## PUNCTUM V.

1. **E**st triplex luctus. 1. Compunctionis ob 1.  
 offensum à me Numen, & propensionem Aetus  
 ad peccandum: *Infelix ego homo! quis me li- beatiflo-*  
*berabit de corpore mortis hujus?* 2. Compassio- tus tres.  
 nis super multitudine peccatorum, & pereunti- Rom. 7.  
 um. 3. Devotionis, ob absentiam Dei, ejusque 24.  
 desiderium. Porro luctus consistit non in mœ-  
 rore solum animi, sed in recusatione delectabili-  
 um, juxta illud. *Risum reputavi errorem, &* Eccl. 2.2  
*gaudio dixi, quid frustra deciperis?* hoc præ-  
 stant ex instituto Religiosi, abdicantes se mun-  
 di solatiis, nisi ea, obliti vocationis suæ, aliquan-  
 do resumant. 2. Exemplum Christi, nunquam 2.  
 risit,



Christi risit, flevit sæpius, & usque ad sanguinis sudorem  
 fletus. luxit, & nihil minùs, quàm oblectamenta qua-  
 3. sivit. 3. Præmium *quoniam ipsi consolabuntur*,  
 Præmi- Beatitudo est quoddam solatium, quod fundi-  
 um sola- tus omnes luctus causas tollit. Ibi extra o-  
 tium. mnem peccati aleam erimus, ibi desideratum,  
 ac summum bonum plenè, & inamissibiliter  
 possidebitur, & post universale iudicium, pec-  
 cari regnum penitus delebitur, illius membris  
 æterno igni addictis, super quo Beati Deum  
 laudabunt, & gaudebunt de iusta vindicta, non  
 4. amplius compatientes. 4. Pœna gaudentium  
 Pœna nunc. *Va vobis, qui ridetis nunc, quia lugebitis*  
 risus. *& flebitis. Risus dolore miscebitur, & extrema*  
 Luc. 6. *gaudii luctus occupabit: Ibi erit fletus & stridor*  
 25. *dentiura. Quantum glorificavit se, & in deli-*  
 Pro 14. *ciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum,*  
 13. *quia in corde suo dixit, sedeo Regina, & luctum*  
 Apoc. 18. *non videbo.*  
 7.

*Beati qui esuriunt & sitiunt iustitiam, quo-  
 niam ipsi saturabuntur.*

## PUNCTUM VI.

1. **I**ustitiæ nomine intelligitur, tum habitualis  
 1. qua sanctificamur; tum actualis, quæ con-  
 Actus stat operibus omnium virtutum, & denique ip-  
 justitiæ sa salus animæ nostræ, & inchoata nunc, & in  
 famis. cælo perficienda. Actus sunt, 1. magno affectu  
 1. cupere omne debitum implere virtutis. 2. Am-  
 2. plius adspirare ad id quod perfectum est in omni  
 3. iustitia & sanctitate. 3. Esurire & sitire Christum  
 ipsum,



ipsum, qui est nostra justitia, optando & ei uni-  
 ri, tum corporaliter in Sacramento, tum spiri-  
 tualiter, per fidem vivam, & intimum gustum  
 divinarum consolationum. 4. Anhelare ad per-  
 fectam justitiam patriæ, ubi, viso Deo, anima  
 plenè transformatur in similitudinem illius, 2. II.  
 Exemplum Christi, cui cibis erat facere volun-  
 tatem Patris & mori pro illius gloria, & salute  
 nostra. *Baptismo habeo baptizari, & quomodo*  
*coarctor?* Et in cruce, *Sitio* 3. Præmium, quo-  
 niam ipsi saturabuntur, tum in hac vita meritis  
 & justitia aucti, divinisque consolationibus assi-  
 duè affecti: tum in vita, altera, ubi plenè satu-  
 rati, cùm apparuerit gloria Dei. 4. Oppositum,  
*Va vobis! qui saturati estis, quia esurietis.* Satu-  
 rati à cibo & potu, oblectamentis vitæ præsen-  
 tis; & qui nunc expletis cupiditates vestras,  
 quia esurietis, ut ille, qui petebat guttam aquæ,  
 & negabatur ei, justo nimirum judicio, *& divi-  
 tes dimisit inanes.*

4.

II.

Fames  
& sitis  
Christi.  
Luc. 12.

15.

III.

Præmi-  
um.

IV.

Pœna.  
Luc. 6.

26.

Luc. 1,

53.

*Beati misericordes, quoniam ipsi misericor-  
 diam consequentur.*

## PUNCTUM VII.

I.

Miseri-  
cordiæ

1. **A**ctus sunt ipsa misericordiæ opera, tum  
 corporalia, tum spiritualia, circa quæ ob-  
 servandum. 1. Ut nemo excludatur, neque ini-  
 micus. 2. Ut in omni occasione exhibeatur, pro  
 facultate; & cum quis per se nequit, per alios,

opera  
Circum-  
stantiæ,

1.

2.

S 3

&amp; à



3. & à Deo saltem petat misero auxilium. 3. U dem  
 II. ex affectu interno commiserationis succurrat. plur  
 2. II. Exemplum Christi, *Qui pertransiit benefa-* mic  
 Christus *ciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.* Et sugg  
 Act. 10. dicebat: *Discite, quid est, misericordiam volo &* mè  
 38. *non sacrificium.* Et hortabatur. *Estate miseri-* ris  
 Mat. 9. *cordes Habemus Pontificem, qui possit compati in-* lun  
 13. *firmatibus nostris, tentatum per omnia.* un  
 Luc. 6. III. Præmium. *Quoniam ipsi misericordiam* sen  
 36. *consequentur, tum in hac vita, tam in corpore,* aff  
 Heb. 4. *quàm anima; tum in altera perfectè, quoad* Q  
 15. *Præmiū. utrumque. Et quidem, quā mensurā mensi fueri-* vil  
 Luc. 6. *tis, remetietur vobis.* Beatitudo cœlestis est ne  
 38. *summa, & omnis misericordia.* lis  
 IV. IV. Oppositum. *Nāne oportuit misereri con-* da  
 Pœna. *servi tui? sicut ego tui misertus sum? mittite eum* ib  
 Matt. 18. *in tenebras exteriores. Iudicium sine misericordia,*  
 33. *&c. illi qui non fecit misericordiam.* Ex operibus  
 2. 13. *misericordiæ judicabitur mundus, sive omissis,*  
 Jac. 2. 13 *sive exhibitis.*

*Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum  
videbunt.*

## PUNCTUM VIII.

- I. I. **M**undities hæc est charitas perfecta, cui  
 Puritas. *Minfint illa tria ex Paulo. De corde puro*  
 cordis. *experte peccati mortalis & venialis, saltem quo-*  
 I. Tim. *ad affectum & habitationem. Et Conscientia*  
 1. 5. *bona. Sanctis cogitationibus & affectibus plena*  
*absterfis contrariis. Et fide non ficta, ut qui ser-*  
*vit Deo non simulatè, aut videri volens, & ea-*  
 dem



dem sinceritate erga homines utitur. 2. Exem-  
 plum Christi, qui nec peccare potuit, nec ab ini-  
 micis argui de peccato: in quem Sathan nec per  
 suggestionem aliquid potuit: qui fictos maxi-  
 mè odivit. *Vae vobis, qui mundatis, quod defo-*  
*ris est.* Denique est *candor lucis aeternæ specu-*  
*lum sine macula & imago bonitatis.* 3. Præmi-  
 um, quoniam ipsi Deum videbunt. Hæc est es-  
 sentialis Beatitudo. In præcedentibus ex aliquo  
 affectu iudicabitur hic ex ipsa essentiali ratione.  
*Quis ascendet in montem Domini? innocens ma-*  
*nibus & mundo corde.* 4. Oppositum: *Foris ca-*  
*nes & venefici, & impudici, & homicida, & ido-*  
*lis servientes, & omnis, qui amat & facit men-*  
*dacium:* nihil enim coinquinatum illuc intro-  
 ibit.

*Beati pacifici: quoniam filii Dei voca-*  
*buntur.*

## PUNCTUM IX.

1. **P**acificus est fovens pacem. 1. In seipso, ut  
 caro spiritui, passionibus rationi, hæc Deo  
 consentiat & subiaceat. 2. Erga alios, juxta A-  
 postolum. *Quod ex vobis est, cum omnibus pa-*  
*cem habentes.* 3. Inter alios, ut inter se pacem  
 servant. 4. Ut cum Deo reconcilientur ope-  
 rando. *Hæc est pax, quæ exsuperat omnem sen-*  
*sum.* 2. Exemplum Christi, qui è cælo venit, ut  
 hanc pacem nobis daret, ideòque vocatur Rex  
 pacificus. Hanc solitus precari suis, hanc ius-  
 sit,

2.

Christus

Matt 25

25.

Sap. 7.

26

3.

Præmiū.

Ps 123.

3.

4.

Apoc. 22

15.

1.

Actus

A-pacifico-

rum quas

tuor.

Rom. 12.

18.

Phil 4, 7



fit, ut precarentur quocunque irent. Denique per sanguinem suum pacificavit omnia : *sive quæ in terris, sive quæ in calis sunt.* 3. Præmium: *quoniam filii Dei vocabuntur.* Specialiter tunc habebuntur filii, & peculiariter pro talibus tractabuntur, & tandem copiosam hæreditatem, ut singulariter dilecti filii consequentur.

*Beati, qui persecutionem patiuntur propter justitiam : quoniam ipsorum est regnum cælorum.*

## PUNCTUM X.

1. **C**onsidera quatuor. 1. Quæ sit persecutio: *omne genus incommodi.* 2. A quo infertur: à diabolo, odio virtutis, & ab hominibus ejus administris, nec ab alienis tantum, sed à domesticis, & fratribus. 3. Non ob culpam sed propter virtutem. *Nemo vestrum patiat, ut homicidia, aut fur, aut maledicus : si autem ut Christianus, non erubescat, sed glorificet Deum in isto nomine.* 4. Modus ferendi patienter & gaudenter, *quia dignus habitus ei pro nomine Dei contumeliam pati.* 2. Exemplum Christi eximium secundum illa quatuor. 3. Præmium *Quoniam ipsorum est Regnum Cælorum : Et Gaudete & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cælo.* Indicatur præ aliis copiosius remunerandos, & spe tantæ remunerationis merito gaudendum in malis, quia tantum afferunt bonum. 4. Oppositum: *Væ! cum benedixerint vobis homines.*

ME-



## MEDITATIO XII.

De triplici munere Apostolico, purgandi,  
illuminandi, & perficiendi.

Secunda pars Sermonis.

## PUNCTUM PRIMUM.

**D**E munere purgandi. 1. *Vos estis sal terræ.* 1.  
Sed valet contra corruptionem, & cibos SAL.  
salubres, sapidosque facit. Sal ergo est terræ, qui *Mat. 5.*  
homines à peccatis vindicat & purgat, eisque <sup>13.</sup>  
studium pœnitentiæ, ac virtutis reddit suave, ac *Cibos*  
per hoc ipso met homines palato Dei sapidos, *condit.*  
gratosque facit. Istud præstare nequit, nisi sa-  
pientia & gratia à Deo acceptæ, per quas ipse  
fiat sal: Debet autem priusquam alios purget &  
condiat, talem seipsum reddere, quales vult a-  
lios facere. 2. Exemplum Christi, qui ut pur- <sup>2.</sup>  
gationem peccatorum faceret, oblatusest, & per *Christus*  
tempus prædicationis tam instanter incubuit, ut *Sal.*  
à peccatis homines abduceret. 3. Pœna neglecti  
muneris. *Quod si sal evanuerit, in quo salietur?* <sup>3.</sup>  
*ad nihilum valet ultra, nisi ut mittatur foras, &* *Pœna.*  
*conculcetur ab hominibus.* Potest dupliciter  
intelligi, vel si ipse in se evanuerit, ut non sit ta-  
lis, quales vult alios facere, vel si omiserit se  
exhibere sal aliis, licet alioqui se non neglexe-  
rit: necessitas enim incumbit saliendi viro A-  
postolico.

PUN-



## PUNCTUM II.

LVX.

1.

Dan. 12.

3.

Eph. 5.8.

Ioan. 9.

1.

Baruch.

3. v. 2.

34. &amp;

35.

2.

3.

Matth.

5. 16.

1.  
Civitas.

**D**E munere illuminandi. 1. *Vos estis lux mundi*, est officium planè divinum: nam, qui *docti fuerint, fulgebunt quasi splendor firmamenti*; Et, qui ad iusticiam erudiunt multos, quasi stelle in perpetuas eternitates. Fructus huius illuminationis est, quem describit Paulus: *Ut filii lucis ambulate, fructus enim lucis est in omni bonitate, & iustitia, & veritate, probantes quod sit beneplacitum Deo, & nolite communicare operibus infructuosis tenebrarum, magis autem redarguite*. Christus per excellentiam fuit lux mundi: *quamdiu sum in mundo, lux sum mundi*. Ab hoc tanquam sole accipiunt reliqui, tanquam stellæ, lumen suum. Petam, ut sim una ex illis, de quibus Baruch: *Stellæ dederunt lumen in custodiis suis, & latatae sunt, vocatae sunt, & dixerunt: Ecce adsumus: & luxerunt ei cum iucunditate, qui fecit illas*. 2. Redarguntur, qui juxta talentum acceptum, non se impendunt in illuminandis proximis, sed lucernam sub modio abscondunt. 3. Commendantur, qui doctrinam lucere faciunt exemplis bonorum omnium operum: *ut videntes glorificent Deum, cum alioqui blasphemetur ob mala exempla doctorum*.

## PUNCTUM III.

**D**E munere perficiendi. 1. *Non potest civitas abscondi super montem posita*. Civitati suos  
Apo-



Apostolos comparat, quia non vult eos esse so-  
 litarios, & privatam vitam agere, sed commu-  
 nem, ad se quam plurimos attrahendo & con-  
 vivendo. 2. Supra montem posita, hoc est, su-  
 pra magnam celsamque virtutem, quia eminere  
 eosdem oportet sanctitate, esseque perfectos,  
 juxta illud: *Supra montem excelsum ascende tu, Isa. 40. 9*  
*qui evangelizas Sion. Exalta in fortitudine vo-*  
*cem tuam, qui evangelizas Ierusalem.* Tunc  
 enim prædicatoris auditur vox, si ex edito pro-  
 clamarit: & ad civitatem accursus fieri poterit,  
 quæ non latuerit. 3. Deinde supra montem est  
 civitas, quia vir perfectus debet ad celsitudi-  
 nem perfectionis homines juvare, atque pro-  
 movere, non ad communem tantum virtutem.  
*Sapientia enim misit ancillas suas, ut vocarent ad*  
*arcem, & ad mœnia civitatis.*

Apostoli  
 Supra  
 montem  
 quid?  
 2.  
 3.  
 Vir per-  
 fectus in  
 monte.  
*Prov. 9.*  
 3.

## MEDITATIO XIII.

*De Excellentia legis Evangelica.*

Tertia pars Sermonis.

### PUNCTUM UNICUM.

**P**Ræmittit Dominus, se non venisse, ut legem  
 veterem solvat, sed impleat: implevit autem  
 tripliciter, & servando illam, & præstando, quæ  
 promiserat illa, & perficiendo. 2. Necessitatem  
 servandi legem demonstrat: Nam, qui solverit  
 unum de mandatis istis minimis, & docuerit sic  
 homines, minimus vocabitur in regno cœlorum: Con-

1.  
 Christus  
 legem  
 perfectè  
 servavit.  
 2.  
*Mat. 5.*  
 20.  
 Lex ne-  
 cessariò  
 servanda



Iac. 2. 10

3.  
Exem-  
plaro-  
peratio-  
nis.  
Pater.  
Mat. 5.  
48.  
4.

Contemptus erit apud Deum, si vel unum : quoniam enim offendit in uno, factus est omnium reus. perinde excluditur à regno Dei, si vel minimum, etiam alioqui non lethale, ex contemptu solverit : si docuerit, duplici nomine excludetur. Contra qui fecerit & docuerit, conjungitur, quia, qui docuerit tantum, non erit magnus coram Deo ; Sed qui etiam fecerit, magnus erit, quia exemplo simul docet & verbo, pro occasione & statu suo. 3. Exemplar operationis proponit, non sanctos homines, non Angelos, non seipsum, sed Patrem cœlestem : *Estote perfecti, sicut Pater vester perfectus est* : in quo nulla culpa esse potest, omnes sunt virtutes, & in gradu excellentissimo. 4. In tradenda explicandâque lege, hæc ipsa tria persequitur. 1. ut omnis absit culpa etiam interior, & occasio omnis amputetur. 2. Nulla desit virtus, vel in subjiciendo appetitu proprio, vel in actione erga proximum, vel denique erga Deum. 3. ut sint quam perfectissimæ, qualis est beneficentia erga inimicos, ad instar dininæ.

## MEDITATIO XIV.

### De Oratione Dominica.

**D**ominica dicitur, quia Christus eam docuit, & quidem bis : nam primò, cum haberet sermonem in monte ad turbas, ut refert Matthæus : deinde privatim, cum unus discipulorum ab eo peteret : *Domine, doce nos orare,*  
5.

sicut



sicut docuit Ioannes discipulos suos, ut est apud *Luc. II.*  
 Lucam : dirigitur autem ad Patrem etsi possit <sup>2.</sup>  
 ad omnes dirigi divinas personas. Credibile  
 autem est Christum sic orasse, cum suos doce-  
 ret : orat autem quotidie in nobis, sicut caput  
 nostrum, faciens nos orare, & orat pro nobis,  
 ut sacerdos est.

*Pater.*

1. Est titulo creationis, qua nos ad imagi- <sup>1.</sup>  
 nem suam facit, item adoptionis, per gratiam, *Pater*  
 atque sic millies Pater, quoties paratus est pec- *Creator*  
 cantes recipere in eandem gratiam, quæ Pater-  
 nitas magno sterit Filio Dei, qui cruce eam pro-  
 meruit nobis. 2. Patris providentiam exhibet,  
 sustentando corpus, & animæ saluti consulendo <sup>2.</sup>  
 amanter, ut solus verè Pater sit ; qui proinde ait : *Patris*  
*Nolite vocare vobis Patrem super terram, unus* *munia.*  
*est enim Pater vester, qui in calis est :* & meri- *implet*  
 to, nam, *Pater meus & mater mea derelique-* *Mat. 23.*  
*runt me,* quod sæpe fit, *Dominus autem as-* <sup>9.</sup>  
*sumpsit me :* nunquam deserit, nisi derelictus. *Pf. 26.*  
 3. Præterea si ille Pater, ego Filius. Quanta hæc <sup>10.</sup>  
 dignitas ? præstabo filij partes amore, obser- <sup>3.</sup>  
 vantia, obedientia. Qui istuc ex mancipio vili *Si Pater*  
 provectus es, vide ne degeneres. 4. Voluit præ- *ergo ego*  
 cationem ab hac compellatione nos exordiri, *filius.*  
 ad excitandam fiduciam obtinendi petita : & <sup>4.</sup>  
 quia gloriatur in hoc nomine, quod Pater sit, *Cur à Pa-*  
 gaudet se ita compellari ; & ad commonendum *tre ordi-*  
 nos, quod velit filiali affectu nos ad ipsum ac- *tur.*  
 cedere.

T

cede-



cedere, & in omnibus ipsi servire taliâquepetere, quæ deceant talem Patrem.

*Noster.*

1. Voluit, ut dicerem, *noster*; non autem *meus*, qui cùm unicum habeat filium naturalem, voluit quamplurimos habere adoptivos, tum Angelos, tum homines: idque ita, ut bono filiationis unusquisque gaudeat, ac si nullum haberet consortem. Nam dona Dei non minuuntur communicatione in plures.
2. ut moneret esse nos inter nos fratres nulla exceptione, gradus, aut ætatis, atque ut fratres, invicem diligendos, proque omnibus communiter orandum, nullo spreto, sicut per Malachiam: *Nunquid non Pater unus omnium nostrum? nunquid non unus Deus creavit nos? quare ergo despicit unusquisque fratrem suum?*
3. quod, *Pater* mihi conveniret magis unigenito, & appellatio esset indulgentior, quàm pro reverentia illius majestatis, cujus oportuit haberi rationem. Et si nihil vetat privatim, pro affectu aliquando, sic Deum alloqui, quod ita pleno jure filius sim adoptivus, ac si forem unicus.

*Qui es in cœlis.*

- Cùm in omni loco sit, voluit cœlum exprimi, ut reverentiam in nobis excitaret illius majestatis in cœlo dominantis: ut mentes nostras ad cœlestia erigeret, quæ est filiorum Dei hereditas.



hæreditas : & ut intelligam me hîc esse peregrinum, debere autem cœlo dignam colere puritatem. Denique docet illuc oculos levare, unde veniet auxilium mihi. Per cœlos etiam intelligi possunt animæ justæ, in quibus habitat Deus : qualis esse studeat, qui orat, ut in abscondito cordis sui ab in habitante Domino exaudiat. Hactenus præambulum : sequuntur petitiones.

*Sanctificetur nomen tuum.*

## Petitio 1

1. Non ait, glorificetur, quia nihil Deus ita æstimat, atque quod sanctus sit; ac proinde, ut pro tali habeatur & prædicetur, quod est Beatorum carmen: *Sanctus, Sanctus, Sanctus.* 2. Non ait, potentia, aut majestas; sed *nomen tuum*, ut simul includat, quicquid Dei apud nos nominatur, totum videlicet sanctum esse, & pro eo celebrandum: nominatur autem omnipotens, sapiens, creator, & infinita alia. 3. *Tuum*, inquit, quia solum nomen *tuum* est sanctum per seipsum, unde justî stillam participant. Ergo, *tuum*, non nostrum: *Non nobis Domine, non nobis, sed nomini tuo da gloriam. Regi sæculorum immortalis & invisibilis, soli Deo honor & gloria in sæcula sæculorum, nobis autem confusio faciei:* & ego sic studiosus sum nomen meum commendandi, qui nesciri & contemni præoptare deberem. 4. Non restringit: per nos *Sanctificetur*: quia optandum, ut ab omni creatura cælestium, terrestrium, & infernorum. 5. Porro san-

1. Isa. 6. 3.

Ap. 4. 8.

2.

3.

Ps. 113.

6.

1. Tim.

1. 7.

Bar. 1.

15.

4.

5.

T 2

atifica-



Edificatur Dei nomen, si homines credant, quod  
revelat: sperent, quod promittit: faciant, quod  
jubet: colant, ut ipse præcepit: ament ex toto  
corde, attestantibus operibus, unde qui vident  
glorificent Patrem, qui in cœlis est.

*Adveniat regnum tuum.*

Petitio 2

1.  
Regnum  
Gratiæ.

2.  
Gloriæ.

3.  
Consum-  
matum.

4.  
Dei, non  
mundi  
regnum,

1. **R**egnum, quo in justis regnat, qui per om-  
nia ipsi subjiciuntur. 2. quo regnat ih-  
Beatis: istud autem adveniet nobis, si in primo  
permanerimus. Quare ait, *Adveniat*: quasi  
sponte secururum. Et quidem istud omnes op-  
tant: at primum, non ita, quia cum labore con-  
junctum est. Iustitia enim paratur, & consec-  
vatur mortificatione appetitionum. 3. Regnum  
illud consummatum atque perfectum, cum De-  
us erit omnia in omnibus, in Resurrectione  
mortuorum, quod expectant animæ beatæ. 4.  
*Tuum*, inquam, non mundi regnum, quod ca-  
ducis bonis constat; multoque minus peccati  
regnum, quod cupio funditus eversum.

Petitio 3

*Fiat voluntas tua, sicut in cælo, &  
in terra.*

1.  
Volun-  
tas Dei  
Ps. 29.

2.  
Dei so-  
lius.

1. Voluntas Dei continetur illius præceptis,  
& consiliis, ac inspirationibus, nec non iussis  
eorum, qui Dei nomine præsumt. Ad hæc exe-  
quenda sufficit, quod voluntas Dei est, & quod  
*vita mea in voluntate ejus est*: ut si eam faci-  
am, vivam; alioqui petiturus. 2. *Tua*, non  
mea, quæ perversa est, nec carnis, quæ contra-



quia spiritui, nec mundi quæ vana, nec Diaboli,  
 quæ iniqua : sed *Tua*, quæ est rectitudinis, &  
 quam ut faceret Christus, venit. 3. Modus fa-  
 ciendi, *sicut in cælo* ab Angelis, ita integrè,  
 promptè, velociter, fortiter, amanter, exultan-  
 ter. Unde opportunè præmisit. *Adveniat re-*  
*gnum tuum*, ut, quando illuc adspiramus, ita  
 nunc agamus, uti agunt, qui in cælo sunt. 4.  
 Potest sic etiam intelligi, ut terreni & carnales  
 homines sic voluntatem Dei faciant, uti cæle-  
 stes, & spirituales faciunt. *Doce me, Domi-*  
*ne, facere voluntatem tuam, quia Deus meus*  
*es tu.* Ps. 142.

*Panem nostrum quotidianum da no-*  
*bis hodie.* Petitio 4

1. Quis est panis iste? 1. panis supersubstantia-  
 lis Eucharistiæ, qui spiritum nutrit & roborat,  
 ut digni reddamur illo assiduè frui. 2. Alia gra-  
 tiæ auxilia, sine quibus vita spiritualis non pro-  
 ducitur, in quibus est, ut faciamus Dei volun-  
 tatem, quam Christus dicebat suum esse cibum.  
 3. Panis corporalis, vitæque sustentatio, pro  
 qua non vult nimis esse anxios; sed à Deo etiam  
 expectare. Per hæc instruimur, quòd tanquam  
 infantes egeamus cura Dei, & tanquam Filij ad  
 eum confugere debeamus. 2. *Nostrum*. Et si  
 enim est supersubstantialis, & à Deo: *noster* ta-  
 men, quia nostræ indigentiae necessarius, & no-  
 bis à Christo comparatus, & promissus. Quia  
 verò Deus etiam Angelis & Beatis panis est, pe-  
 titimus



- timus eum pro modo, & statu nostro, sicut & corporalem. 3. *Quotidianum*. Si de spirituali, non ille, qui est paucorum singulariter dilectum, quia indignum me reputo; sed communem quasi portionem, & necessariam, sine qua non vivitur. Ita etiam, si de corporali accipitur, non abundans & ad genium, sed ad necessitatem. 4. *Da nobis*, pro omnibus tanquam fratribus petendum, etiam si alioqui odientibus.
- Mat. 5. *Orate pro persequentibus & calumniantibus vos & si videris inimicum esurientem, ciba illum.* 5. *Hodie*, quia vult nos quotidie petere, semperque ab ejus pendere providentia, avocatur etiam à superflua cura de crastino, ad exemplum *dati olim manna in singulos dies*. Hodie etiam pro vita præsenti accipitur, quamdiu hodie nominatur, ut ait Paulus, quod est præsens tempus.
44. *Pro 25 lum.* 5. *Hodie*, quia vult nos quotidie petere, semperque ab ejus pendere providentia, avocatur etiam à superflua cura de crastino, ad exemplum *dati olim manna in singulos dies*. Hodie etiam pro vita præsenti accipitur, quamdiu hodie nominatur, ut ait Paulus, quod est præsens tempus.
21. *Quoti-* die peto, *Exod. 16* iam pro vita præsenti accipitur, quamdiu hodie nominatur, ut ait Paulus, quod est præsens tempus.
4. *Heb. 5.* tempus.

Petitio 5  
Debitoribus  
*Dimitte nobis debita nostra; sicut & nos dimittimus debitoribus nostris.*

1. *Peccata.* 1. Debita sunt peccata, tum mortalia, tum venialia, & quæ eis debentur poenæ, quæ petimus dimitti per media à Deo instituta, & nostram cooperationem. 2. quod quamvis aliquis sit filius, & regnum Dei in se habeat, faciaturque illius voluntatem, adhuc eget dimissione ob venialia peccata quotidiana. 3. Vicissim proximis debemus dimittere debita offensionum & injuriarum, & quo id perfectius fiet, benefaciendo etiam
2. *Etiam venialia.*
3. *Injurias remitte re.*



etiam inimicis, eo liberalius nobis à Deo dimittentur debita nostra. Et vult statim dimitti, *Sol non occidat super iracundiam vestram.* Et hanc *Ephes. 4.* ponit, quasi necessariam conditionem, ut nobis *26.* dimittatur: quare contra se profert sententiam, qui non dimittit debitoribus suis.

*Et ne nos inducas in tentationem.*

Petitio 6

Non petitur, ut non tentemur, quia id sæpe expedit, & à Deo sapienter permittitur; sed, ne caris, peccationi succumbamus, aut etiam tentari sinamur, quando prævidet nos succubituros.

*Sed libera nos à malo.*

Petitio

7.

**A**B omni malo omnino. Sicut subjungit Ecclesia in missa: *Libera nos quesumus Domine ab omnibus malis præteritis, presentibus, & futuris:* nempe æternis, & temporalibus, animæ & corporis hujus, prout expedit nobis. Præterita autem mala sunt peccata: quorum adhuc rei sumus, vel ratione pœnæ, vel etiam culpæ. Deinde à malo, hoc est, à maligno Dæmone, ne supra nos potestatem habeat, aut ejus efficiamur servi peccando. Licebit hîc more Ecclesiæ in litiis recensere varia genera malorum, à quibus liberari flagitemus.

*Amen.*

*Fiat, fiat:* magno desiderio pronuntiabitur, *ps 9 39.* nam *Desiderium pauperum exaudivit Dominus.* Fiducia, Magna etiam fiducia, ut qui ea petamus,

T 4

quæ



1. 10. 5. 14. quæ petenda præscripsit, sicut ait Joannes: *Hæc est fiducia, quam habemus ad Deum, quia quodcumque petierimus secundum voluntatem ejus, audiet nos, & scimus, quoniam habemus petitiones, quas postulamus ab eo.* De providentia Dei ad subveniendum nobis agitur in sexta parte meditationum.

## NOTA.

Quatuor bona petimus oratione Domini ca. Quod quatuor petitiones faciunt ad obtinendum bonum, tres autem ad advertendum malum: ex primis concernunt Divinam gloriam tres: *Sanctificetur nomen tuum, Adveniat regnum tuum, Fiat voluntas tua*: quarta autem concernit nostram utilitatem, seu per eam petimus nobis bonum necessarium, tam spirituale, quam corporale. Et si tria etiam priora nobis prosunt, quia nostrum est bonum facere ejus voluntatem, & sanctificare ejus nomen, & regnum advenire, sed in iis, ex objecto & per se quæritur glorificatio Dei. Tres posteriores ad advertendum malum pertinent. *Dimitte nobis debita nostra* ad remissionem peccatorum jam admissorum *Ne nos inducas*: ad futura peccata præcavenda, & pericula eorum declinanda. *Libera nos à malo*, ab omni genere malorum, quod obvenire potest, quatenus tamen expediat nobis: nam tribulari sæpe expedit, & persecutiones pati, & ægritudines.

Triamala deprecamur.

ME-



MEDITATIO XV.

Missio discipulorum ad prædicandum per Iudæam.

PUNCTUM PRIMUM.

**N**ecessitas mittendi: ait enim: *Messis quidem multa, operarii autem pauci: rogate ergo dominum messis, ut mittat operarios in messem suam.* Messis multa electorum expectantium prædicationem Evangelii, operarii pauci: nam plerique refugiunt laborem, aut in eo non lucrum animarum, sed proprium quærunt. Pauci se disponunt, ut idonei fiant: sed resistunt mitte-re volenti. Dominus messis est Christus: hic ro-gandus, quia nemo sponte sua potest mittere manum in alienam messem. Vult rogari, quia ad executionem providentiæ & decretorum Dei medium est aptissimum oratio: &, ut insinuet, non sua interesse, cum inde nihil referat, sed ho-minum ipsorum rem agi. Nihilominus, nec-dum rogatus statim misit, pro charitate, deside-rioque hominum salutis.

PUNCTUM II.

**I**nos mittit, ad commendandam mutuam charitatem, & quia *Frater, qui adjuvatur à fratre, quasi civitas firma: & Si unus cecide-rit, ab altero fulcietur. Væ soli, quia, cum cecide-rit, non habet sublevantem se.* Et, *Vbi duo vel tres sunt congregati in nomine meo, ibi sum in medio* *Curbi-* *nos* *Prov.* *18. 9.* *Eccl. 4.* *10.* *Mat. 18.* *20.*



2.  
Potenti-  
am dat  
suam.

Mat. 10.

8.

Mandat  
humili-  
tatem.

Luc. 10.

17.

Malac

1. 10.

Mat. 10.

16.

medio eorum. Nec solum causâ auxilii, sed  
mutuò sibi testes sint impensæ operæ. Deinde  
impertit potestatem miraculorum: *Infirmos cu-  
rate, mortuos suscite, leprosos mundate, Dæmo-  
nes ejicite.* Nempe ut prædicationi ipsorum  
conciliaret auctoritatem, cum essent alioquin  
idiotæ & simplices, Subjicit: *Gratis accepistis,  
gratis date.* In primo commendat humilitatem,  
ne sibi adscribant. Quare redeuntes cum gau-  
dio, quod sibi dæmonia subjiçitur, repressis  
exemplo Luciferi, dicens: *Videbam Sathanam,  
sicut fulgur de celo cadentem.* In secundo com-  
mendat liberalitatem benefaciendi, nulla expe-  
ctata compensatione, quo majorem à Deo refe-  
rant. Nam reprehenduntur, qui aliter agunt  
*Quis est in vobis, qui claudat ostia & incendat al-  
tare meum gratuito?*

### PUNCTUM III.

6. Virtu-  
tes com-  
mendau-  
tur.

Manfue-  
tudo.

Patien-  
tia.

Charitas

Fiducia.

Isa. 11. 6.

**I**nstituit Dominus discipulos ad missionem:  
*Ecce ego mitto vos, sicut oves in medio lupo-  
rum; estote ergo prudentes, sicut serpentes, & sim-  
plices, sicut columba.* Ubi sex virtutes eis com-  
mendat: *Mansuetudinem* ovium, ut nec læsi no-  
ceant: *Patientiam* in ferendis incommodis il-  
latis: *Charitatem*, impendendo se totos utilita-  
ti aliorum, sicut oves lac, lanam & carnem suam  
præbent: *Fiduciam* in pastore suo, tanquam o-  
ves, quæ se tueri nequeunt. Quare ait. *Ecce ego  
mitto vos, ut pastor oves:* Confidite, quamvis in-  
ter lupos. Hoc enim est tempus, de quo prædi-

ctum:



Etum: *Habitabit lupus cum agno, & pardus cum* Pruden-  
*hædo accubabunt, &c.* Item prudentiam serpen- tia,  
 tum, ut caput à vulnere abscondant, quando ne-  
 queunt corpus, cætera perdant, dum animam  
 servant, & obturent aures ad voces incantan-  
 tium, malèque suadentium. Atque ut serpens  
 observavit tempus locumque aptum ad sedu-  
 cendam Evam: ita ipsi ad Evangelium insi-  
 nuandum. Postremò *simplicitatem columbinam*, Simpli-  
 ne prudentia sit vulpina & fraudulenta, sed abs- citas.  
 que felle, sincera. *Oculi tui columbarum*, quales Cant. 1.  
 Christi in quem *Descendit Spiritus Sanctus sicut* 15.  
*columba.* Det ille mihi, ut nōrim prudentiam Luc. 3.  
 cum simplicitate conjungere. 22.

#### PUNCTUM IV.

**V**Itæ rationem modumque præscribit. 1. Ve- 1.  
 rat superflua, ut sunt pretiosa. *Nolite possi-* Super-  
*dere aurum, neque argentum, neque pecuniam in* flua reji-  
*zonis vestris.* Et in communibus verat non ne- cit.  
 cessaria: *Non peram in via, neque duas tunicas,* Mat. 10.  
 si sufficit altera, *neque calceamenta* mutatoria, 9.  
*neque virgam:* quamvis minima, quibus care-  
 re valeas, jubet abjicere. Quin in planè neces-  
 sariis vult eos Deo fidere. *Dignus est enim o-* Luc. 22.  
*perarius cibo suo.* Suppeditabit eis, qui mittit. 35.  
 Unde in cæna ultima dicebat: *Quando misi vos*  
*sine sacculo & calceamentis, nunquid aliquid de-* Sine so-  
*fuit vobis? Nihil.* Planè omni sollicitudine licitudi-  
 temporali liberos esse vult, qui evangelizant, & ne tem-  
 si bene porali,



si bene officio fungantur, in eo satis subsidii eos habere ad vitæ necessaria, quæ jure suo expectare à mittente Deo possunt, ac debent, qui excitabit homines, ut ipsis subveniant, etiam abundanter. Voluit Christus exercere suos in quadam perfecta fiducia divinæ erga se providentiæ. Non tamen ista præcepit, in posterum rigidè observanda: sed voluit solum, ut ad eam formam, quoad fieri posset, Apostolici viri adniterentur. Amplius prohibet, *Neminem in via salutaveritis*: videlicet, ne à suscepto negotio se retardari sinant per officiolas salutationes, & non necessaria officia: alioqui vulg salutare hospites suos, & pacem eis impertiri. *In quamcunque domum intraveritis, dicite: pax huic domui. Quod si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra; sin autem, ad vos revertetur.* Significat prædicationem fore efficacem in filiis pacis, qui præordinati sunt ad vitam æternam: quod si tales non fuerint, nihilominus ipsos operæ suæ fructum relatu-  
 4. Nec salu-  
 4. lulent.  
 Luc. 10.  
 5.

## PUNCTUM V.

Luc. 10.  
 7. Prædicant regnum cælorum.  
 Matt.  
 11. 12.

**Q**uid annuntiare debeat. *Dicite illis, appropinquavit in vos regnum Dei. Duo efficacia motiva, & promissio regni Dei, & spes propinqua, præsentem jam Salvatore. Et exeuntes predicabant, ut poenitentiam agerent, quâ ad regnum pervenirent. Nam regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.*

ME-



MEDITATIO XVI.

*Martyrium Ioannis Baptiste.*

PUNCTUM PRIMUM.

**I**oannis fortitudo, & constantia animi, qui *Mar. 6.*  
cū magni fieret ab Herode, *Qui metue-* 20.  
*bat Ioannem, sciens eum virum justum & san-* Non ti-  
*ctum, & audito eo, multa faciebat:* cūque metHe-  
Herodiadis impotentiam animi & crudelita- rodem.  
tem non ignoraret, neque ob gratiam, ne-  
que ob metum destitit à reprehensione, di-  
cens Herodi: *Non licet tibi habere uxorem fra-* *Matt.*  
*tristui.* 14. 4.

PUNCTUM II.

**H**erodes tenuit Ioannem, & vinxit, & inclu- *Restabat*  
sit in carcerem. Hactenus in honore fue- persecu-  
rat Ioannes, debuit persecutionibus tanquam tio Io-  
aurum probari. Nec abnuit, aut captavit late- anni.  
bras, aut fugam; sed promptum se obtulit, car-  
ceremque in domum orationis vertit, nec desti-  
tit à prædicatione. Inde enim misit discipulos  
ad Christum, cupiebat autem dissolvi, & Patri-  
bus etiam Limbi Christum annuntiare, ex offi-  
cio præcursoris.

PUNCTUM III.

**V**itia conspirabant in Sanctum. Ingluvies *Exerci-*  
convivii, luxuria Herodis, levitas puellæ *tus dæ-*  
saltantis, jactantia promissi, ficta Religio ju- *monis.*  
ramen-



ramenti, illum neci destinant. Et huc præcipit  
tatus est Herodes, quod audire Ioannem desit  
qui interpretatur gratia : sic, cum occludimus  
aures divinis inspirationibus, quotidie in peccatis  
ruimus.

## PUNCTUM IV.

Mors &  
gaudium  
S. Ioan-  
nis.

Gloria  
ejus.  
3. Co-  
rolla.

**O** Bruncatur Ioannes : excepit gaudio sen-  
tentiam mortis, præbuit jugulum, orantem  
pro persecutoribus suis. Deducitur ejus anima  
in sinum Abrahamæ ab Angelis, & qui nativitate  
sua multos lætificaverat, migrans è corpore,  
replet lætitiâ Sanctos, qui Salvatorem expecta-  
bant. Cujus Sancti gloria æstimari potest et  
vita sanctissima, quodque tribus laureolis, *Vir-  
ginis, Doctoris, Martyris* insigniter decora-  
tus sit.

## MEDITATIO XVII.

*Miraculum quinque panum.*

Matt. 14.

## PUNCTUM PRIMUM.

1.  
Turbæ  
pietas.

Ioan. 6.  
1.

Osea 11.  
4.

2.

**I.** Multa turba sequebatur Christum, partim  
admiracione doctrinæ, partim, *Quia vi-  
debat signa, quæ faciebat super his, qui infirma-  
bantur*, ut ait Ioannes. *Hi sunt funiculi Ada-  
m, funiculi charitatis*, de quibus Oseas, beneficia  
tum corporalia, tum spiritualia. 2. Apostoli mi-  
sericordia moti petierunt à Christo, ut turbas  
dimit-



dimitteret, quo sibi escas emerent in proximis  
castellis. At Dominus monet, ut ipsi potius eis  
subveniant, ita docens Prælatorum misericor-  
diam debere dilatarı, & quando deest facultas,  
recurrendum ad Deum. 3. Alibi Christi hæc mi-  
sericordia magis exprimitur: *Misereor*, inquit,  
*super turbam, quia ecce jam triduo sustinent me,*  
*nec habent, quod manducent: & si dimisero eos*  
*jeunos, deficient in via: quidam enim ex iis de*  
*longè venerunt.* Quàm exactè expendit necessi-  
tatem nostram, & rationes subveniendi exa-  
minat, ac pericula prævidet, ut quasi debeat  
subvenire? At quid magni Domine, si triduo  
te sustineam, qui tuam vitam omnem in mea u-  
tilitate ponis; & quidni de longè veniam ad te,  
quando tu de cœlis propter me? age, ne me je-  
junum dimittas, ne deficiam in via donec per-  
veniam, planè ad te. 4. Præ se fert Christus sol-  
licitudinem suam, quando rogat Philippum:  
*Vnde ememus panes, ut manducent hi?* negat ille  
*sufficere vel ducentos denarios, ut modicum quis*  
*accipiat.* At pecunia tibi opus non est, Do-  
mine.

Miseri-  
cordia  
Aposto-  
lorum  
parva.

3.  
Christi  
magna.  
Marc. 8.

2.  
Mar. 53.

2.

4.  
Sollici-  
tus Chri-  
stus.

Ioan. 6.

5.

PUNCTUM II.

CHRISTUS petit à Discipulis id, quod habe-  
bant, & obtulerunt ei quinque panes hordea-  
ceos, & duos pisces. Hæc erat tota provisio: pa-  
nes omnino viles & insipidi: & quinque tantum  
cum duobus piscibus, cum essent ipsi piscatores.  
Tam aberat ab ea sancta familia superfluitas, ex  
quo

Pauper-  
tas Chri-  
sti & di-  
scipulo-  
rum.



Prompta  
Eleemo-  
syna.

quo ipse confundat, amator commoditatum  
Promptè exhibent Apostoli, non causati indi-  
gentiam propriam : sic agam, quia rependes  
copiosè Dominus. Poterat aliter Christus pro-  
videre, sed voluit probare charitatem discipulo-  
rum, & facere participes boni operis simulque  
docere, quando non valemus ex toto subvenire,  
conferendum à nobis, quod possumus, tam in  
corporalibus necessitatibus, quàm spiritualibus,  
sicut monuit Tobias : *Quomodo poteris, illa  
esto misericors.*

### PUNCTUM III.

1.  
Iubet  
discum-  
bere.

2.  
Cælum  
aspicit.

3.  
Gratias  
agit.

4.  
Benedi-  
xit.  
Modus  
agendi.

1.

2.

**S**eries miraculi. 1. *Iussit discumbere cente-  
nos, & quinquagenos supra viride fœnum,*  
ad vitandam confusionem; & ut numerus faci-  
lius constaret, qui fuit quinque millium, præter  
mulieres & pueros; & ut omnibus manifestius  
fieret miraculum. 2. *Aspexit in Cælum,* sic pro-  
fitens, à Deo esse omne donum, & illam ipsam  
patranda miraculi potestatem. 3. Gratias agit pro  
illis ipsis quinque panibus propositis, & pro  
multiplicandis ex eis. Nihil tam exiguum, quod  
non magnificandum, & pro quo non debean-  
tur grates, quia venit à Domino ad immeritos.  
4. *Benedixit* certis verbis, & benedicendo vim  
impertiit multiplicandi. Tum frangens panem,  
*Dedit discipulis, hi autem turbis.* Docemur mo-  
dum sumendi cibum. 1. Ordinatè dispositis  
convivis, inter quos mihi eligam novissimum  
locum. 2. Ut levantur oculi mentis in cælum,

coram



coram Deo inspectore edentes sine excessu, si- *ps. 67.*  
cut ait: *Iusti epulentur, & exultent in conspectu* 4.

Dei. 3. Gratias agant, recognoscentes cibum 3.  
appositum pro eleemosyna Dei, tam pauperes,  
quàm divites, ac cùm talis sit, non obmurmurando de quovis defectu. 4. Ut præcedat be- 4.  
nedictio per aliquam precationem, quæ & sum-  
ptionem comitetur, quo cibus fiat sapidior,  
nam *Sanctificatur cibus per verbum Dei & orati-* 1. Tim.  
*onem*, teste Apostolo. Exprimitur etiam ra- 4. 4.  
tio sumendi Eucharistiam, de qua parte 4. Me-  
ditatione 14.

#### PUNCTUM IV.

EXpenditur miraculum. Multiplicantur pa-  
nes in manibus Christi, Apostolorum & co-  
medentium, atque ex insipidis fiunt saponi, uti ex  
manu Dei venientes, *cujus perfecta sunt opera.* 1. *Deut.*  
Considera omnipotentiam, & quis non velit 32. 9.  
tam potenti Domino servire? qui potest Pa- 1.  
rare mensam in deserto, & educere aquam de pe- *Omnipotencia*  
tra, oleumque de saxo durissimo: qui transfert *ps. 77.*  
austrum de cælo, & pluit, sicut arenam maris vo- 20.  
latilia pennata. Ut sciant filii tui, quos dile- *Deut. 8.*  
xisti Domine, quoniam non natiuitatis fructus 15.  
pascunt homines, sed sermo tuus. 2. Confide- *Sap. 16.*  
ra providentiam, quando ita opus est, ut meritò 26.  
dixerit: Nolite esse solliciti, quid manducabimus, Provi- 2.  
dencia.  
aut quid bibemus? scit enim Pater vester, quia his *Matt. 6.*  
omnibus indigetis. Querite ergo primum regnum *31*  
Dei, & iustitiam ejus, & hæc omnia adjicientur *vobis.*



*Pf.* 36.

25.

3.

Omnes  
satiat.

4.

Miracu-  
la S. Eu-  
chari-  
stiae.

vobis. Unde dicebat David. *Non vidi iustum derelictum, nec semen eius querens panem.* 3. Modum providentiæ ; ut cum diversæ ætatis, & complexionis essent, quod dabatur singulis sufficeret pro cuiusque necessitate : sicut de manna, *Sive plus, sive minus qui colligeret* : Et si hæc multum superfuit de panibus, ad Dei magnificentiam declarandam. 4. Idem Evcharistia est illustrius, quæ nunquam consumitur, & quamvis hostia in mille partes divisa, non plus habet, quam singulæ, satiatur quivis ex parte quam sumit.

## PUNCTUM V.

Gratitu-  
do Chri-  
sti erga  
Aposto-  
los.*Prov.*  
19. 17.*Luc.* 6.  
38.Turbae.  
*Iob.* 18.  
36.

**S**uperfuere duodecim cophini fragmentorum : Quot erant Apostoli, qui colligebant. Et quantum eis reddidit, & quanto melius, pro quinque insulsis panibus. Ita viduæ illi de farina & oleo factum à Deo, quod pavisset Eliam. Ita eleemosynam in pauperes remunerat : *Fœneratur Domino, qui miseretur pauperis, & qui in hac vita sic compensat, quomodo in futura.* *Mensuram bonam & confertam & coagitatam dabit in sinum vestrum.* Sed quæ admiratio turbae, quæ lætitia ? Regem destinabant sibi : ideo fugit in montem solus, ad exemplum contemptus. Et quia *Regnum eius non est de hoc mundo.*

ME.



## MEDITATIO XVIII.

Sedata tempestas. Marc. 4.

## PUNCTUM PRIMUM.

Post concionem prolixam, cum serò esset factum, ascendit in naviculam cum Discipulis 4. 36.

Et erat ipse in puppi supra cervical dormiens. 1. Captat somnum, quo ostendit se humanis subjectum, sed modicum: & cor ejus vigilabat, videbátque omnia, quæ fiebant. Imitabor, & bonis phantasmatibus per somnum præbebo occasionem. 2. Dormit, dum Navicula operitur fluctibus: finit nos tentari, & dissimulat: non idè deserit. 3. sic proficitur in humilitate, purgantur vitia, fiducia excitatur, & orationi insistitur, occasione tribulationum.

1.  
Sit somnus, sed modicus.

2.  
Fingit Christus somnum

3.

## PUNCTUM II.

Discipuli suscitaverunt eum dicentes: Domine, salva nos perimus; Et, Magister, non ad te pertinet, quia perimus? Singulare remedium 25.  
Marc. 4. 38.

ad Deum recurrere per orationem, utraque formula & brevis, & efficax, & posterior cum quadam filiali querimonia, ac si dicant: Tuus sum ego, salvum me fac. Et, Exurge, quare obdormis Domine? oblivisceris inopia nostra, & tribulationis nostræ? Corripuit tunc illos Dominus: Quid timidi estis, modicæ fidei? etsi enim est quod timeatis ex vobis, at oportebat in me confidere.

Orant Discipuli.

ps. 118.

94.

ps. 43.

23.

V 2

PUN-



## PUNCTUM III.

Omni  
potentia  
Christi.

**I**mperavit ventis & mari. Et comminatus  
vento, & dixit mari, tace, obtumesce, & cessa-  
vit ventus, & facta est tranquillitas magna. In  
sensibilia agnoscunt imperium Creatoris, & pe-  
rent, & ego resisto? non solum tacere jubet  
quasi ad tempus, sed plane sedari, semota causa.  
O sic animæ meæ tumultus compescat! Est enim  
*Isa. 5. 7.* Quasi mare fervens, quod quiescere non potest  
& redundant fluctus ejus. Et mirati homines  
dixerunt: qualis est hic, quia venti & mare ob-  
ediunt ei?

## MEDITATIO XIX.

*Christus ambulat super mare.*

## PUNCTUM PRIMUM.

*Mat. 14.*  
22.

1.  
Oratio-  
nis stu-  
dium.

2.

*Marc.*

6. 43.

*Marc.*

4. 38.

3.

**C**ompulit discipulos ascendere in naviculam,  
& dimissa turba, ascendit in montem solus,  
orare. 1. Nota, quàm studiosus orationis  
captato loco, & tempore apto, & producta ul-  
que ad quartam vigiliam noctis. 2. Quod aggre-  
gati à Christo sejungebantur Apostoli, ut oportuerit  
eos cogere, sicut ait Marcus. Obedierunt tã-  
men. 3. Alias, Christo dormiente, nunc eo ab-  
sente, oritur tempestas, ad probationem fidei,  
subtracta sensibili gratia.

PUN.



PUNCTUM II.

**N**avicula jactabatur fluctibus, & vidit eos <sup>1.</sup> laborantes in remigando. <sup>1.</sup> Non oportet Discipu-  
seipsum deserere, sed conari, insistendo oratio- li non  
ni & pœnitentiæ, contra tentationes. <sup>2.</sup> Vidit despe-  
id Deus, quod solatio esse debet tribulatis. Nam rant.  
advocatum habemus apud Patrem. <sup>2.</sup> Circa Christi  
quartam vigiliam noctis venit ad eos, ambulans charitas  
supra mare. Ut sic ostenderet se potestatem ha- 1. Ioan.  
bere supra aquas, superque tempestates mundi 2. 1.  
huius. Quod si aliquando *infigatur ipse in limo* 3, Omni-  
*profundi*, scito id per dispensationem fieri pro poten-  
nostra salute, unde victor evadens, *Placuit Deo* tia.  
*super vitulum novellum, cornua producentem &* ps. 68.  
*ungulas.* Deinde significavit virtutes orationis, 32.  
à qua homo possit undas calcare tentationum:  
nam veniebat ab oratione. <sup>4.</sup> *Viso illo, putave-* Discipu-  
*runt phantasma esse, & conturbati clamave-* lorum  
*runt:* Sic, qui periculo tempestatis non fuerunt timor.  
territi, vana specie consternantur. Et fit, ut  
ad majores difficultates intrepidi, vincantur  
fucatis.

PUNCTUM III.

**D**elusio varia. <sup>1.</sup> Sic quidam somnia sua pu- Proprio  
tant revelationes; & passionem suam esse vir- judicio  
tutes, puta impetum iræ esse zelum, carnalém- decipi-  
que amorem esse spiritualem. Tales ferè sunt untur  
superbi, proprio fidentes judicio, quib<sup>9</sup> se trans- multi.  
*figurat diabolus in Angelum lucis*, ut internos 2. Cor.  
motus à malo spiritu profectus pro divinis ha- 11. 14.  
beant.



beant. Alii à propria imaginatione cum debilitate capitis seducti, persuadent sibi, vidisse Christum, aut audisse ab illo: deniq; ipsi etiam spirituales viri assueti divinis, solent interdum cogitationes proprias pro divinis habere. Utrum cum Nathan Propheta ex proprio spiritu approbavit, ut David templum Domino ædificaret, quod Deo ratum non fuit; etsi Nathan, non evates probavit. 2. Alij contrà, pro phantasmate

2.  
Aliqui-  
bus Chri-  
stus pro  
phantas-  
mate.

habent, quod verè est Christus, solidam virtutem pro passione veram inspirationem pro instinctu proprio. Et contingit id etiam provectioribus in spiritu, sicut nunc Apostolis. Et est gravis tentatio, quando Christus pro phantasmate est. Sic aliqui inexperti eludunt revelationes quaslibet, quasi Deus non se modo etiam communicaret. Utrumque extremum est vitandum, tenendumque medium, juxta Ioannis consilium: *Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus, si ex Deo sunt*: quo facit domum discretionis spirituum, quod Deus præsertim communicat Præsulibus, ad quos proinde recurrendum est.

1. Ioan.  
4. 1.

#### PUNCTUM IV.

Pellit timorem  
Christus

Christus se manifestat. *Ego sum*; nolite timere: non distulit consolari discipulos, se manifestando: Proprium est Dei, vano timore discusso, ad solidam fiduciam erigere, facientem intelligere quod ipse est. Sicut enim quivis hominum solet voce sua agnosci, quia unusquisque habet



habet aliquid proprium : ita agnoscunt Dei vo-  
cem illius familiares. Et sicut eadem vox diver-  
so modo prolata varios affectus indicat, & effe-  
ctus gignit in audiente: ita hæc Christi: *Ego sum*,  
Apostolos demulcet, *comprehensores prosternit*.  
O, agnoscam ex voce loquentem mihi Deum, &  
loquatur ille mihi in bonum!

*Ego sum*,  
terret &  
mulcet.  
*Ioan. 1 &  
6.*

## PUNCTUM V.

**P**etri fervor: *Domine, si tu es, jube me veni-*  
*re ad te.* Quinque insinuat proprietates fer-  
ventis charitatis, 1. Est illustratio mentis, quan-  
do quidem *tu es*: videlicet, agnoverat verè vo-  
cem: *Ego sum*. 2. Cupit sibi aliquid injungi ab  
eo: *Iube*. 3. Non sustinet à Deo abesse diutius:  
*Iube me venire ad te.* Aliquando visa captura  
piscium, dixit: *Domine, exi à me, quia homo*  
*peccator sum*: nunc contra, advolare ad Christum  
vult: illud humilitatis fuit, hoc amoris; illa  
hunc facit tutiorem, & hic vicissim illam perfici-  
cit. 4. Offert se ad majora viribus, de virtute  
dilecti confidens, super aquas ambulare confi-  
dit, ut magister, quia *aqua multa non extinguunt*  
*charitatem*. 5. Charitas est cauta & ordinata,  
non præsumit injussa. O Deus! *ordina in me*  
*charitatem?*

Actus  
charita-  
tis.  
1.  
Agnitio  
Christi  
2. 3.  
Deside-  
rium ser-  
viendi &  
manen-  
di.  
*Luc. 5. 8.*  
4.  
Oblatio  
sui.  
*Cant. 3. 7*  
5.  
Prudens  
charitas  
*c. 2. 4.*

## PUNCTUM VI.

**A**nruit Christus, dicens: *Veni*. 1. Ideò an-  
ruit, quia vidit charitate impelli, & non sibi  
fidere, & resignatum esse contra, reprehensus est



Mat. 26

33.

2.

3.

Phil. 4.

13.

in ultima cœna, quando se ad mortem offerebat, quia suberat præsumptio, & quidam contemptus aliorum: *Etiam si omnes scandalizati fuerint.* 2. Annuit, ut probaret verum, quod eis dixerat: *Confidite, ego sum, nolite timere.* Siquidem virtute illius verbi, *veni*, ambulare faceret super aquas; quin & super basiliscum & draconem, & super mundi fluctus persecutionum. O! dic animæ meæ: *veni*, & erunt omnia pervia. 3. Ubi Christus annuit, continuo Petrus se in mare dedit: ad illius verbum non est hærendum, quia *omnia possum in eo, qui me confortat.*

## PUNCTUM VII.

1.  
Petrus  
timet.

2.

Iuvatur.

3.

4.

**P**etrus periclitatur. 1. Timuit ad ventum validum, præmittente Deo, ne extolleretur: & ut argueretur imperfecta fides, quæ à Christi intuitu deflectebat oculos propter ventum, quæ vacillante, etiam gressus incedentis subsidebat. 2. Discitur, quod qui, Deo probante, adit pericula, Deus ei adest periclitanti, ut jam Petro, nam extendens manum, apprehendit eum; non si temerè, & vanitatis causâ deseritur. 3. Ingresso naviculam Christo cessavit ventus, & statim navis fuit ad terram. Disjicit subito tentationes præsentia Christi, & terræ viventium facit feliciter appellere. 4. Quod Deus initia rerum magnarum reddit facilia, tum difficultates oriri sinat, ad proventum ex tentatione. Tandem consolatur, dum cernitur, quàm multùm per ejus gratiam possumus.

ME.



MEDITATIO XX.

Petrus Divinitatem Christi confitetur. Matt. 16. Marci 8.

PUNCTUM PRIMUM.

**I**nterrogatio Christi? *Quem dicunt homines* Mat. 16.  
*esse Filium hominis?* Lucas ait, quod, cum solus 13.  
esset orans, interrogavit illos: ut intelligatur, 1.  
Christi oratione impetratum esse lumen Petro, Luc. 9.  
& similiter nobis obtinendum esse per oratio- 18.  
nem: *Si quis indiget sapientia, postulet à Deo.* Jac. 1. 5.  
Intelligitur etiam interrogatione factam à divi-  
no Spiritu, ob utilitatem nostram. 2. Interrogan- 2.  
do captavit Christus occasionem manifestandi  
seipsum magis discipulis; quippe quod funda-  
mentum esset salutis: & ipse dixit: *Hæc est vita* Ioan. 17.  
*æterna, ut cognoscant te verum Deum, & quem*  
*misisti Iesum Christum.* Deinde discatur non es-  
se abs re, opiniones hominum de nobis aliquan-  
do cognoscere, ut defectus corrigamus, bona  
autem existimata acquirere, aut acquisita per-  
ficere studeamus, non ad vanitatem. 3. Christus 3.  
*Filium hominis* se nominat vulgari & vili appel-  
latione, ne affectem à dignioribus titulis appel-  
lari. Unde mox exaltatur, dum *Filius Dei* pro-  
nuntiatur à Spiritu Sancto.

PUNCTUM II.

**O**piniones de Christo. 1. Apostoli non refe-  
runt quod Samaritanus, vorax, & potator, 1.  
V 5 & pec- Tacent  
nias. calum-



- & peccatorum amicus diceretur, quia invidiosa sunt tacenda, ne exasperentur animi, & Christus, quid turbæ dicerent, requirebat, ut Lucas habet, non quid Scribæ, & Pharisei. 2. quod homines circa Dei notitiam facile errent, quod Diabolus procurat, ut captivos teneat in peccatis. Propterea *Captivus ductus est populus meus, quia non habuit scientiam. Et, qui ignorat, ignorabitur. O, repleatur scientia Dei terra!* 3. Qui errant, ferè detrahunt Deo aliquid, dum suo judicio metiuntur infinitum, ut cum *Ioannem*, aut *Eliam* eum dicunt, qui erat Deus: pejus, qui Samaritanum, aut Dæmonium habentem; isti sanctitatem, illi potestatem Christo adimenes.
4. Mali etiam Christiani practicè ostendunt, se malè de Deo sentire, ut cum ex præsumptione misericordiæ illius peccant, aut ex metu justitiæ animum despondent. 5. Simile quid etiam evenit spiritualibus hominibus, quando suum spiritum volunt esse omnium, quasi non essent varius spiritus, modique serviendi Deo ab ipso inspirari, cum scriptum sit: *Spiritus intelligentiæ sanctus, unicus, multiplex.* Et hi igitur quasi Deo aliquid subtrahunt, & limitant ejus sapientiam.

## PUNCTUM III.

- C**onfessio Apostolorum. *Vos autem, quem me esse dicitis?* 1. Quærit, jam ex iis, tanquam melius institutis, & quærit, ut magis eos confirmet. Quæram ego ex anima mea, quid de Christo,



Christo, ejusque virtutibus, & quàm sublimiter sentiat. 2. Cùm omnes interrogarentur, prævenit Petrus respondere, tum ob fervorem & zelum, pro Magistri honore; tum quia Christus specialiter illum movit, dando extraordinarium lumen illius fervori. Tanti est cum fervore agere, sed humilitate servata, ne te præferas. 3. Confessio. Petri tu, qui ab aliis Elias, vel Baptista, vel Propheta haberi, es Christus, ille Messias, Iudæis promissus, ille desideratus gentibus, ille Sacerdos æternus secundum ordinem Melchisedech, ille Propheta, quem audire omnes debent, ille Sanctus Sanctorum, ille unctus oleo justitiæ præ participibus suis. Ad hæc: Tu es Filius Dei vivi. Non Christus, ut alii etiam vocârunt, sed Christus Filius Dei vivi, quippe vitalem habentis generandi virtutem, & generandi sibi consubstantiali Filium, & ideo es Filius non adoptivus, sed naturalis.

#### PUNCTUM IV.

Comprobatio confessionis. 1. ait: Beatus es, nam fundamentum beatæ vitæ est, nōsse Christum. 2. Simon, quod significat obedientem, Barjōna, quod est filius columbæ, seu filius Ioannis, quod est gratiæ, omnia quadrant in rem præsentem, in qua Petrus se talem exhibuit. 3. Quia caro & sanguis non revelavit tibi. Non est humani captus. 4. Sed Pater meus qui est in Cœlis, quo proficitur se verè talem esse

2.  
Petrus  
primò  
respon-  
det.

3.  
Tu es  
Christus  
Aggæ. 2.  
8.

Ps. 109.  
4.

Filius  
Dei

1.  
Beatus.

2.  
Simon.

3.  
Non na-  
turaliter

4.  
esse



Sed à Deo, esse *Filium Dei vivi*; siquidem agnoscit à Patre cœlesti venire hanc confessionem.

## PUNCTUM V.

Merces S. Petri, 1. **R**emunerationis confessionis continet plures prærogativas. 1. Impositio nominis *Petrus* seu *Petra* quam significat *Cephas*, & prædixerat Christus, ita aliquando vocandum. *Ioan. 1.* Nec nomen inane tribuit sive absque soliditate veræ petræ, qualis esse debet fundamentum. 2. *Et super hanc Petram edificabo Ecclesiam meam.* Procul dubio super hanc, quam nominaverat *Petram*; nominaverat autem seipsum *Simonem*. Constituit igitur illum Ecclesiæ militantis fundamentum & caput visibile, post ipsum Christum. 3. *Et porta inferi non prævalebunt adversus eam;* Quippe fundatam à sapiente architecto, non super arenam, sed super *Petram*. Certe reddimur de soliditate hujus petræ, ut nec flumina, nec venti, nec imbres possint eam subvertere, Christo ipso fortitudinem impertiente petræ fundamentali. 4. *Et tibi dabo claves regni cœlorum.* Clavem scientiæ, ad veritates fidei proponendas & declarandas sine errore; & clavem potestatis, ad remittenda peccata, & omne impedimentum auferendum, quo arcemur à cœli ingressu. Atque hæc Petro data sunt propter Ecclesiam ipsam, & ita propter me.

ME-



MEDITATIO XXI.

Transfiguratio Christi. Matt. 17.

PUNCTUM PRIMUM.

**C**ur voluit transfigurari? ut latentis gloriæ Causa  
 in carne patibili daret specimen, ut anima- transfi-  
 ret discipulos, spe participandæ similis gloriæ, guratio-  
 ad ferendam crucem: & quia in hac vita nis.  
 Deus facit suos prælibare æternam, de quo di-  
 xerat: *Sunt de hic stantibus, qui non gustabunt* Matt.  
*mortem, donec videant Filium hominis in re-* 16. 28.  
*gnosuo.*

PUNCTUM II.

**T**empus, & locus. Tempus fuit in medio Deus ci-  
 cursu prædicationis suæ. Deinde, sex die- tò dat.  
 bus interjectis, ex quo hortatus est ad crucem,  
 promiserat, *Aliquos visuros regnum Dei ante* Marc. 8.  
*mortem.* Non diu differt promissa Deus, & quic- 29.  
 quid est, hora est. Sex dies significant tempus  
 præsens, post quod sequitur sabbatum requiei. In soli-  
 tudine Deus.  
 Locus fuit mons segregatus; quippe Deus se  
 communicat segregatis à curis mundi, & celsi-  
 tudinem perfectionis conscendentibus. Quis ps. 54.  
*ergo mihi pennas dabit & volabo? ecce elonga-*  
*vi fugiens, & mansi in solitudine tibi ad cor lo-*  
*quitur Deus.*

PUNCTUM III.

**Q**ui spectatores? tres fuerunt ferventiores: Socios  
 ut constet non omnibus justis impartiri ex- elegit  
 traor-



ferven- traordinarios hōsce favores; & quia, si omnes, resu-  
tissimos. etiam ludas debuisset participare: nam solus ratur  
prætermitti, absq; nota, nequibat. Sed neque ebor  
semper ferventioribus ista dantur, sed pro dispo- rubi  
sitione divini consilii, ne quis despondeat ani- electi  
mum, si posthabeatur. Certè Andreas, ex præ me,  
3. Disci- cipuis, non adfuit. In tribus discipulis designan- tæ  
puli. tur tres virtutes, quæ eminere debent in ora- ne!  
3. Virtu- tione, ut anima transfiguretur. In Petro viva mti  
tes The- fides, in Iacobo spes firma, in Ioanne charitas at- dan  
ologicæ dens. *Emitte Domine lucem tuam & veritatem*

*Ps. 42. 3. tuam, ipsa me deducet & adducet in montem*

*sanctum tuum, & in tabernacula tua.* inter o-

Oratio-  
nis vir-  
tus,

randum Christus transfiguratus est: Ibi partici-  
pantur tales gratiæ, splendet facies ab illustra-  
tionibus divinis, radióque mittit suavissimo-  
rum affectuum, candescit vestis ab operibus sine-  
cerissimæ intentionis. Denique transformatur  
2. Cor. anima, ut dicit Apostolus, *Revelata facie glori-*  
3. 18. *am Domini speculantes in eandem imaginem*  
*transformamur à claritate in claritatem.*

#### PUNCTUM IV.

Gloria  
Iesu  
Splend-  
dor.

**M**odus Transfigurationis. Gloriam corpo-  
ri debitam continuerat Divinitas, quam  
nunc effundit in corpus. *Facies resplenduit ut sol,*  
*vestis, ut nix:* Excessit gloria utrumque: sed non  
habuit aliquid majus, cui eam compararet: Gra-  
tulabor Christo, & sacro ejus corpori, cui ad  
modicum tempus impertita est gloria, quæ post  
resur-



resurrectionem fiet æterna. Hic est verè Naza-  
 reus, *Candidior nive, nitidior lacte, rubicundior Thren.*  
*ebore antiquo, & sapphiro pulchrior. Candidus & 4. 7.*  
*rubicundus, electus ex millibus, pulcher ut luna, Cant. 5.*  
*electus ut sol, 10. c. 6.* ô Domine! & hac gloria, propter  
 me, fraudâsti carnem tuam per omne tempus vi-  
 tæ mortalis! quantum ideo tibi debeo, ô Domi-  
 ne! quid ni ego tunc carnem meam privem o-  
 mnibus jucunditatibus, ut vicem aliquam repen-  
 dam.

## MEDITATIO XXII.

*Consecuta Transfigurationem.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**M**Oyses & Elias circumstant Christum, ideo Moy-  
 ses & Elias.  
 si potissimum, quod notiores, & à san- & Elias.  
 ctitate celebriores, quod maximè zelantes pro  
 lege & populo Dei, quod quadragenario jejunio  
 & accessu ad montem, ubi divinorum myste-  
 riorum & Incarnationis Dominicæ participes  
 facti sunt, in primis excelluerunt. Visi autem ipsi  
 sunt in magna gloria ad ipsius Christi majorem  
 honorem, cui famulabantur, & ut intelligere-  
 tur justos fore similes suo capiti. Quæ illorum  
 lætitia, viso Redemptore! quas egerunt gratias,  
 quam reverenter adorarunt! *Loquebantur au- Luc. 9.*  
 tem cum Christo *de excessu, quem completurus 31.*  
*erat in Ierusalem, de passione & morte: verè*  
 fuit excessus dolorum, sed & meritorum ac sa-  
 tis-



De pas-  
sione a-  
gunt in  
gloria.

tisfactionum, supra totum debitum generis hu-  
mani, excessus denique amoris, quo indigni es-  
sumus: alioqui excessus è vita intelligitur. Sed  
quorsum in gloria mentio passionis? Sic illam  
amabat propter nos: & docemur consolationes  
esse ferendas, ad patiendum fortiter pro Chri-  
sto, quod quantumcumque erit, excessus non  
erit; sed multò infra debitum nostrarum cul-  
parum, infraque vicem debitam illius amoris.

## PUNCTUM II.

*Luc. 9.*

32.

Aposto-  
li dor-  
miunt  
interim.

*Eecl. 7.*  
9.

**Q**uomodo se habuerint Apostoli, *Gravati  
erant somno.* Cœperunt cum Christo ora-  
re, sed victi sunt. Ita contingit tepidis, qui pro-  
inde in oratione sua non transfigurantur, sicut  
ti fervidi, quibus convenit illud: *Melior est finis  
orationis quàm principium*, quia in fine mutan-  
tur: tepidi remittunt, & sic fraudantur conso-  
latione & fructu.

*Luc. 9.*

32.

Dulcedo  
celestis  
gandii.

*Pf. 30.*  
20.

*1. Cor. 2.*  
9.

*Phil. 3.8*

*Cum evigilantes vidissent majestatem Christi,  
& duos viros cum illo, atque hi pararent abire:  
Petrus obstupescens ait ad Iesum: Faciamus hic  
tria tabernacula.* Proh, quanta erit cœli jucundi-  
tas, quando sic Petrus captus est, vix tenuissimo  
illius iudicio, ut sedem ibi æternam figere vel-  
let, oblitus rerum omnium: *Quàm erit magna  
multitudo dulcedinis tue, quàm abscondisti,  
quàm oculus non vidit, nec auris audivit, nec in  
cor hominis ascendit!* Præ qua re S. Paulus o-  
mnia detrimentum duxit, habetque pro sterco-  
ribus.



tribus. Sed nesciebat Petrus quid diceret, ebrius à suavitatem spectaculi, & forte, quia volebat impedire passionem, de qua loquebantur, sicut postea fecit, quando & à Christo objurgatus est. Verè nescit, qui dicat, qui hanc vitam putat consolationis esse, cum sit crucis: & moritur, qui discrepare vult à Christo, quem sibi sequendum proposuit.

### PUNCTUM III.

**T**Estimonium de cælo: *Nubes lucida obumbravit eos*: in nube, Spiritus Sanctus intelligi potest, à quo abundantia donorum. Et *lucida* erat, non ut olim, in qua apparebat Deus, nebulosa: quia umbræ cessabant, veritate exhibita. *E nube vox Patris: Hic est filius meus dilectus, in quo mihi bene complacui.* Idem in baptismo. Addit nunc, *ipsum audite*, ad commendandam ipsis doctrinam, qui alioqui dicebat: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me.* In Doctorem nobis datur. *Loquere igitur Domine, quia audit servus tuus.*

Jesum  
hono.  
rant Spi-  
ritus S. &  
Pater.  
Mat. 17.  
5.  
Joan. 7.  
16.  
2. Reg. 3.  
9.

### PUNCTUM IV.

**P**rosteruntur discipuli ad vocem. Bonus spiritus solet initio turbationem incutere, mox pacem. Unde ait: *Surgite & nolite timere.* Quod si placida vox Dei sic commovet, quid illa terrificam judicantis? *Levantes autem oculos, neminem viderunt, nisi solum Iesum.* Sufficit mihi,

X

hi,



Humilis  
Jesus.

hi, abscedant licet omnes, tu me nunquam desere. Prohibuit manifestari visionem, donec resurgeret, ad exemplum humilitatis: unde & factum, ut paucis suam gloriam exhibuerit, qui confundi & mori coram omnibus non erubuit.

## MEDITATIO XXIII.

*Filii Zebedaei petunt primas sedes.*

Marci 10. Matth. 20.

### PUNCTUM PRIMUM.

Marc.  
10. 35.

1.  
Ambitiosi.

2.  
Voluntas propria.

Marc.  
11. 24.

3.  
Conspirant ambitiosi.

Quomodo se insinuant? Magister volumus, ut quodcumque petierimus, facias nobis. Prædixerat Christus de sua Passione, & Resurrectione, sed ad illam non attendentes, ad gloriam tantum Resurrectionis sunt intenti: sic ambitiosi agunt. 2. Modus etiam orandi est ambitiosus, volumus, inquiunt, quasi eorum voluntas debeat esse ratio dandi: nec habent resignationem, quia non addunt; si tu vis, aut expedit. Denique cum præsumptione, Quodcumque petierimus, quasi nihil eis negari deberet, nempe abusi sunt Christi promisso, Quaecumque orantes petitis, credite, quia accipietis. At petitio nasci debet ex amore Dei, non suimet, & quæri debet ejus gloria, non propria. 3. Conspirant ambrosi fratres in vitium ambitus, & matris utuntur officio, Quæ accessit cum filiis adorans, pro reverentia, ad captandam gratiam. Solet ambitio velle



velle se occultare, quare dicitur in Psalmo: *Negotium ambulans in tenebris.* S. Bern.  
serm. in  
Psal. 96.  
Ps. 90.6.

## PUNCTUM II.

**E**Xprimitur petitio. Christus ait: *Quid vultis, ut faciam vobis?* sciebat ipse, sed volebat ut ipsi ulcus aperirent suum. Nec promisit se facturum, quicquid illud sit, quia non expedit, sicut Herodes fecit saltatrici. Petunt, ut unus à dextris, alter à sinistris sedeant in regno Christi. Tantum erant solliciti de Petro, ne sibi præferretur: ideo ambo loca petunt, illo autem excluso, inter ipsos certamen fuisset de dextera: sic ambitio est inquieta. Quam melius sequi Christi consilium, eligendo novissimum locum, unde pax animi, & humilitatis fructus reportatur. Nota quod ambitio circa corporalia & spiritualia quoque versatur. Isti fratres si putabant, Christi regnum fore corporale coram Iudæis, talem primatum affectabant; si spirituale, etiam in illo præminere volebant, non tam sanctitate, quam honore.

## PUNCTUM III.

**C**hristus redarguit petitionem. *Nescitis quid petatis.* Errores in orando. 1. si quid terrenum petatur, sine resignatione 2. si aliquid excellens, licet spirituale petatur sine resignatione & non pura intentione. 3. si quid valde extraordinarium, ex ignorantia, aut humilitatis defectu, ut revelationes, & singulares favores. 4. Si talia,

X 2

non

Petitio.

Contra  
Petrum  
conspira-  
rant.

Excel-  
lentiam  
in spiri-  
tualibus  
& tem-  
porali-  
bus qua-  
runt.

Vitia or-  
rationis.

1.

2.

3.

4.



5. non se aptos prebendo, sed precibus tantum contendendo, petantur. §. si quæ certaminis sunt præmia, citra illud petantur. Ex aliquo horum defectu redarguta est petitio duorum discipulorum juxta varias interpretationes. Cavebo, gratiam petam orandi, sicuti oportet.

## PUNCTUM IV.

1. **C**hristus ostendit defectum petitionis: *Potestis bibere calicem, quem ego bibo? aut baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* 1. Beneficium est, non tantum petita dare, sed negare etiam docendo, quid, aut quomodo oporteat perere. Ut cum iisdem petentibus, ut ignis descenderet in Samaritas, respondit: *Nescitis cujus spiritus estis: Filius enim hominis non venit animas perdere, sed salvare.* 2. Suaviter eis ostendit viam ab exemplo sui, qua perveniant ad loca quæ sita, & efficacem rationem insinuat. Nam si ipse calicem debuit bibere, quomodo non servi? 3. Calicem & baptismum vocat passionem suam, & more, quo solebant olim malefactores vel venenato poculo, vel aquis suffocari. Per quæ etiam significatur duplex passionum genus, internarum animæ, & externarum corporis: ait autem: *Quem ego bibo*: quia in desiderio semper ei erat, & re proximè erat bibiturus. 4. Est triplex calix, passionis, gloriæ, pœnæ: ad primum hortatur nos, ut secundum participemus. Age, anima, bibe. Cogitabo quæri ex me: Potésne excutiam me ipsum.

PUN.



PUNCTUM V.

**C**onsentiunt & dicunt : *possumus*. 1. Talis promptitudo oritur aliquando ex ambitionis spiritu, quo ita ferimur in optata, ut difficultas etiam media non recusemus. 2. Ex fervore inexperti, ut dulce bellum inexpertis : atque generatim solum ad patiendum, quod sic non tantopere perterret. 3. Ex spiritu divino, quo *omnia possumus in eo, qui nos confortat*. Porro beneficium Dei est, cum calicem suum alicui bibendum propinat, uti his fratribus, quorum alter martyrium obiit, moriendo ; alter patiando tantum : ut & ordo Martyrum, & alter Confessorum comprobaretur. Ad eorum promptitudinem bibendi respondet Dominus : *Bibituros quidem*, sed dare primas sedes, non esse suum, sed debentibus, quibus paratae sunt à Patre. Ubi sapienter non rejicit illos à petito gradu, sed docet, non respectu propinquitatis, aut gratificandi gratiam perentibus illum concedi, sed juxta divinam dispositionem, quæ destinavit eum magis merentibus, è quibus si fuerint, etiam adire poterunt.

1.  
Offerre  
se super-  
bè.

2.  
Inconfi-  
deratè.

3.  
Spiritu  
Dei.  
*Phil. 4.*

3.  
Sola me-  
rita ex-  
tollunt.

PUNCTUM VI.

**I**ndignantur reliqui Discipuli : Mirum ! cum laudissent objurgatam fratrum ambitionem, ipsi in idem vitium incurrunt, indignantes, quod illi præferri se ipsis voluerint. Sed mansuetissimus Dominus adscitos omnes admonet exemplo duplici proposito, altero terrenæ potestatis, quæ in eo ponit excellentiam, ut dominetur ; id-

Ambitio  
pestis  
serpit.

X 3

que



Christū  
sequere.

que est fugiendum : altero sui, quod imitari debeant. Nam cū Dominus esset & magister, pro ministro se gerebat, neque principari aliis quærebat, sed salvos facere suo sanguine. Ita, qui præstat dignitate, non amet exercere imperium, sed servire utilitati suorum.

## MEDITATIO XXIV.

*De Lazaro mendico, & de Epulone.*

Lucæ 16.

### PUNCTUM PRIMUM.

1.  
Lazari  
patien-  
tia appa-  
ret ex  
quatuor.

2.

3.

4.

**L**azari vita fuit exercitium patientiæ, qua sanctitatem perfectam est consecutus. 1. toto corpore ulcerosus, ut se movere non valens, ad januam divitis jaceret : & ferebat, confortans se divinæ voluntati. 2. extreme pauper. 3. ita desertus, ut, cū saturari vel de micis vellet divitis, nemo ei daret. 4. tam miser, ut canes lingerent plagas, nec abigere posset. Vel, si indignata canibus pietate faciebant, poterat inde eo magis cruciari, quod homines essent iis crudeliores. Typus fuit Christi : singula illorum pati, est tolerabile, quando aliunde suppetit solatium : at omnia simul, id est omni penitus levamine carere.

### PUNCTUM II.

Ps. 115.  
15.  
Mors  
Lazari.

**M**ors Lazari : vilis coram hominibus, pretiosa autem in conspectu Dei : quando &



Angeli, non unus, sed plures, portaverunt animam illius in Abraha sinum, incredibiliter exultantem, cui gratulabantur: *Moriatur anima mea morte justorum, & fiant novissima mea hominum similia.* At nunc quanta gloria fruitur in caelo? *Momentaneum & leve tribulationis, supra modum in sublimitate, aeternum gloria pondus in ipso operatur.* Ulcera, paupertas, desolatio, miseria, transire omnia: succedere his contraria, & quidem supra modum, & aestimationem mortalium.

## PUNCTUM III.

**H**onor Lazaro habitus à Christo. 1. Ut nomen illius proderet, ad memoriam sempiternam, cum divitis suppresserit: ut intelligent justi, quamvis contempti, curae se esse Deo, & in tempore ab illo honorandos. Ubi nunc forent Francisci, & similium nomina, nisi sanctitas Deo illos probasset? 2. Quod Christus canonizavit Lazarum, ut pro Sancto haberetur & conlureretur. *Nimis honorati sunt amici tui, Deus, ps. 138.* Idque facit potissimum ob meritum patientiae, quae praecipuum est sanctitatis argumentum. Nam qui se subicit ita Deo, ut omnia ejus causa ferat patienter, quomodo non in aliis omnibus eidem obediat? Itaque in Sanctis tria haec spectanda sunt? *Vita, mors, honor à Deo habitus.*

Id  
In hac  
vita ho-  
noratur  
Lazarus.

2.  
Canoni-  
zatur.

ps. 138.

17.



## PUNCTUM IV.

Vita Epulonis  
& vitia.

**O**pposita vita Epulonis : ad fastum induebatur purpura, & splendida exhibebat convivium, ob mollitiem induebatur bysso, & indulgebat genio. Avarus & crudelis in pauperes, & similes habens famulos, qui nec de micis darent, peiores ipsis canibus. Hunc proinde Christus detestatus, nec nominare quidem voluit, *Ecel. 41. quia Nomen impiorum delebitur.*

14.

## PUNCTUM V.

Mors infelix.

**M**ors Epulonis misera : *Ducunt in bonas dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Mortuus, inquit, est dives, & sepultus est in inferno.* Hic finis divitiarum, deliciarum, superbiæ. *Quid nobis profuit superbia, & divitiarum jactantia quid contulit nobis?* Quanta incurrit tormenta, exposuit Christus. 1. Pro purpura & bysso operiebatur flammis. 2. Pro gula, siti cruciabatur intolerabili. 3. Pro immisericordi pectore, non impetravit vel guttam aquæ ad refrigerium. 4. Super hæc videbat Lazarum in sinu Abraham gaudentem. Discimus supplicia respondere qualitati culparum.

Job. 21.

13.

Sap. 5.8.

Cruciatusejus.

1.

2.

3.

4.

## PUNCTUM VI.

Pro voluptate  
hujus vitæ  
gehennam  
subit.

**I**ustum Dei judicium erga utrumque : nam respondit Abraham diviti : *Fili, recordare quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala : nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris.*



vis. Quasi utrobique nequeat esse eadem fors, vi- Contrà  
ces mutet. *Tu recepisti bona*, quibus abusus es Lazarus.  
fruendo, iste mala, qui patienter ferendo conso-  
lationem promeruit. O malim pati in hac vita!  
siquidem ita fit: sed quod gravissimum est, ju-  
dicium hoc est immutabile. *Magnum chaos in-*  
*ter nos & vos firmatum est*: ut non detur com-  
meatio in æternum & ultra. Petit saltem mo- Omnia  
neri fratres suos, ut caveant sibi à simili casu: non malis  
ex charitate fratrum petit; sed quia sibi futuri coope-  
essent ad pœnam, quos malo exemplo corru- rantur  
pisset: sic omnia in malum malis cooperantur, in pœ-  
bonis autem in bonum. Negatur ei hoc ipsum, nam.  
quia plus valere debet Prophetarum auctoritas,  
quàm apparentium ex mortuis testificatio. Et  
si Scripturæ sacræ non credunt, faciliùs elu-  
dent apparitiones. Infigam cordi meo divinæ  
Scripturæ serias comminationes, ut non peccem  
Deo.

DE MIRACULIS A CHRISTO FA-  
ctis circa homines, vel animis, vel cor-  
poribus consulendo, vel  
utrisque.

## MEDITATIO XXV.

*De Conversione Magdalene. Luc. 7.*

### PUNCTUM PRIMUM.

**S**Tatus Magdalene. *Erat in civitate pecca-* Pecca-  
*trix*: palam talis: & de luxuria intelligi so- trix.

X 5

let,



*Eph. 5. 33* let, licet non nominetur: nam nec nominatur, vult Paulus, nedum esse. Eriam dicitur; *ejecisse* *Marc. 16. 9.* *ex ea septem demonia*, quasi universalitatem criminum, & speciatim illa septem lethalia, quorum est diabolus instigator. Hæc tamen invenit remedium: ne diffidam, dum imitor penitentem.

*Occasio* Credendum eam audisse Dominum concionantem, & illius mansuetudine cognitâ, ausam esse; sed præsertim intus illustratam, ut intelligeret, quàm præstaret illum amorem à creaturis in Creatorem convertere. Atque istud est

*Osea 11. 4.* *trahi in vinculis charitatis*: & obedivit festinanter, non expectato tempore, vel loco opportuno, *irruit convivio*.

*Eccl. 5. 8.* *Non tardes converti ad Dominum, nec differas de die in diem. subito enim veniet ira illius.*

## PUNCTUM II.

*1.* *Magdalena* *Fides.* **F**ervor pœnitentiæ. 1. Elucet rara fides de Christo, quòd Deus esset, qui posset peccata remittere, & quod cordis arcana nôsset: unde illa nihil protulit verbo. Sola hæc legitur accessisse ad Christum pro animæ remedio. 2. *Humilitas.* Humilitas, quâ posthabuit confundi ab hominibus, & *stetit retro secus pedes*, indignam se ducens conspectu Christi. 3. *Amoris vis.* Vis amoris cum dolore & devotione, ut ex signis apparebat: *Lacrymis pedes Christi rigabat*, deplorans malos suos gressus, & lavari gratia Christi cupiens: *tergebat capillis*, ut abstergerentur culpæ: *osculabatur*,



tur, ut pacis & reconciliationis osculum impetraret: ungebat, ut ungeretur ipsa meliori unguento virtutum, absterfo fœtore vitiorum. 4. <sup>4.</sup> Fecit instrumenta pœnitentiæ, quæ fuerant vanitatis, capillos, unguenta, oculos; implens illud: *Sicut exhibuistis membra vestra servire iniquitati & iniquitati ad iniquitatem, ita nunc exhibete servire justitiæ in sanctificationem.* Et illud: *Sicut fuit sensus vester, ut erraretis à Deo: decies tantum, iterum convertentes, requiretis eum.* <sup>Pœnitentia. Rom. 6. 19. Bar. 4. 28.</sup>

## PUNCTUM III.

**J**udicium temerarium Pharisei duplex: 1. de Christo, quod non esset Propheta, siquidem ignoraret qualis esset mulier; vel si nōset, quod tangi ab ea se permetteret: scilicet erat ex illis, de quibus Isaias: *Qui dicunt, recede à me; non appropinques mihi, quia immundus es:* de quibus subdit: *Isti fumus erunt in furore meo, ignis ardens tota die:* Sciebat igitur Dominus, qualis esset: sed tangi sinebat se, ut illa inde sanctificaretur. 2. Judicium temerarium de muliere, quod perseveraret esse peccatrix, cum ex signis colligere deberet contrarium. Et sunt tales, qui quem semel apprehenderunt esse malum, de eo nunquam bene sentiant, quibuscunque in contrarium indiciiis datis, quod maximè Superiores vitare debent: nam præbent subditis desperandi occasionem. Et alienum est à bonitate Dei, qui pœnitentem restituit primo favori.

PUN-



## PUNCTUM IV.

Sapien-  
tia Chri-  
sti cor-  
ripientis

2. Reg.  
12.

1.  
Deus  
creditor.

2.  
Homi-  
nes de-  
bitores.  
ps. 18.  
14.

3.  
Redde-  
re nil  
valent.

**C**hristus utitur parabolâ ad redarguendum Phariseum pro Magdalena, qui tamen intra se tantum cogitaverat, quod non esset Propheta: ostendit autem Christus se esse, ut etiam cogitationes Pharisei pervideret, & ipsos Magdalene affectus, unde pro hac contra illum pronuntiat. Utitur prudentia singulari, quasi venia petita, *Simon, habeo tibi aliquid dicere*: nec statim redarguit, sed insinuat se per parabolam: ita & *Nathan ad Davidem*. Nempe magnates, & qui sunt auctoritatis alicujus, debent modeste admoneri.

Parabola est de duobus debitoribus. 1. Creditor est Deus, apud quem peccatores sunt rei poenae, & non potest decipi aut declinari. 2. Debitorum sunt homines pro varietate criminum, inter quos me ponam. Et latent nos debita, quæ minimè creditorem, pro quibus orabat: *Ab occultis meis munda me Domine*. 3. Non habemus unde reddamus, nisi per merita Passionis Christi, propter quem nobis omnia condonat, ut inde provocet ad redamandum, & pendet hoc ex intima cognitione & æstimatione culparum, quas superbi minus ponderant, minùsque se debitores agnoscunt, atque adeò minus amant. Magni autem peccatores, à Deo illuminati, pro merito æstimant remissionis beneficium: unde plus amant.

PUN-



## PUNCTUM V.

Christus applicat parabolam. 1. Ait: *Vides hanc mulierem?* ab exemplo peccatricis confundit superbum, qui se justum existimat, sicuti alibi ait: *Publicani & meretrices precedunt vos in Regno Dei.* Et fit ut peccator per ferventem conversionem assurgat ad altiore gradum charitatis, quam justus tepidus per multos actus similes: & hoc est, *abluere sordes in spiritu in judicii, & spiritu ardoris.* 2. Sic applicat: Hæc mulier multum se debere agnoscit, ideoque multum amat, ut ei remittatur debitum. Igitur, *remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum.* Quod autem multum amet, indicio sunt quæ agit: qualia tu mihi non exhibuisti.

1.  
Confundit Pharisæum.  
Matt.  
21.31.

Isa. 4. 4.  
2.

## PUNCTUM VI.

Christus alloquitur mulierem: *Remittuntur tibi peccata:* haud dubiè plenissimè, etiam quoad omnem pœnam. Quo gaudio excepit! Et nobis in Sacramento idem fit, si dispositione simili accedamus, cum eadem verba proferuntur. Cum audientes mirarentur, modestè Christus beneficium remissionis refert ad fidem mulieris. Cumque illa nec ita avelleretur à Christo, iussa est abire: *Vade in pace.* Et non addit. *Noli amplius peccare,* quia sic culpas remisit, ut victoriam etiam de pravis passionibus ei largiretur in posterum.

Absolutio Sacerdotis

ME-



## MEDITATIO XXVI.

*Conversio Samaritana. Ioan. 4.*

## PUNCTUM PRIMUM.

1.  
Ioan. 4.  
6.  
Iesus it  
pedes.

1. **F**atigatus ex itinere, sedebat sic super fontem, hora erat quasi sexta. Pedes iter faciebat, & cum labore quærebat ovem perditam. Gratias agam, compatiar fatigato propter me, non defugiam similes labores, propter animas.

2.  
Sedet ut  
venetur.  
Sap. 6.  
14.  
Isa. 65.  
1.  
3.  
Provi-  
dentia  
Dei.

2. Sedebat super fontem, non tam captans suam quietem, quam occasionem benefaciendi. *Præoccupat, qui se concupiscunt, ut illis se prior ostendat: & ut apud Isaiam: Qui non quæsi- runt me, dixi: Ecce ego, ecce ego.* 3. Licet mira- ri arcanum Divinæ providentiæ in disponendis occasionibus ad homines lucrandos, ut in hac muliere peccatrice, nil tale cogitante, nisi, ut aquam domum ferret.

## PUNCTUM II.

1.  
Sititani-  
mas.

2.  
Homo  
parcus  
Dco.

**C**hristus petit aquam. 1. A Samaritana, *Da mihi bibere.* Sitiebat quidem ille, quia fatigatus, & in meridie: at magis animam sitiebat. ô si exhibere illi multas queam! exhibebo meam; bibe, ô Domine, quantum libet. 2. Recusat mulier, imò accusat, *quomodo tu Indæus cum sis, bibere à me pascis?* Sic plerique gerunt se erga Deum, ab eis aliquid flagitantem, sive per inspirationem, sive per legem suam, sive per Superiores, sive per pauperes egentes, & præ-  
textunt



texunt excusationes futes : nimirum, non ex-  
pendunt, quis est, qui ab eis petit. 3. Non ex-  
cerbatur Dominus responso, sed provocat et-  
iam ad petendum vicissim à se meliora : *Si sci-*  
*res donum Dei*, quale ac quantum possim tibi  
dare : & quis sum ego, qui peto à te, utique non  
præbuissem tantum mihi aquam, sed aliam à me  
meliozem flagitasset, aquam vivam, quam &  
dedissem tibi pro ingenua liberalitate. Ubi ob-  
serva, quod ait, *forſitan petiſſes*, quia nihilo-  
minus fuisset tibi liberum : at dedissem petenti,  
sine debito. O sciam & intelligam doni huius  
magnitudinem, & offerentis dignitatem, &  
petam instanter. *Erubescat*, ait D. Augustinus,  
*humana pigritia, quia plus paratus est Deus da-*  
*re, quam nos accipere.* Sed vicissim, quod ille  
à me petit, dabo cor meum, me ipsum : & sic e-  
rit *dilectus meus mihi, & ego illi.* Ille mihi do-  
num, ego ipsi.

3.  
Provo-  
cat Chri-  
stus ava-  
rum.

Cant.  
2. 16.

### PUNCTUM III.

**Q** Valem aquam Christus promittat. Mulier  
ut animalis putabat de aqua communi  
Christum loqui : ait enim : *Neque, in quo hau-*  
*rias, habes, & puteus altus est : unde ergo habes*  
*aquam vivam ?* At Dominus à corporalibus ad  
spiritualia assurgere nos docet ; & proprietates  
corporearum rerum in spiritualibus excellen-  
tius quærere, absque imperfectionibus corpo-  
ralibus. Igitur hæc aqua præstat. 1. quia non ad  
tempus mitigat sitim, sed perpetuò : *Non sitiet in*  
*eter-*

Ascendit  
Christus  
ab aqua  
naturali  
ad cœle-  
stem.  
Ejus pro-  
prietates

1.

eter-



2. *æternum.* 2. Quia ita explet sitim, ut aliam quam non appetat, puta terrena bona, quæ non sic satiant, imò fastidium etiam pariunt: non hæc aqua. 3. Fit scaturigo in ipsa anima, ut semper fluat: habet enim Spiritum Sanctum in se, qui est fons donorum, quem qui accipit: *flumina de ejus ventre fluent aquæ vivæ.* Tanta videlicet copia augebitur semper donis. Habet hoc gratia, ut impellat ad proficiendum. Er hoc est: *Qui bibunt me, adhuc sitient.* 4. *Salit in vitam æternam:* illuc desideria attollit, & est illius pignus, & manet etiam in illa vita: non item fides; & spes, & quæ dicuntur gratis data, *Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ evanescunt, siue lingua cessabunt, siue scientia destruetur.* Atque de hac aqua prædictum est: *Haurietis aquas de fontibus Salvatoris, quæ sunt Sacramenta.* Samaritana accenditur desiderio hujus aquæ, sed adhuc carnaliter intelligit: *Domine, da mihi hanc aquam, ut non sitiam, neque veniam huc haurire.* Ego verò spiritu alteram desiderabo, & petam.

## PUNCTUM IV.

Praxis  
reducen-  
di Sa-  
marita-  
nam.  
Confes-  
sio Sa-  
marita-  
næ.

**D**isponit Samaritanam ad percipiendam aquam gratiæ, nam aperit ulcus peccati, ut se agnoscat: *Vade, voca virum tuum:* Præfert hæc mulier eas animas, quæ sensibus serviunt totæ, in quinque viris significatis. Illam admonitionem æquo animo accepit, imò ex eo habet Christum pro Propheta. Bonum initium conversionis.



versionis agnitio culpæ. *Quam bonum est, cor- Eccl. 20.  
reptum manifestare pœnitentiam! sic enim effugi- 4.  
et voluntarium peccatum.* Deinde vult instrui Fides.  
in fide: *Patres nostri in monte hoc adoraverunt;  
& v. s. dicitis, quia Ierosolymis oportet adorare, &  
hoc pœnitentiæ signum.* Respondet autem  
Dominus, finiendas mox priscas cæremonias, &  
adorandi ritum, ut de ijs non oporteat esse sol-  
licitos, adventare tempus, cùm non amplius in  
illis corporalibus umbris & figuris adoretur  
Christus Deus; sed *in spiritu & veritate*, hoc  
est secundùm rem in illis præsignatam. Talis Adorã-  
adoratio est sacrificium incruentum. Locus tio qua-  
adorationis est omnis, quia ubique Deus. *Volo,* lis.  
inquit Paulus, *viros orare in omni loco, levantes 1. Tim.  
puras manus.* Deinde interiora cordis: *Intra 28.  
in cubiculum tuum, & ora Patrem tuum in ab- Matt. 6.  
scondito.* *In spiritu* fit, quando Spiritu Sancto  
nos docente, & movente, & *in veritate*, quæ est  
Christus, quando excitamur ad ejus imitatio-  
nem. Item *in spiritu*, non externo tantùm  
habitu, aut voce, sed affectibus internis fidei,  
spei, amoris, obedientiæ, humilitatis, quod et-  
iam est. *in veritate adorare*: nam externa, si-  
ne his, ficta, non vera est adoratio.

# PUNCTUM V.

**M**ira conversio Samaritana. Non satis ap- Revelat  
prehenderat Christi verba, unde ait; *Scio se Chris-  
quia veniet Messias: cùm ergo venerit, annun- stus.  
tiabit nobis omnia.* Vel ex his etiam colligi-  
Y tur,



tur, quod intellexerit: verba Christi de alia adoratione pertinere ad tempus Messiae, & idem est ac si diceret, tunc de his cognoscemus: interea est nobis quaestio de loco adorationis pro hoc tempore. Quare Christus ei aperuit, jam venisse tempus Messiae: *Ego sum qui loquor tecum*: peccatrici mulieri tam disertè aperit mysterium, quod superbis Phariseis tectè. In quo insunt plura. 1. quòd mulieris mentem ita il-

1.  
Contritio.

2.  
Gratia.

3.  
Fervor.

4.  
Humilitas.

5.  
Prudentia.

6.  
Multos convertit,

lustraverit & moverit, ut sine dubitatione crederet id statim. 2. quòd aquam gratiae prae-  
buit. 3. quòd tanto fervore accendit, ut oblita aquae & hydriae, accurreret nuntiatum aliis. 4. sic humilem reddit, ut non dubitaret prodere sua peccata, ut probaret Christum esse Prophetam, qui sibi secreta manifestasset propria. 5. quod prudenter, non affirmat, sed quaerit: *Numquid ipse est Christus*: & ita facilius ad inquirendum inducat, etsi ipsa non dubitabat. 6. tantam ejus verbis gratiam dedit, ut multos pertraheret.

## PUNCTUM VI.

**D**iscipuli, qui iverant emptum panes, red-  
dentes. *Mirabuntur quod cum muliere lo-*  
*queretur*, scilicet erat insolitum. Esto nobis  
ad exemplum. Et, cum sit ab alijs, ne malè in-

Cibus  
Christi,  
voluntas  
Dei.  
Samaritani

terpretemur, sicut nec Apostoli. Renuit man-  
ducare, quod alium cibum expeteret, *facere vo-*  
*luntatem Patris* in hominibus illi lucrandis.  
Sit & meus cibus, non mea voluntas, sed Dei,  
*quem*



quem cibum vos, inquit, nescitis. Nesciunt, qui conver-  
similiter non faciunt. Tandem venientes Sama-  
ritanos excepit benignè, & docuit, ut multi cre-  
derent, mansitque ibi biduo. Dicebant autem  
mulieri, non propter tuam loquelam credimus:  
ipsi enim audivimus, & scimus, quia hic est verè  
Salvator mundi. Tanta vis Christi sermonis,  
cùm nullum fecisse miraculum dicatur.

## MEDITATIO XXVII.

De Adultera. Ioan. 8.

### PUNCTUM PRIMUM.

Pharisæi captant occasionem ex mansuetu-  
dine Christi tentandi ipsum, ut si adulte-  
ram faceret indemnem, prævaricator legis ha-  
beretur. Gratulabor, quod tam mitem habeam  
Salvatorem. Hæc est diaboli & ministrorum e-  
jus calliditas: ut qua virtute quis excellit, in ea  
laqueos tendant: si Zelosus, ad ultionem; si  
misericors, ad nimiam indulgentiam pertra-  
hant. Imitandus Christus, de quo dicitur: Pro-  
pter veritatem, & mansuetudinem, & iustitiam  
deducet te mirabiliter dextera tua. Et, misericor-  
dia & veritas obviaverunt sibi; & iustitia &  
pax osculata sunt.

Pharisæi  
tentant  
Christum.

Ps. 44  
53.

Ps. 84 12

### PUNCTUM II.

Christus ad hæc, inclinans se, digito scribe-  
bat in terra. 1. Id fecit, quasi declinans ju-

Christus  
negligit  
illos.

Y 2

di-

1.



*Luc. 12.* dicitum : ut cū aliàs dixit : *Quis me confituit Indicem, aut divisorem super vos ?* Et quod  
*14.* *2. Tim.* Paulus : *Militans Deo non se implicat negotiis secularibus.* 2. Insinuat, in talibus non præcipit  
*2. 4.* 2. *Gen. 18.* tandum. Sic Deus : *Descendam & videbo de opere compleverunt, de Sodomitis.* 3. Indicat  
*21.* *Exod.* se esse, qui *digito suo scripsit legem in tabulis*  
*31. 18.* *Ier. 13.* *13.* *3.* *4.* *Scribit in terra.* *vides ?* vel peccata accusantium, qui in accusationem intenti, non animadvertiebant ad scripturam.

## PUNCTUM III.

**C**UM perseverarent interrogantes, erexit se, & dixit eis. *Qui sine peccato est vestrum, primus in illam lapidem mittat.* 1. Sapientia miratur, ut neque contra legem statuat, neque miseram condemnet. Sic aliàs, exhibito numismate : dixit : *Reddite, quæ sunt Caesaris, Caesari : quæ Dei, Deo.* Petam solertiam adversus Diaboli astutias. 2. Fecit, ut sua illis peccata repræsentarentur, urgente conscientia, ad confusionem, ut defisterent ab accusatione. 3. Se rursus inclinavit, ad scribendum, quasi jam satis audissent, quod revolverent, & eos ad propriam remittens conscientiam. *At illi audientes, unus post unum exhibant, incipientes à senioribus.* Nempe



Nempe à propria conscientia redarguti, nec ta-  
men resipiscentes. Contra agendum, ut agni-  
to peccato, accurramus ad Christum pro venia,  
non subducamus nos, in eo persistentes. Ve-  
nerant conjunctim accusantes, nunc unus post  
unum abijt, quisque de propriis confusus crimi-  
nibus, primi seniores, uti peiores. Quanta in  
extremo judicio futura est confusio! & à so-  
cijs peccati, quod solamen.

## PUNCTUM IV.

Illis profectis, erigit se iterum, prius, ut mali-  
ciosos justè confunderet, jam, ut pœniten-  
tem misericorditer liberet; ab illis se rursus a-  
vertit; hanc in pace dimittit utrumque cre-  
ctus facit, quia secundum rectitudinem judicij  
stabat. Mulier compuncta de peccato, & accu-  
satoribus d gressis, expectat Christi sententiam,  
quæ talis fuit. Ut si quidem nemo illorum con-  
tra eam pronuntiaverat, nec ipse condemnatu-  
rus esset; qui venerat, non judicare, sed salva-  
re: & dicendo. *Vade in pace*: quia verbum Dei  
efficax est, ab omni pœna liberam fecit, etiam  
æterna. *Christus iustificat, quis est, qui condem-* Rom. 8.  
*net?* Insuper monuit: *Noli amplius peccare, &* 33:  
verisimile est gratiam ei datam, ne recideret in  
taliam, ut & quod accusatores nihil deinceps in e-  
am tentaverint.

Ne fuge,  
sed acce-  
de ad  
Christū.

Secundo  
se erigit  
& adul-  
teram  
respicit;

Y ;

ME-



## MEDITATIO XXVIII.

De Zachæo Principe publicanorum.

Luc. 19.

## PUNCTUM PRIMUM.

Deside-  
rium Za-  
chæi i-  
nitium  
conver-  
sionis.

I. Cor.  
I. 13.

**I**nitium conversionis fuit Zachæi, quod desi-  
deraret videre Iesum, Deo id inspirante.  
Cupiam videre viva fide, contemplando, quæ  
Filius Dei in hoc mundo, tanquam Iericho mu-  
tabili, pro me gessit. Nam si visus serpens æ-  
neus sanabat, multò magis Christus exaltatus  
in cruce ritè consideratus. Porro desiderium,  
Zachæi fuit tam incensum, ut homo ejus aucto-  
ritatis conscenderet arborem, non moratus irriso-  
res; & arborem Sycomorum, stultam ficum am-  
plectens: quod pereuntibus stultitia est, electis  
autem est virtus Dei. Imitabor ipsum.

## PUNCTUM II.

I.  
Invita-  
tio Za-  
chæi à  
Christo.

2.

Isa. 8. 3.

3.

**C**haritas & misericordia Christi. 1. Com-  
pellabat proprio nomine, *Zachæe!* quia li-  
cèt de facie ignotum noverat de nomine, quod  
scriptum erat in libro vitæ, & *Zachæus* signifi-  
cat *purum*: sicque insinuat velle se facere, ut re-  
etiam esset talis, non tantùm nomine. Et cæpit  
ex hoc purus fieri. 2. *Festinare* jubet & *descen-  
dere*, quia avebat Christus illum justificare, &  
cùm ardet desiderium, eo est utendum, ne frigef-  
cat. Inde Christo nomen datum: *Accelera, fe-  
stina, prædare.* 3. Invitat se, & *hodie*, inquit,  
dum



dum tempus est: nam cras fortè me non poteris recipere, vel ego me alio conferam. Non omit-  
tenda occasio. *Hodie si vocem ejus audieritis, Ps. 94. 8.*  
*nolite obdurare corda vestra. 4. Oportet, inquit, 4.*  
quasi illius interesset, non verò nostra tantum.  
Sic amat, ut nostrum bonum pro suo ducat. 5.  
*Me manere: non per transitum, sed ex propo- Ioan. 4.*  
to: festinat adesse, non recedere, nisi expella- 23.  
tur. O veni, & mane, sicut promissisti: & man-  
sionem apud eum faciemus!

### PUNCTUM III.

Prompta obedientia Zachæi, qui *festinans* Obedit  
*descendit, & excepit illum gaudens;* non e- Christo.  
nim fuisset ausus, vel optare tantam gratiam, qui  
vel videre Christum pro magno habuerat: ideo *Apoc. 3.*  
*gaudens. Sic ego pulsanti aperiam, mecumque 20.*  
*cenare volenti, nec moras traham, ut sponta, Cant. 5.*  
à qua idcirco *declinavit. Malitia murmuran- Mali*  
tium, *quod ad hominem peccatorem divertisset, murmu-*  
*& murmurabant omnes: nam facilè ab uno in rant.*  
omnes imperfectos manat murmuratio. Non  
intelligebant officium Christi, qui venerat,  
*salvum facere, quod perierat: & sicut aliàs di- Luc. 19.*  
*xit, Non esse opus valentibus medico, sed malè 10.*  
*habentibus, ex quibus ego sum. Ergo visita Matt.*  
me. 9. 12.

### PUNCTUM IV.

Conversio Zachæi. 1. Sermonibus Christi 1.  
Totus in alterum mutatur: etsi credi possit, Conver-  
titur.  
Y 4 quod



2.  
Promit-  
tit certo.

Ps. 76.  
11.

3.  
Diffici-  
lia pro-  
mittit.

Matt.  
19. 26.

4.  
Humi-  
liter.

quod solo ingressu in domum, & præsencia sua Christus ita illum sibi demeruerit. 2. Firmum propositum: *Ecce Domine, dimidium bonorum meorum do*: factum puta: *Dixi nunc coepi*. Talia debent esse nostra proposita, quæ simul executio comitetur. 3. Vicit se in re difficillima, ut dives se expoliaret opibus, & quidem etiam non debitis: nam mediam partem decrevit egenis: ex altera, si quid injustè acquisiverat, decreverat *quadruplum reddere*. Sic, quod impossibile est apud homines, possibile est apud Deum per gratiam ipsius. 4. Non jactantiæ causâ, id protulit, sed demissè, proponens Christo consilium animi sui, ut ab illo probaretur, quod imitari debent Pœnitentes; ut à Patre spirituali dirigantur.

### PUNCTUM V.

Præpa-  
ratio ad  
S. Com-  
munio-  
nem.

Luc. 19,  
10.

**A**pprobat Christus: *Quia hodie salus huic domui facta est*; non Zachæo tantum; sed toti domui, cui profuit exemplum pœnitentiæ in capite. Itaque omnes sanctificati sunt. *Eo quod & ipse filius Abraham*, verus filius, non carne solum, sed imitatione fidei, obedientiæ, liberalitatis. Vel etiam, quia filius Abraham, licet peccator: Abraham enim posteritati promissa erat salus, & Christus eò venerat, *ut saluum faceret quod ex eis perierat*. Subjunxit hoc Christus ad redarguendos murmurantes, quod ad peccatorem divertisset, quasi dicat: cum & is filius Abraham sit, non debuit à me negligi, qui veni aberrantes



reseducere. Applicari potest hæc historia ad sacram Communionem. 1. ardens præcedat desiderium, quo magis provocatur Deus, ut veniat, quàm si peteretur, præsertim, cum non peto, quia indignum me puto. Deinde conscendam arborem crucis per opera mortificationis, ex qua videam Christum, contemplando bona, quæ secum affert, quocunque venit. 2. Audiam ab illo : *festinans descende, quia hodie in domo tua oportet me manere.* Accurram, parabo domum per confessionem puram, & ornabo sanctis affectibus, & maxime dulcescat verbum illud : *quia in domo tua oportet me manere.* Volo uti hospitio tuo, & mensa : pascitur autem sanctis cordis nostri affectibus ; & pascit ipse nos se ipso conviva, & convivio. 3. In gratiam hospitii magna facere, proponam firmiter animo, & mox exequar : uti Zachæus, ut audire merear : *quia hodie domui huic salus facta est,* toti domui, omnibus animæ facultatibus, ut ex omnibus amem, & serviam Deo. Amen.

1.  
Fames &  
sitis.

2.  
Præpa-  
ratio.

3.  
Proposi-  
ta.

## MEDITATIO XXIX.

De Cananea Matt. 15.

### PUNCTUM PRIMUM.

Quàm bene oraverit. 1. Insigni fide, confitens Christum : *Filium David,* & potentem per se dare : *Miserere mei Domine.* 2. Magna charitate, *mei,* inquit, *miserere :* malum filiæ

Virtutes  
orantis.

1.  
Fides.  
2.

Y S

liæ



Charitas  
vel hu-  
militas.  
3.  
Reve-  
rentia.  
4.  
Affectus  
5.  
Con-  
stantia.

liae suum ducens, vel etiam ex humilitate, suis illud tribuens peccatis. Hoc duplici affectu orandum pro aliis, quasi pro re nostra, & culpando nos ipsos, ita Sancti consueverunt. 3. Magna reverentia: nam *procidit ad pedes ejus*. 4. Affectu magno, unde clamabat. 5. Constantia, cum toties repulsa institerit orationi. Ita orandum.

## PUNCTUM II.

Pro-  
bat eam  
Christus

Christus probat mulieris virtutem: non respondet ei verbum, imò, quasi canem reprobat à se. *Non est bonum panem filiorum dare canibus*. Valet ad disponendam animam probatio talis, sed nec adhibetur, nisi solidis in virtute. Probatio est. 1. Patientia: nam duriter excepta, non est turbata, aut conquesta, ut destitit orare. 2. Humilitas: nam pro cane habita, consensit: *etiam Domine*, & contenta est catellorum nomine, & fortè: *nam & catelli edunt de micis*. 3. Prudentia: nam, unde abiciebatur, sumit occasionem urgendi petitionem suam, siquidem canis sum, peto, quod canibus non denegatur.

## PUNCTUM III.

Laudat  
& exau-  
dit.

Christus I. laudat. *O mulier! magna est fides tua*: ostendit mirificè se affectum ex fide mulieris, aliàs suos discipulos arguit modicæ fidei. 2. Donat. *Fiattibi, sicut vis*: & propter hunc sermonem, vade: exiit Dæmonium à filia tua. Tribuit illius sermoni expulsionem Dæmonis,



monis, sermoni humilitatis tam insignis, quam Diabolus exhorret.

## MEDITATIO XXX.

De servo Centurionis. Luc. 7.

### PUNCTUM PRIMUM.

**V**irtus Centurionis. 1. Pietas : qua etiam pro servo suo tam sollicitus est. 2. Humilitas : qua indignum se putavit accessu ad Christum, & ideo submisit pro se deprecatores alios, qui tamen eum dignum beneficio deprædicatorum a- turionis, pud Christum, ob bona multa opera pietatis : nam ædificabat Iudæis synagogas, cum esset gentilis, & alia faciebat. 3. Fides : qua credidit posse Christum absentem conferre sanitatem. Unde, etsi corpore non accessit, attamen fide, accessit : sicut Matthæus ait : ipsum accessisse ad Iesum. *Mat. 8. 3.*

### PUNCTUM II.

**C**enturio deprecatur, ne Christus ipse veniat. Cum iret, & non longè esset, misit ad eum amicos, dicens : *Domine noli vexari, non enim sum dignus ut intres sub tectum meum : propter quod & me ipsum non sum dignum arbitratus, ut venirem ad te : sed tantum dic verbo & sanabitur puer meus.* 1. Eximia humilitas quæ Deum trahit ad se : nam jam ibat Christus, & appropinquabat. Contrà autem Regulo, qui præsens rogabat, ut descenderet pro filio sanando, durius

1.  
A Chri-  
sto ho-  
noratur.



2. *rius respondit: & coarguit ipsum.* 2. Progressus  
Non id- in humilitate, non effertur tali favore, quod  
eo super Christus ad se veniat, sed profundius humiliat  
bit. se, id ipsum deprecans. 3. Fides rara. *Tantum*  
3. *dic verbo.* Aptè hujus verba usurpat Ecclesia,  
Sed hu- ad sacram Communionem, ad quam cum viva  
milior, fide, & profunda humilitate accedere oportet.
4. Mira confessio omnipotentiae Christi, ex  
Christū comparatione sui: *nam Ego homo sum habens*  
extollit. *sub me milites, Ego dico huic, vade, Ego vadit: Ego*  
*alii, veni, Ego venit.* Tu qui supra omnia es,  
quantò magis solo nutu efficies, quod voles?  
Optabo, & petam sic habere in potestate affe-  
ctus, & facultates omnes.

## PUNCTUM III.

Fidem  
Centu-  
rionis  
præfert  
Judæis.

**C**hristus admiratur tantam virtutem, præ-  
fertim in homine sæculari, & milite, & se-  
quentibus se ait: *Amen dico vobis, non inveni*  
*tantam fidem in Israël, ex quo inter eos prædi-*  
*co Evangelium.* Ad illorum confusionem, &  
meam, quando pro statu meo deberem præmi-  
nere aliis. Ex occasione autem hujus hominis  
gentilis, prædicat gentium accursum ad fidem,  
reprobatis ipsis Judæis: nam Deus ingratis sub-  
stituit alios. Ne mihi similiter fiat. Et tandem  
impertitur vota dicens: *Vade, Ego sicut credi-*  
*disti, fiat tibi, Ego sanatus est puer in illa hora &*  
*momento.*

ME-



MEDITATIO XXXI.

De sanata à fluxu sanguinis.

Marc. 5. Matth. 9.

PUNCTUM PRIMUM.

**M**Orbus erat jam planè desperatus: repræ- Virtutes  
sentat peccatorem in peccata penitus ef- mulieris  
fusum: Eximia extitit fides mulieris, quòd  
quamvis desperatum morbum posset Christus  
sanare, & quidem non solùm rogatus, sed vel  
fuit tacto ejus vestimento. Accessit pari fidu-  
cia, id assequendi: *Si tetigero simbriam, sal- Matt. 9.*  
*va ero.* Item reverentia & humilitas: *accedens 20.*  
*retro tetigit. & confestim stetit fluxus sanguinis.*  
O potentia! *omnis turba querebat eum tangere, Luc. 6.*  
*quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes. O h 19.*  
tali spiritu tangerem!

Ad sacram Communionem applicabo, ex- Aptæ ad  
pendens tria illa. Fluxum cupiditatum mearum, Com-  
& passionum, infinitam Christi virtutem, quem munio-  
tango, & quomodo tangi debeat, nempe fide nem.  
viva, fiducia magna de bonitate ipsius, humili-  
tate ob indignitatem meam, & reverentiâ ma-  
jestatis illius.

PUNCTUM II.

**C**hristus publicat miraculum occultum, a- Publicat  
lioqui manifesta solitus occultare, ad e- miracu-  
xemplum nobis. Nunc autem quærit: *Quis me lum.*  
*tetigit? nam ego novi virtutem ex me exisse.* Id  
fecit



1. fecit 1. ut doceret, quanti intersit, quomodo  
 tangatur: nam *turba illum tunc comprimebant*,  
 Marc. 5. ut mirantes responderent Apostoli: & dicit,  
 31. *quis me tetigit?* Multi communicant, sed non  
 Quomo- omnes hauriunt inde virtutem, aut certè non  
 do tan- quam possent. 2. Voluit corrigere mulieris er-  
 gendus rorem, existimantis, Christo non sentiente,  
 Christus 2. posse ex eo percipere sanitatem: haud ita scit,  
 3. qui dignè aut indignè accedant, aut indevote,  
 Non pu- revelabitque tempore suo. 3. Improbare voluit  
 deat alteram ejusdem imperfectionem quæ sic oc-  
 confite- cultare voluit morbum, alioqui horridum. Ut  
 ri. doceremur nos deponere vanum timorem con-  
 Eccl. 4. fessionis, in detegendis occultis morbis, aut  
 Confessario, aut ubi opus est; *Est enim con-*  
*fusio adducens gloriam.*

## PUNCTUM III.

- Luc. 9. Christus mulierem confirmat. *Videns enim*  
 48. *Gilla, quia non latuit, tremens venit & pro-*  
*cidit antepedes ejus, & ob quam causam tetige-*  
*rit eum, indicavit coram omni populo, & quem-*  
*admodum confestim sanata sit.* Igitur metuen-  
 Præstat tem ne offendisset, ac ne exueretur dono sani-  
 cum a- tatis accepto, confirmat benignus Dominus, a-  
 more manenter compellans. *Filia!* Solent hujusmodi ti-  
 accede- mores oriri justis, ne fortè parum dignè sumant  
 re, quàm sacram communionem: & juvat ad humilita-  
 timore tem, & ad curam promovendam. Placet autem  
 recedere à Chri- magis Deo, si accedamus humili confidentia,  
 sto. quam si abstineamus ex timore: novit enim im-  
 per-



perfectum nostrum : quare laudavit fidem mulieris, licet fortè imperfectam, & ratam habuit sanitatem. *Fides tua te salvam fecit : Vade in pace.*

## MEDITATIO XXXII.

*De sanato ad probaticam piscinam.*

Ioan. 5.

### PUNCTUM PRIMUM.

**E**A piscina, in qua oves sacrificandæ lavabantur, figura fuit Sacramentorum Baptismi & cinæ.

Pœnitentiæ : quæ vim habent à Christi sacrificio. Tres prærogativæ fuerunt illius piscine. 1.

Quòd omnes morbos sanaret. 2. Quòd Angelus de cœlo veniebat, ut moveret aquam, eique virtutem impertiret. 3. Quòd primus, in eam ingressus sanabatur. Eadem excellentiùs in nostris Sacramentis insunt. Nam 1. sanant ab omni peccato. 2. Id perficitur virtute Angeli Testamenti, Christi Domini, in cuius etiam persona administrantur. 3. Non unum tantum, sed omnes sanant, ritè accedentes, sed primos maxime, qui majori fervore accedunt; sed & imperfectè dispositos, per solam attritionem. Quantum sit beneficium expende.

1.

2.

3.

Sacramentorum vis similis.

1.

2.

3.

### PUNCTUM II.

**L**anguidus à Christo interrogatur. Vidit illius præ cæteris necessitatem à diuturnitate

te



1. **Iesus ultro miseretur miseri.** ita illius misertus est. 1. Interrogat: *Vis sanari fieri?* haud dubiè volebat, cum ideo ibi esset: sed monemur duas voluntates requiri, ad obtinendam sanitatem, & Dei, & nostram. Divina promptu est, quia invitat nos: nostra autem debet esse efficax, non velleitas tantum. Ideo interrogat: *Vis?* non ait, *velles?* & debet omnem affectum peccati deponere. Atque hæc est prima dispositio, voluntas, desideriumque salutis.
2. **Agno-scit miseriam propriam languidus.** 2. Ex responso languidi colligitur altera: *Hominem non habeo*: quo simul significat, se velle, & non posse. Agnitio imbecillitatis propriæ sine Christo & ejus gratia. 3. Præ se tulit etiam patientiam, cum non sit questus, quod non juvatur. Valet ad exemplum, cum Deus differt opitulari, & à tentationibus liberare. Ferendum est patienter, & perseverandum in petendo: nam, *cum te consumptum putaveris, orieris ut Lucifer.*
3. **Patientia.** *Job. 11. 17.*

## PUNCTUM III.

Verbo sanatur.

Obedientia.

**C**uratur Paralyticus solo verbo: *Surge*, ex potestatis plenitudine, neque fidem postulavit, nec tetigit, nec piscinæ admovit. Iubetur tollere grabatum suum, in signum perfectæ sanitatis: ita spiritualiter, quando anima potens redditur supra corpus, dominando illius cupiditatibus, perfectè sanata est. Obedivit homo, & sustulit grabatum, non obstante sabbati religione, quia Christus jubebat exemplum cæcæ obedi-



obedientiæ: quare reprehensus, respondit: *qui me sanum fecit, ille mihi dixit, ille tantus est, sufficit.*

## PUNCTUM IV.

Christus instruit sanatum. *1. Declinavit à turba.* Docens nos vitare plausum: deinde venit in templum, quo sciebat hominem divertisse, ut eum instrueret, & Patri gratias ageret pro miraculo: sed & ille venerat eo, ut gratias ageret pro beneficio accepto. *Dixit autem illi Dominus: Ecce sanus factus es, jam noli peccare, ne deterius tibi aliquid contingat.* In quo tria sunt documenta.

I. Quòd peccata sint causa morborum: id de meis sentiam; cùm alioqui veniant etiam ad exercitium virtutis, & Dei gloriam.

II. Quòd monet: *Noli amplius peccare,* propositum firmum exigit. Nam alioqui, nunquam peccare, etiam leviter, non est vitæ præsentis.

III. Quòd pejora minatur, si peccet: utique ob ingratitudinem erga Deum, sanitatis largitorem, & quia ostenderet non magni æstimare beneficium.

## PUNCTUM V.

Sanatus nuntiat Iudæis, Iesum esse à quo sanatus sit, nempe gratus pro beneficio. Sic Christus ipse aliquando iussit: *Vade ad tuos, & annuntia illis, quanta tibi Dominus fecerit.*

Z

cebo

Pœnitentes Deum laudant.  
Marc.  
5. 19.



*Ps. 50.*  
15.

*cebo iniquos vias tuas, & impii ad te convertentur. Agit autem prudenter, quia non ait, qui grabatum tolli iussit, fuisse Iesum, quod id erat Iudæis invidiosum, sed qui me sanum fecit.*

## MEDITATIO XXXIII.

*De Leproso sanato, & mundato, & ad Sacerdotes misso. Matth. 8.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Leprosi.  
1.

Reverentia.  
2.

Fides.  
3.

Resignatio.  
Matt.

8, 2.

**L**eprosi virtutes in orando. 1. Reverentia genu flexo, & procidens in faciem orabat. 2. Fides: *Si vis, potes me mundare*, sola voluntate potes: nec dubitat de bonitate: sed ne forte ipse non sit dignus beneficio. 3. Resignatio suæ voluntatis, dum expressè non petit, sed tantum asperit necessitatem suam. Ergo me ipsum tanquam leprosum coram Deo sistam, & simili affectu orabo.

### PUNCTUM II.

1.  
Christi  
Misericordia.

2.  
Potentia  
Psal. 34.

3.

**M**undatur à Christo, in quo ostenduntur virtutes. 1. Misericordia. Misertus ejus *extendit manum suam*: si corporalis lepræ misertus, quantò magis spiritualis? at lepra corporalis horrorem parit: & spiritualis, etiam ipsi Deo: sed cum hæc nobis ipsis sit abominabilis, provocat misericordiam Dei. 2. Bonitas & potentia, nam fidei dicentis: *si vis*, respondit: *volo*, profertenti potentiam, *potes*, verbo præstat sanitatem, *mundare*, esto mundus. *Dic anima mea: salus*

*tua*



*ma ego sum* : nam, si dixeris, fiet. 3. Benignitas  
& humanitas: nam *extendit manum suam*, & te-  
*rigit eum* : cum alioqui arcerentur ab accessu le-  
prosi, nedum à tactu. Vivificativa est caro Chri-  
sti, cum extenderit manus suas in cruce: *implebit*  
*omne animal benedictione*.

3.  
Huma-  
nitas.

Ps. 44.  
16.

## PUNCTUM III.

**M**undatus jam mittitur ad Sacerdotē, ut of-  
ferat pro mundatione, quæ præcepit Moy-  
ses. 1. Apparet, quàm Christus fuerit legis  
studiosus : quantò magis novæ, ut accuratè ser-  
vetur. Offerebat autem leprosus sacrificium  
pro actione gratiarum, & testimonium refere-  
bat à Sacerdote, quòd esset mundatus. 2. Voluit  
Christus per hoc insinuare Sacramentum pœ-  
nitentiæ : ad quod tenetur accedere, quicumque  
exiit leprosus, licet fuerit mundatus per contri-  
tionem, & ibi offerre sacrificium cordis contriti  
& humiliati: ut & sententiā absolutionis & mun-  
dationis recipiat. Iubebatur autem leprosus jam  
mundatus, radere pilos corporis, & lavare cor-  
pus, & vestimenta ; & sic offerre agnū im-  
maculatum in sacrificium. Hi sunt fructus pœ-  
nitentiæ, lacrymarum, & mortificationis car-  
nis, quibus ad sacram Eucharistiam disponi con-  
venit.

1.  
Zelus le-  
gis.

2.  
Confes-  
sio ne-  
cessaria.

Comminatus est Dominus Leproso, ne vul-  
garet : at ille cœpit prædicare, & diffamare ser-  
monem, pro gratitudine erga auctorem benefi-  
cij. Unde & illud bonum secutum est, ut multa

Humilia-  
tas Jesu

Z 2

turba



turba ad audiendum Christum concurreret. Nec fuit inobediens, quia instinctu boni Spiritus fecit, & talis prohibitio est declinatio laudis, non præceptio obligans.

## MEDITATIO XXXIV.

*De decem leprosis. Luc. 17.*

### PUNCTUM PRIMUM.

*Luc. 17. 12.* **O** Ratio leproforum. 1. *Steterunt à longè:* humilitatis & reverentiæ affectus: sed & servitutes vârunt, quod jubebantur, segregari ab aliis. 2. *Levâverunt vocem dicentes: Iesu præceptor miserere nostri,* ex fide, & cum resignatione, non speciatim petentes: sana nos, sed, *miserere.* Et erant unanimiter, quod valet ad impetrandum, quia omnes pro singulis. *Orate pro invicem, multum enim valet deprecatio iusti assidua.* Apud homines solent mendici vitare, ne simul petant plures, quia offendunt, & non suppetit omnibus: Deo autem placet conjunctio precum, nec deficit ideo thesaurus gratiæ. Leprosi decem signant peccatores, ob transgressionem decem præceptorum. *Domine, sicut hætenûs fuit sensus meus, ut errarem à te, decies tamen iterum convertar, ut requiram te.*

### PUNCTUM II.

*Obedi-* **C**hristus remittit leprosos ad Sacerdotes. *Quos ut vidit Iesus, dixit: Ite, ostendite vos* *Sacer-*



*Sacerdotibus.* Initium salutis, quòd Deus misericorditer respiciat: & vidit etiam eorum fidem: *Luc. 17. 14.* voluit autem obedientiam probare, ablegando ad Sacerdotes; quod aliqui non erat faciendum, nisi postquam mundati essent. Illi etiam dum simpliciter obediunt, ac eunt, *mundati sunt. Gen. 22.* Tanti facit simplicis obedientiam, qualis etiam fuit Abraham, ad immolandum filium parati. Hæc missio Leprosorum, antequam mundarentur, significavit Confessionem sacramentalem; in qua aperienda est Sacerdoti omnis immunditia, quamvis occulta. Contingit autem mundari interdum, quia voluntas apud Deum pro facto reputatur, & votum Sacramenti cum contritione delet peccata, etsi nihilominus facienda est confessio. Nec debet homo averfari labes conscientiae aperire homini, quando Deo notæ sunt.

*Apratio  
ad sacrā  
Confessionem.*

## PUNCTUM III.

**U**NUS tantum ex novem recognoscit beneficium. Ita fit, ut cum in necessitate plerique ad Deum recurrant, & devoti sint, mox ea perfuncti, non recordentur beneficii. *Nonne decem mundati sunt: & novem ubi sunt? & sæpe majores peccatores magis sunt grati, æstimantes suam indignitatem, ut modò, cum solus alienigena Samaritanus rediit ad gratias agendas, in confusionem reliquorum novem, qui erant Iudæi; quod notavit Iesus: Non est inventus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena.*

*Ingrati  
plures.*

Z 3

Discam,



Gratiarum actio post confessionem.

Christi modestia,

Discam, à confessione me colligere, ad gratias pro beneficio reconciliationis. Porro iste regressus est cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem ante pedes ejus, gratias agens. Mirus affectus grati animi. Prudenter autem Christo dicente: *Et novem ubi sunt?* tacuit, nolens accusare alios, quod nos vulgò libenter facimus, simili occasione. Denique modestiam Christi mirare in redarguendo: *Et non est inventus, qui daret gloriam Deo:* non ait, *michi*. Benignè autem Samaritanum complexus, ait illi: *Surge, vade, quia fides tua te salvum fecit,* & est credibile à lepra etiam spirituali curasse illum.

## MEDITATIO XXXV.

*De cæco apud Iericho.* Luc. 18.

Matth. 20. Marc. 10.

### PUNCTUM PRIMUM.

Cæci fides.

Luc. 13.

39.

Fervor.

Con-

stantia.

1.

2.

3.

Impedimenta

orandi.

4.

**P**Recatio cæci. Plena fide & fiducia: *Iesu Fili David miserere mei!* Confitetur Messiam & potentem salvare. 2. Fervens, ingeminando: *Fili David, miserere mei.* 3. Constans adversus increpantes, *ut taceret.* Cogitabo, me cæcum esse, utroque oculo, cognitionis & amoris, cæcitate ignorantia, & passionis, ut apud Bernardum & sedere me otiosum, mendicando à creaturis solatia. Clamabo igitur ad Christum, ut iste: nec morabor obstrepentes, qui solent esse maximè quatuor. 1. Tumultus varia-



variarum cogitationum, quæ impediunt attentionem. 2. Remorsus ex conscientia peccatorum, qui gignit diffidentiam. 3. Necessitas ac miseria corporis. 4. Occupationes & curæ rerum externarum. Quin ipsi, qui Christum comitantur, avocant ab oratione, etiam per speciem boni. At ego pergam clamare, & ex importunitate obstantium acuam fervorem orandi, tantò magis clamando: *Iesu, miserere mei, & libera me, quia egenus & pauper sum ego, & cor meum conturbatum est intra me.* *ps. 108. cor 22.*

## PUNCTUM II.

**E**Xauditio precantis. 1. *Iesus stetit, & iussit illum adduci ad se.* Initiò dissimulaverat, ut probaret constantiam. Sistit cursum Sol iustitiæ, causâ hominis. 2. *Cæcus projecto vestimento, exiliens venit ad Iesum,* exultavit, spe recipiendi visum. Sic interius vocati relinquunt omnia, ut Christum sequantur. 3. *Rogat Dominus: quid vis?* quia gratiam suam dat volentibus dispositis. *Respondet cæcus: Domine, ut videam.* Idem optem ego, ut videam: nam *hæc est vita æterna, ut cognoscant te Deum verum, & quem misisti Iesum Christum:* ut videam voluntatem tuam, ad implendum, & meipsum ad humiliandum: & res creatas, ad te laudandum ut videam aliquando te, sicuties. Dico mihi, ut cæco illi: respice, & factum erit. *1. Dissimulat Christus. 2. Exultat cæcus. Marc. 10. 50. Ioan. 17. 3. Visum recipit.*



## PUNCTUM III.

Luc. 18.

42.

Ob fidē  
sanatur.

Matt.

9. 28.

Marc.

18. 23.

Duplex  
illumi-  
natio.

**F**idei Dominus tribuit sanitatem: *Fides tuate saluum fecit: & confestim vidit.* Quod erat potentia & misericordia suae opus, fidei attribuit, tanquam disponenti & impetranti. Sic petiit aliā a cæcis: *Creditis, quia hoc possum facere vobis?* Et illis affirmantibus, *statim aperti sunt oculi eorum:* sed quendam alium non statim de integro illuminavit, ob imperfectam fidem, tametsi salivam suam adhibuit, & oculos tetigit. *Initiō enim videbat homines sicut arbores.* Sic sunt duo modi illustrationum: quidam extraordinarius, ut D. Pauli: quidam per gradus, proficiendo. Cæcus hic *sequebatur eum magnificans Deum:* effectus illustrationis, insistere vestigiis Christi, & Dei gloriam prædicare.

## MEDITATIO XXXVI.

De ceco nato. Ioan. 9.

## PUNCTUM PRIMUM.

Ioan. 9.

1.

Justos  
respicit  
Iesus.

2.

Morbus  
non  
semper  
pœna.

**P**ateriens Iesus vidit hominem cecum à natiuitate. Hic intuitus misericordia; quo nisi Deus præveniat nos, non illuminamur, & respicit quidem omnes, sed maximè electos. Optabo sic ab eo aspici. 2. Quærebant Apostoli de causa cæcitatē. Respondit: *Neque hic peccavit, neque parentes eius: sed ut manifestentur opera Dei in illo.* Discamus, quia non semper peccata sunt



sunt causa morborum & calamitatum, sed aliquando immitti pro gloria Dei: quæ inde elicitur, dum iusti exultantes illas ferunt, & Deo gratias agunt pro illis; vel dum mirabiliter eos eripit ex eis. Unde subdit: *Me oportet operari opera Dei, donec dies est.* Dei opera vocat, ex quibus ille glorificetur; quale est, quod facit iustos exultare in tribulationibus pro Christo, quodque illos liberat extraordinarijs modis, ut hunc cæcum: unde glorificatur Deus: *Donec dies est vitæ Christi mortalis.* O Domine! operare in me talia, donec dies est meus. *An- Iob. 10. requam vadam ad terram tenebrosam.* Sed & *21.* me oportet operari opera Dei, donec dies est. *Quodcunque potest manus tua, instanter operare.* *Eccl. 9. 10.*

## PUNCTUM II.

**M**odus curandi cæcum. *Expuit in terram, & fecit lutum ex spuito, & linivit oculos ejus.*

1. Contrario remedio utitur, ad ostentandam suam potentiam: sic & humiliando aliquem exaltat, ut *Ioseph ex carcere ad principatum.* 2. Docet conferre ad illuminationem, si lutum, ex quo existimus, & cœnum culparum super oculos ponamus per attentam considerationem. Fit autem lutum hoc ex saliva Christi, quæ est illius sapientia, quia, nisi hac inspirante, non agnoscimus nostram utilitatem. Vel utrumque miscetur, saliva Christi & terra, ut illuminemur, ad Deum, & nos ipsos cognoscendum, quæ inter

I.  
Sanat  
luto.  
2.  
E luto a-  
gnosci-  
tur vili-  
tas mea



3.  
Sacr-  
menta  
abluūt.

4. Reg.  
15.

se notitiæ se juvant, & junctæ sunt. 3. *Iussit ire ad natatoria Siloë, quod interpretatur missus, & ibi lavare.* Typus baptismi & pœnitentiæ, quæ virtutem habent à Christo, qui est missus Patris in hoc ipsum. Imitanda fides & obedientia cæci, qui luto se obliniri permisit, & ivit: haud sicur *Naman Syrus*, cum juberetur *lavare in Iordane*, qui detrectavit. *Abit ergo & lavit, & venit videns.*

### PUNCTUM III.

Cæci.  
1.  
Gratitu-  
do.  
2.  
Fortitu-  
do.  
3.  
Pruden-  
tia.  
4.  
Patiētia.

**C**Æci jam illuminati præclara professio. 1. Gratitude, prædicando auctorem, & modum sanandi obviis enarrando. 2. Fortitudo, quam non timuit remedicere coram Pharisæis, & in Christum referre, parentibus ejus præ metu tergiversantibus. 3. Zelus cum prudentia, nam Pharisæis amoliri à Christo laudem conantibus, quod homo peccator esset & ignotus, revicit illos. 4. Patientia in contumeliis. *In peccatis natus es totus, & tu doces nos?* O Dei virtus, quæ cæci & mendici operâ confundit sapientes superbos!

### PUNCTUM IV.

Christus  
1.  
Conso-  
latio af-  
flicto-  
rum.  
2.  
Fidem  
auget.

**C**Hristus consolatur, confirmâtque cæcum. 1. *ut audivit è synagoga ejectum, accessit ad eum Christus*, ut eum recrearet. Sic non obliviscitur confitentium se. 2. Studuit perficere ejusdem fidem, interius etiam illuminando: nam Christo proficiente se esse Filium Dei, ille ait:

*Credo*



Credo Domine, & procidens adoravit eum. O  
 quantò admirabilior hæc illuminatio! 3. Ne tur-  
 baretur ob Phariseorum contradictionem, qui Tran-  
 sapere videbantur, dixit ei Iesus: *In iudicium* quillat  
*ego in hunc mundum veni, ut qui non vident, vi-* mentem  
*deant, & qui vident, cæci fiant.* Hoc est, ut idio-  
 ta & simplices cognoscant veritatem, sapientes,  
 autem superbi ad illius splendorem cæci fiant.  
*Abscondisti hæc à sapientibus, & revelasti ea par-*  
*vulis.*

## MEDITATIO XXXVII.

De surdo &amp; muto, Marc. 7.

## PUNCTUM PRIMUM.

**A**dducunt ad Iesum surdum & mutum. 1. 1.  
 Surditas spiritualis est circa fidei veritates Surditas  
 percipiendas & credendas, tum circa præcepta spiritua-  
 & inspirationes recipiendas: mutus autem qui lis.  
 impeditus ad officia orandi Deum laudandi,  
 gratiasque agendi, nec non confitendi sua pecca-  
 ta. 2. His duobus sensibus spiritualiter impedi- 2.  
 tis, obstruitur via salutis: nam hæc obtinetur per Surdus  
 fidem & obedientiam, & flagitanda est per ora- fit mutus  
 tionem. Satagit dæmon, ut impedian- tur: Unde  
 Lucas, ipsum *Demonum* vocat *mutum*. Aliter *Luc. 11.*  
 in bonum David ait, *Tanquam surdus non au-* 14.  
*diebam, & sicut mutus non aperiens os suum, vi-* *Pf. 37.*  
*delicet ad vanitates & ineptias.* 3. Quòd multi 14.  
 sunt ita obli- ti suæ salutis, ut nunquam accede- 3.  
 rent, nisi ab aliis adducti: quod officium præ- Peccato-  
 stare res muti.



*Matt. 9. stare studebo. Et deprecabantur eum, ut im-*  
*6. ponat illi manum. Præter ministerium addu-*  
*cendi, adhibenda pro iis oratio: nam Para-*  
*lyticum Christus sanavit, intuens fidem offeren-*  
*tium.*

## PUNCTUM II.

**M**odus curationis. Plures cæremonias adhi-  
 buit, ut significaret difficilem esse talium  
 curationem. 1. *Apprehendens, abduxit à tur-*  
*ba, à curis videlicet externis & tumultu nego-*  
*2. tiorum. 2. Ingemuit: quantum oportet id esse*  
*3. malum? & ego pro me non gemo? 3. Suspexit*  
*4. in cælum: instanti oratione opus habet. 4. Mi-*  
*sit digitos suos in auriculas ejus. Digitus Dei dici-*  
*tur Spiritus Sanctus, cujus donis aperiuntur au-*  
*res & linguæ, quia dociles faciunt ad fidei myste-*  
*ria, & obedientes divinis inspirationibus: digi-*  
*tus procedit ex manu & brachio, quod est Filius,*  
*5. per quem omnia. 5. Expuens tetigit linguam e-*  
*jus. Saliva ex capite fluens, significat Christum,*  
*sapientiam Patris incarnatam: est autem maxi-*  
*mè opus sapientia ad loquendum rectè. Quare*  
*Pf. 36. dicitur: Os justi meditabitur sapientiam, & lin-*  
*30. gua ejus loquetur judicium. 6. Dixit: ad aperire:*  
*6. ad surdum loquitur, quia divina vox etiam ad*  
*Isa. 50. horum aures penetrat, easque aperit: Dominus*  
*5. aperuit mihi aurem, & ego non contradico, prom-*  
*Eccl. 37. ptus ad credendum & agendum, quæ jubet, effi-*  
*6. cior, quando ille verbo suo aperit: Sermo enim*  
*Pf. 57. 6. ejus vivus & efficax, & penetrabilior omni gla-*  
*dio*



dio ancipiti. Væ qui obturat aures suas adversus incantantem serpentem!

## PUNCTUM III.

**E**ffectus consecutus: *Et loquebatur rectè.* O Potentia  
 mihi contingat! *Pone Domine, custodiam* Jesu.  
*ori meo, & tu claude, & aperi tum aures, tum ma-* ps. 40.  
*ximè os meum.* Turba, licet prohibita vulgare 3.  
 miraculum, tantò magis celebrat, dicens: *Bene Gen. 1;*  
*omnia fecit, utiq; bene, nam vidit omnia, qua fe-* 31.  
*cit, & erant valde bona:* quod si naturæ, quanto  
 magis gratiæ opera? *Et surdos fecit audire, &*  
*mutos loqui.* Unicum curaverat, sed illi profiten-  
 tur sicut illum, ita & plures posse, & paratum es-  
 se curare. Certè id de spirituali surdo, & muto  
 in primis verissimum est.

## MEDITATIO XXXVIII.

*De Damoniaco lunatico.* Matt. 17.

Marc. 7. Luc. 9.

## PUNCTUM PRIMUM.

**D**æmonis feritas in obsessum, Deo permit-  
 tente. 1. In corpus, qualis describitur iste. 2. 1.  
 In animam, in quam exercet similia, cùm eam 2.  
 subjicit sibi. Mutum & surdum facit, ut in præ-  
 cedenti; lunaticum, per inconstantiam in bono  
*allidit terræ, ut per affectum inhæreat; spumat, &* Dæmon  
*stridet per fœditatem, & impotentiam verbo-* vexat  
*rum, arescit, quasi insensibilis ad divina, nunc in* corpus  
*ignem cupiditatum mittit, nunc in aquas mun-* magis  
 dano- animam  
 Marc.  
 9. 17.



danorum desideriorum mergit & dissipat etiam,  
ab uno in aliud peccatum distrahens. *Neque discipuli possunt eum eicere* : nulla concionato-  
rum & confessoriorum operâ juvari potest. 3. Ex

3. Maxime his intelligitur, qualiter in inferno diabolus tra-  
in infer- cter illos, qui in potestatem ejus veniunt.  
no.

## PUNCTUM II.

Incredulitas Deo  
exosa.  
Matt.  
17. 18.

**C**hristus invehitur in incredulitatem illius  
gentis, quasi propterea dæmon resistat: *O  
generatio incredula & perversa; quousque ero  
vobiscum? quamdiu vos patiar?* Quasi tædeat  
ipsum inter illos vivere nec ferendi sint ditius;  
sed etsi ingratitudinem detestatur, hominum ta-  
men miseretur. Me miserum, in quem ita ful-  
minare meritò potest. Iubet afferri ad se ho-  
minem: & cum vidisset eum, statim spiritus con-  
turbavit illum, & elusus in terram volutabatur  
spumans, quantum audet malignus in ipsius  
Christi præsentia? quid non aliàs? Tunc pa-  
rens orat pro filio: *Si quid potes, adjuva nos mi-  
sertus nostri.* Oportuit tam tenuem fidem prius  
excitare, & ita respondit, *si potes credere, omnia  
possibilia sunt credenti* omnia, sine exceptione.  
Mira omnipotentia fidei! Fac Domine, ut crea-  
dam, sicut oportet. Ille ergo videns, ex sua fide  
pendere filii sanitatem, ait: *Credo Domine, ad-  
juva incredulitatem meam.* Laudabilis oratio:  
quando præstat, quod potest, rogat pro eo, quod  
minus potest.

PUN-



## PUNCTUM III.

**P**ellitur malignus spiritus. 1. Iesus commi-  
 natus est illi, dicens: *Surde & mute spiritus*,  
 ego precipio tibi, exi ab eo pro imperio agit, &  
 amplius ne introeas in eum. Nam solet, assumptis  
 aliis pluribus, redire in domum, unde exiverat.  
 2. Exclamans, & multum discerpens eum, exiit  
 ab eo, factus est sicut mortuus. Ita, cum ani-  
 mam relinquere cogitur: nam id non fit absque  
 doloribus, quasi parturientis, cum diabolo &  
 carni homo renuntiare debet. Iesus tenens ma-  
 num ejus, elevavit eum, & reddidit patri ejus.  
 Ipse solus erigere ac vivificare potest peccato-  
 rem. At ego nolim reddi patri, sed tibi adhære-  
 re, qui es Pater meus. 4. Stupebant autem o-  
 mnes in magnitudine Dei.

1. Christus  
 minatur  
 dæmoni  
 V. 14.  
 Luc. 11.  
 24.  
 2. Aegrè  
 recedit  
 ab ani-  
 ma.  
 Marc. 9.  
 25.  
 3. Manum  
 porrigit  
 Iesus.  
 v. 26.

## PUNCTUM IV.

**A**rguit discipulos incredulitatis. 1. Pruden-  
 tia Christi, privatim eos arguentis: cum  
 generatim populum publicè arguisset. O gene-  
 ratio incredula & perversa! propter incredulita-  
 tem vestram, non potuistis ejicere. 2. Si habue-  
 ritis fidem, sicut granum sinapis, dicetis monti,  
 transi, & transibit, & nihil impossibile erit vobis.  
 Sinapi granum molle, parvum; sed acrimonia, &  
 virtute valens, fides cum humilitate. Montes  
 transfert, qui moles terrenorum impedimento-  
 rum in Dei servitio submover. 3. Præterea hoc  
 genus demoniorum non ejicitur, nisi in oratione,  
 & jejunio: quæ ex fide proveniant: nam granum  
 sinapis

4. Luc. 9.  
 44.  
 1. Matt.  
 17. 19.  
 2. Fides  
 sit humi-  
 lis.  
 3. Oratio  
 & jeju-  
 nium.



Cant.

3. 6.

Tob. 9. 8.

sinapis & fides cum cognitione sui spiritum orationis & mortificationis evaporat. Hæc est *virgula fumi ex aromatibus myrrha & thuris*, & est ille *fumus*, à Tobia adhibitus, qui extricat omne genus demoniorum.

MEDITATIONES DE MORTUIS  
à Christo suscitatis, ac de spirituali  
resurrectione.

**T**Res mortui referuntur suscitati à Christo, *puella*, in qua significantur qui ex infirmitate, & ignorantia peccant; *Adolescens*, in quo illi, qui ab æstu passionum abrepti; & *Lazarus* jam in sepulchrum illatus, quales, qui ex malitia peccant.

MEDITATIO XXXIX.

*De filia Archisynagogi suscitata.*

Matt. 9. Luc. 8.

PUNCTUM PRIMUM.

Luc. 8.

42.

1.

2.

Mors juvenum  
ob peccata.

**C**onditio puellæ. 1. erat *duodennis unica* proles parentum divitum, & nobilium. Nulla ætas tuta, & nullæ opes liberant, nec datur redire, quamvis isti datum, ut sit irremediabile, si semel malè. 2. In tali ætate præripiuntur aliquando ob peccata parentum, filiis nimium indulgentium, vel ob propria, in quæ ruunt, ne penitus præcipitentur. Vel bene quidem incedentes;

(sed



sed ne malitia mutet cor eorum, quod est favoris singularis, vel denique ob alias divinæ providentiæ rationes. Peram mihi contingere, uti maximè expediet. 3. Non potuit hæc defuncta per se quærere vitam à Christo: præstitit pro ea parens. Ita pro mortuis in peccato debemus fieri intercessores.

## PUNCTUM II.

**C**hristus obsequitur Archisynagogo, & pergit in domum ejus. 1. Non id merebatur ejus fides imperfecta: nam *rogavit ut intraret domum*, quasi non posset absens: indulgit tamen, quia humiliter ille petiverat, *procidens ad pedes Jesu*. 2. Voluit miraculum occultari, quia maximum hætenus patratorum, siquidem prima mortui suscitatio: quare seclusit omnes, præter tres discipulos, & parentes puellæ, & præcepit vehementer, ut nemo id sciret. Adhibuit tres illos, quos in Transfiguratione, & postea in hortu: ut illi tanquam fervidiores conscii essent trium maximarum rerum, & quæ ad gloriam Christi ejusque ignominiam, & ad salutem hominum spectarent.

## PUNCTUM III.

**T**enens manum puellæ, ait illi: *Tibi dico: surge.* Vocat ea, quæ non sunt, tanquam ea, quæ sunt. O si vocet me, & peccatores ad vitam gratiæ, pro potestate, & efficaciter. *Confestim surrexit puella, & ambulabat, & dixit, dari illi man-*

Aa

duca-

Luc. 8.

54.

Rom. 4<sup>a</sup>

18.

Verbo

suscitat.

Marc.

5. 420



*ducere.* Manu tenuit: nam eos, qui ex imbecillitate ceciderunt, roborat ad surgendum: *Ambulare coepit*: quia surgentes à peccato, debent se exercere in operibus bonis: cibo refici jubet, qui roborat vires cœlesti pane.

## MEDITATIO XL.

*De filio viduæ suscitato. Luc. 7.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Quatuor  
portito-  
res.

**D**efunctus erat adolescens, in quo significantur illi, qui æstu cupiditatum jacent mortui Deo, quæ ferè sunt, luxuria, ambitio, cupiditas, ira, & isti sunt innumerabiles, quos de-  
*Ier. 9. 1.* flere libet cum Ieremia: *Quis dabit capiti meo a-*  
*Motu* *quam, & oculis meis fontem lachrymarum, &*  
*proprio* *plorabo die ac nocte interfectos filia populi mei?*  
*suscitat.* Non fortuitò occurrit funeri, sed ex providen-  
tia, & facit non rogatus modò, quod aliàs non  
nisi rogatus. Verum & cùm rogatur, ipsius est  
inspiratio, ac ita totum ab illo est, & præparatio,  
& justificatio peccatoris.

### PUNCTUM II.

*Luc. 7.*  
*13.*  
*Palam*  
*suscitat.*

**M**isericordia *motus super viduam, dixit illi:*  
*Noli flere.* Non jam occultè, sed palam pa-  
trat miraculum suscitationis, ad fidem prædica-  
tioni faciendam. Et dum movetur misericor-  
diâ, ostendit non ostentationis causâ id facere;  
& docet erga afflictos commiserationem, maxi-  
mè



mè erga viduas & pupillos. Porro lachrymæ pro precibus sunt apud Deum, & præcipuè Ecclesiæ pro peccatoribus fusæ. O dic Domine: *Noli flere*, Inspira histe lacrymas, causam earum auferendo. *Actionum cessit & tetigit loculum: & qui portabant, steterunt.* Tangit Deus peccatorem, antequam suscitetur, modò timorem, modò spem, aliòsque affectus excitando: stant portitores, quatuor illa genera passionum, per quæ ad inferos peccator deportatur: nam cohibetur illarum vis, ut detur locus resipiscentiæ.

## PUNCTUM III.

**S**uscitat defunctum, dicens: *Adolescens, tibi dico, surge*: hæc est Verbi omnipotentia, non ut Elias, & Elisæus opus habuit supersterni defuncto: *Et resedit, qui erat mortuus, & coepit loqui.* Non statim ambulavit, quoniam qui passionibus serviunt suis, sentiunt adhuc difficultatem; incipiunt tamen loqui, confitendo peccata sua, veniam petendo, & Deum laudando pro vita sibi reddita. Quare non indignabor super tales, si non statim deponant prorsus pravæ quædam consuetudines. *Dedit illum matri suæ, solatium senectutis*: sic justificatos dat Ecclesiæ ad gaudium, & exultationem, etiam ipsius triumphantis. Revertitur adolescens suis pedibus, recuperato vigore spiritûs gradiens illuc, ad congregationem videlicet justorum, unde elatus erat mortuus per inordinatas cupiditates. Et acclamatum est Domino: *Quia Propheeta natus*

Verbo  
imparatSensum  
passiones  
fugiant



gnus surrexit in nobis, & quia Deus visitavit plebem suam.

## MEDITATIO XLI.

De Lazaro suscitato. Ioan. 11.

### PUNCTUM PRIMUM.

Ioan. 11.

3.

Modus  
orandi.

**S** Orores Lazari nuntiant Christo: *Ecce, quem amas, infirmatur*: forma orandi brevis, efficax, & perfectorum, per insinuationem tantum procedit ex amoris Dei erga se multa fiducia, cum resignatione integra in illius voluntatem. Uti licet pro jaculatoria, & possunt variari verba, quem creasti, qui est tua imago, quem redemisti, &c. & pro *infirmatur*, alia quævis necessitas supponi spiritualis, vel corporalis. Similis fuit illa: *Fili! vinum non habent: & sponsæ: si inveneritis dilectum, dicite: quia amore langueo.*

Io. 2. 3.

Cant.

5. 8.

### PUNCTUM II.

I.  
Solatiū  
justorum

**C**hristus renuntiat sororibus: *Infirmas has non est ad mortem, sed pro gloria Dei, ut glorificetur filius Dei per eam: & tunc mansit in eodem loco duobus diebus*: intra quod tempus Lazarus mortuus est. 1. Magnum solatium impertit Deus justis, quando mala eis obvenientia significat esse pro gloria sua: id verò sequitur, vel quia mirabiliter, non cogitantes liberat, vel quia eminere facit justorum virtutem in



in ferendo, & proventum donorum cum tenta-  
 tione eis reddit. 2. Cùm spes facta esset vitæ,  
 valde contristatæ fuerunt sorores de Lazari mor-  
 te, & probata est fides, cùm aliter evenisset, quàm  
 Christus dixisse videbatur. Ita, cum Abraham  
 iussus est immolare filium, in quo promissa erat  
 benedictio gentium: sed laudatur, *Quia in spem* Rom. 4.  
*contra spem credidit.* Quare cum Iob: *Etiamsi* 18.  
*occiderit me, in ipso sperabo, veruntamen vias* Iob. 13. 5  
*meas in conspectu eius arguam, & ipse erit Sal-*  
*vator meus.*

## PUNCTUM III.

Christus denuntiat Apostolis reditum in Iu-  
 dæam; at illi tergiversantur: *Rabbi, nunc* 11. 8.  
*quarebant te Iudæi lapidare, & iterum vadis il-*  
*luc?* sed confirmat illos duplici ratione. 1. quia  
 sunt *duodecim hora diei*, ita & *vita terminus cui-* Iob. 14. 5.  
*que à Deo constitutus, qui præteriri non poterit.*  
 Ut proinde metu mortis intempestivæ non sit  
 omittendum opus divinæ gloriæ. Vel, cùm tot  
 sint horæ diei, fieri potest, ut quod prima cogi-  
 tatum est, in alia mutetur; sicq; Iudæorum ani-  
 mi remiserint de odio. 2. *Si quis ambulaverit in* 2.  
*luce, non offendit:* hoc est bene agens non in-  
 curret mortem, quamdiu Deus illum servare  
 constituit: qui autem in tenebris peccati, is ali-  
 quando pro pœna peccati tollitur è medio, ut est  
 in Psalmo: *Viri sanguinum & dolosi non dimi-* Ps. 54.  
*diabunt dies suos, non pervenient ad medieta-* 24.  
*tem,* Amos.  
 8. 9.



tem, & occidet eis sol in meridie, in media luce vitæ.

**Sensim mortem pandit.** Post hæc rectè insinuat causam profectio-  
nis: *Lazarus amicus noster dormit, sed vado, ut à somno excitem eum.* Somnum vocat, quia tam facilè sibi foret, atque à somno excitare illum: sed præcipuè significat mortem amicorum Dei instar somni esse, ex quo homo redit ad consue-  
tas vitæ functiones. Ita iusti interquiescunt, dum ad vitam meliorem revocantur: non ita peccatores, qui ad æternam mortem suscitandi sunt.

**Imper- fectione no- lunt in- tellige- re, quæ agenda.** Apostoli præoccupati timore, non intelligunt verba Christi, alioqui non obscura, cum absur- dum foret, causâ somni iter suscipere. Ita imper-  
fecti nolunt intelligere, & semper aliquid com- mentantur circa mandata majorum. Quare  
Christus apertè dixit: *Lazarum mortuum esse, & gaudeo, inquit, propter vos, ut credatis.* Crede-  
bant illi quidem, sed confirmandi erant in fide per miraculum. Et quasi de novo credere dici possunt, quando ita afficiuntur, & si prius non credidissent, vel jam forent credituri. Ita cum vota renovo, ita affectus, ut si non antea, jam il-  
la voverem, rectè dicor tunc vovere. *Thomas ait: Eamus & nos, & moriamur cum illo:* fervor  
**Fervor D. Tho- mas.** charitatis in Deum, pro quo morti se offert, & in proximos, quos ad idem exhortatur. Offeram me pariter.

PUN.



## PUNCTUM IV..

**M**Artha occurrit Christo, quem ita compellat: *Domine, si fuisses hic, frater meus non fuisset mortuus.* Utiq; fit, ut subducente se Christo, in mortem peccati labamur: obsecro, *Non me derelinquas usquequaque,* usque ad lapsum. Subjicit Martha: *Sed & nunc scio, quia quaecunque poposceris à Deo, dabit tibi.* Infirmæ fides, Infirmæ quali non ipse posset conferre vitam, nisi precibus obtinendo, cum tamen esset Deus: quod Dominus volens corrigere, ait: *Ego sum resurrectio & vita,* dator videlicet istorum, *qui credit in me, etiamsi mortuus fuerit, vivet, resurget ad vitam, & omnis, qui vivit, & credit in me, non morietur in æternum,* quasi dicat: & vita, ad quam credentes resurgent, erit vita nunquam defectura. Totum est verum tam de corporali, quam de spiritali resurrectione, & vita: nam mortuus peccato, per fidem caritate animatam recipit vitam gratiæ, & hæc vita credentium propagatur in æternum, quantum ex ipsa est. Porro Christus de corporali resurrectione maximè loquitur. Ad hæc Martha, *Credidi Domine, quia tu es Christus Filius Dei vivi, qui in hunc mundum venisti,* ac proinde, quod possis pro arbitrio suscitare mortuos. En, quàm docilis, & quomodo corrigit seipsam! Christus adesse Mariam etiam vult miraculo, pro merito amoris ejus erga ipsum Christum, utque ita illam magis accenderet. *Surrexit citò, & venit, & cecidit ad* Mariæ obedi-  

entia.



Reve-  
rentia.

Fides.

*pedes ejus.* Ubi imitanda prompta obediētia, post-  
habitis, qui eam consolabantur: sic agendum,  
cū Deus vocat. Deinde reverentia, acceden-  
do ad pedes, quod non legitur de Martha, & no-  
biliores Iudæis spectantibus, qui Christum  
oderant. Denique fides & resignatio: nam cū  
duxisset: *Frater meus non fuisset mortuus*: non  
subjecit, quod posset adhuc orando resuscitare  
illum, ut dixerat Martha; sed credens, quod pro  
potestate id posset: nec tamen petiit, Christo  
rem relinquens, qui modus habet vim impe-  
randi: unde Ecclesia precibus Magdalene in  
collecta tribuit fratris suscitationem. In Martha  
& Maria designantur actio & oratio, sive con-  
templatio; utraque concurrere debet, ad con-  
vertendos peccatores.

### PUNCTUM V.

Christus  
flet cum  
flentibus

**I**esus turbatur spiritu & lacrymatur. i. quidem  
ut vidit Mariam plorantem, & Iudæos, infre-  
nuis spiritu, & conturbavit seipsum, & lacry-  
matus est. Deinde, rursus fremens in seipso, ve-  
nit ad monumentum. Prius quidem ex officio  
charitatis, ut fleret cum flentibus, & propter  
Pharisæos tunc flentes, sed ex miraculo captu-  
ros occasionem Christum ipsum interficiendi:  
posterius autem, ex commiseratione defuncti &  
peccati recordatione, per quod mors introivit,  
pro qua abolenda foret etiam ipse subiturus si-  
milem conditionem, ut involutus conderetur  
sepulchro.

La-



Lacrymas Christi acceperunt alij pro signo Judicia  
 amoris singulari in Lazarum, alii autem calum- mundi  
 niabantur, cur non prohibuerit mori, siquidem vana  
 potuerat cæcum à nativitate curare? Iubet Chri-  
 stus tolli lapidem, ut cadaver fieret conspicuum,  
 noluit verbo ipse amoliri, quia non utitur mira-  
 culo in iis, quæ per alios fieri valent. Obstitit  
 Martha, quòd *foeteret jam quatrIduanus*: sic ami-  
 ci obijciunt impedimenta, quando expedire quis  
 se vult à malo statu. *Elevatis sursum oculis, gra-  
 tias agit.* Docemur è cælo petendum peccato-  
 ri remedium: *gratias agit*, tanquam pro acce-  
 pto, quia certum erat.

## PUNCTUM VI.

**S**Vscitat voce magna clamans, *Lazare, veni* 1. Cor.  
*foras.* Extulit vocem, quasi ad longè positum, 15. 52.

& erat anima in limbo: item dedit specimen  
 horribilis illius tubæ: Surgite mortui, venite  
 ad iudicium. Obedivit imperio, & adhuc vin-  
 ctus prodiit, non modò vivus, sed perfectè sa-  
 nus, qui *foete*bat prius. Iubet solvi à discipulis,  
 ut ipsi propriùs cernant miraculum. Est forma Lazari  
 peccatoris, qui subtrahente se gratia moritur, ac forma  
 sepelitur, obrutus terrenis cupiditatibus, & clau- peccato-  
 ditur lapide obdurationis, & foetet à scandalis ris.  
 præbitis. Pro hoc orant iusti, & Christus effi-  
 cacitate suæ inspirationis, & motionis ad vitam  
 revocat, ut de nullius salute sit desperandum.  
 Prodit *ligatus institis*, vitæ prioris habitibus,  
 quos deponit directione Patris spiritualis. Vel



excitatum per divinam inspirationem solvit à peccatis Sacerdos. Nam etiam, qui per contritionem revixerunt, debent absolvi in Sacramento pœnitentiæ.

## MEDITATIO XLII.

*De Concilio contra Christum occasione suscitati Lazari. Ioan. 11.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Invidia  
cæca.

**Q**Uemadmodum odio & invidia perciti Iudæi, ex bono Christi operē parant sibi venenum ad interitum: nam qui interfuerant suscitationi Lazari, ad Phariseos referunt. Unde coacto concilio, Pontifices & Pharisei dicunt: *Ioan. 11. 47. Quid facimus, quia hic homo signa multa facit?* Et tam sunt cæci, ut id, unde omnes credituros in Iesum ominantur tanquam in Messiam, ipsi nolint intelligere, atque ita fit iusto Dei iudicio, ut malum temporale, quod metuunt, prædicant: *Venient Romani, & tollent locum nostrum, & gentem.*

### PUNCTUM II.

V. 49.  
Superbia alios  
arguit.

**S**ententia Caiphæ Pontificis: *Vos nescitis quidquam neque cogitatis:* ab arrogantia orditur, quasi solus sapiat, & tam insipiens fuit, ut, quod ad avertendam cladem à populo necessarium esse dixit, causa extiterit excidii: sed quod ille proprio spiritu malè cogitaverat, Spi-  
ritus



ritus Sanctus vertit in Prophetiam, ut per illa ipsa verba prædiceret necessitatem Christi passionis, ad totius generis humani salutem: *Quia expedit vobis, ut unus homo moriatur pro populo, & non tota gens pereat.*

## PUNCTUM III.

**C**onspiratio in Christi necem. *Ab illa ergo* Jesus *die cogitaverunt, ut interficerent eum.* Nec mansue-  
latuit Christum omnia scientem, & tulit, ut a-  
tuscendit. *Ier. 11.*  
pud Ieremiam ipse loquitur: *Tu autem Domine demonstrasti mihi, & cognovi. Tu ostendisti mihi studia eorum.* Et ego quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam; & non cognovi, quia cogitaverunt super me consilia, dicentes: *Mittamus lignum in panem ejus, & eradamus eum de terra viventium:* quomodo cognovit & non cognovit? quia scivit; sed non, ut vitaret, aut ulcisceretur. Ergo abiit in *Joan.*  
*regionem juxta desertum in civitate, quæ dicitur 11. 54.*  
*Ephrem, & ibi morabatur cum discipulis suis:* qui permanebant cum eo in tentationibus ipsius. Ibi comparavit ad se ad appropinquan-  
tem jam horam suam.

*Quæ his sunt consequentia, habentur in quarta parte.*

De



**DE  
PARABOLIS CHRISTI.  
MEDITATIO XLIII.**

*De Sapiente & Stulto. Matth. 7. Luc. 6.*

**H**Æc Parabola dicta est à Domino post sermonem in monte, propter variam dispositionem audientium.

**PUNCTUM PRIMUM.**

**S**apientem Christus nominat eum, qui audita non tantum credit, sed facit; stultum verò, qui, cum credat, contrarium facit: nam, quæ major est stultitia, quàm cum credas æternos ignes deberi peccanti, & Deum ubique præsentem omnia conspiciari, nihilominus ita agere, ac si Deus non videret, vel infernus non esset?

Stultus  
aliter a-  
git quàm  
credat.  
Flumi-  
na, venti  
pluvia  
signant  
3. tenta-  
tiones.

Et talium stultorum infinitus est numerus in Ecclesia Dei: quare comparatur etiam stultis virginibus, non solum prudentibus. Porro flumina, venti, & pluvia, quæ quatiunt domos tam sapientum, quàm stultorum, significant tria genera tentationum. *Flumina* è terra sunt, nempe caro nostra & homines terreni, à quibus exercemur. *Venti* significant aëreas potestates. Denique *pluvia* è cælo veniens, illas tentationes, quæ ex speciali providentia Dei veniunt, etiam per homines alioqui zelosos, sed non secundum scientiam.

Rursum, *flumina* sunt tentationes sensualitatis & avaritiæ, quæ dicitur *Concupiscentia carnis*.

*Venti*



*Venti* curiositatis & vanitatis, quæ est *concupiscentia oculorum*. *Pluvia* superbiæ & ambitionis, aliàs *superbia vite*. Præterea *flumina* domus fundamenta subruunt, & sunt tentationes *incipientium*. *Venti* latera quatunt, surgentesque parietes, qui sunt *proficientes*. *Pluvia* in tecta decidit, in eos, qui culmen *perfectiōnis* tenent. Nullus quippe gradus à tentatione immunis.

## PUNCTUM II.

**Æ** *Dificare supra arenam*, est contentum *Arena* esse, quod credas absque stabili proposito vivendi juxta fidem. *Arena* est cor varijs affectionibus terrenis dissipatum ac dissolutum. Denique vires propriæ, & inconstantia nostræ voluntatis, ac proprii judicii regula, sunt *arena*, nihil habens soliditatis ad sustinendum ædificium spirituale. Statua Nabuchodonosor, *Dan. 2.* tametsi alioqui magnifica, quod digitos haberet fusiles, percussa parvo lapide, corruit. Ita omnia talenta, & gratiæ ipsæ gratis datæ, & quicquid est speciosum, si carent soliditate fundamenti. *34.*

## PUNCTUM III.

**I**n *petra* ædificat, qui in fide viva, quæ per *Petra* est dilectionem operatur, sicut optat Paulus: *charitas* *Vi Christus habitet per fidem in cordibus vestris, Eph. 3.* & sitis in *charitate radicati & fundati*. *Petra* <sup>17.</sup> Mortificatio. est etiam intima sui cognitio perveniens usque ad



Gratia.

Phil. 4.

13.

Rom. 8.

35.

Mat. 16.

18.

ad centrum proprii nihili, in quo tanquam terra stabilis, immotaque perseverat. *Petra* est etiam Christi gratia, cui fidendum, non sibi: *Omnia possum in eo, qui me confortat*, ut dicere possim: *Quis me separabit à charitate Dei? nec portæ inferi prævalebunt adversus eum.*

## MEDITATIO XLIV.

De Semine. Luc. 8.

## PUNCTUM PRIMUM.

Semen  
verbum  
Dei,

**S**emen est verbum Dei, ut ipse Dominus exposuit, idque tum externum instructionis, tum internum inspirationis divinæ, & hoc maxime; quod est, quasi vis seminalis in grano, quia sine interno frustra jacitur externum. Qui seminat, est præcipue Deus, auctor bonæ inspirationis. Externum autem verbum etiam hominis & pij libri, tanquam semen jaciunt.

Terra anima.

Terra est anima, secundum suas potentias. In *memoria* excipit pias cogitationes, sanctarumque rerum imagines: in *intellectu* illustrationes cælestes ad divina penetranda, nec non consilia bona agendorum, & dictamina conscientiae, vel arguentis quæ agit, vel probantis: in *voluntate* motiones varias ad bonum. Finis est, ut terra ipsa perficiatur. Gratias agam, petam, ut terram animæ meæ subigere, seminareque copiose velit.

Finis  
fructus  
operum.

PUN.



## PUNCTUM II.

Quid non omnis terra fructificat. 1. Illa, <sup>1.</sup> *quæ est secus viam*: quo fit, ut partim <sup>Via cor durum.</sup> semen conculceretur à prætereuntibus, partim à volucribus comedatur. *Hi sunt, qui audiunt, deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salvi fiant.* Nempe homines cor habentes pervium quibusvis cogitationibus & desiderijs, qui non condunt intra se verbum, & exterius in superficie tantum excipiunt, ut solum non subactum, quales sunt viæ publicæ. 2. Est terra petrosa, quæ <sup>2.</sup> non habet humorem. *Hi sunt, qui cum gaudio suscipiunt, & in tempore tentationis recedunt.* Nempe homines bene propensi, sed instabiles. in quibus semen radices non agit; sicque orto sole tentationis, arescunt; quos S. Marcus *Temporales* vocat, & sunt quasi nubes matutina, & quasi ros manè pertransiens. Porro sol lucet & adurit, quod est duplex tentationis genus, unum à prosperitate, alterum ab adversitate rerum: oportet autem se exhibere Dei servum in utraque fortuna, atque ut ait Paulus, *Per infamiam & bonam famam, &c.* 2. Cor. 6. 3. Est terra *Spinosa*, in qua <sup>3.</sup> simul exorta spinæ <sup>Spinæ divitiarum, curæ, voluptates.</sup> semen suffocant: & hi sunt, qui à sollicitudinibus & divitijs, & voluptatibus vite evanescentes suffocantur, & non referunt fructum. Tria ista, quæ blanda hominibus videntur, Christus vocat *Spinas*; nempe animum pungunt, & cruciant.



ciant. O Deus! malim pungi spinis tuæ coronæ: & licet carnem lacerent, spiritum sanant.

Nota, quòd prima terra ne germinare quidem incipit: secunda non promouet defectu succi: tertia succum habet, sed ob vepres non affurgit.

## PUNCTUM III.

Tres  
gradus  
fructuū  
bonorū.

**T**erræ bonæ & fructiferæ sunt tres similiter gradus: alia reddit *Tricesimum*, alia *Sexagesimum*, alia *Centesium*, juxta tres gradus incipientium, proficientium, & perfectorum, vel, ut Patres exponunt, secundum status conjugij, Cælibatūs, Martyrum.

## MEDITATIO XLV.

*De Zizanijs. Matth. 13.*

Mat. 13.  
37.

**E**Xposuit hanc parabolam ipse Dominus: *Qui seminat bonum semen, est Filius hominis. Ager autem est mundus, bonum verò semen hi sunt filij regni. Zizania autem sunt filij nequam. Inimicus autem, qui seminavit ea, est diabolus.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Justi semen.

**I**usti sunt Christi semen, hoc est filij ab eo geniti in gratia, & ideo semen dicuntur, quia per eos alij gignuntur Christo. Filij autem regni dicuntur, quia, *si filij & hæredes regni paterni.*  
Zizania

Rom. 8.  
17.



Zizania familia sunt tritico in herba, cum autē creverint, nigrescunt, & nocent tritico. Quin obsunt edenti, visum lædunt, & provocant vomitum: sic mali homines conveniunt cum bonis in natura, quin & in fide, & ritibus externis: at terri intus sunt à peccatis, obsuntque utentibus eorum consuetudine, Deoq; nauseam provocant. Prius seminatur triticū, postea zizania: quia boni prius fuerunt, quàm mali, tum Angeli, tum homines. Et nunc quos Christus regeneravit, inter eos mali à diabolo superducuntur: imò ex tritico conantur facere zizania, ex filijs Dei filios diaboli, & facit id, *dormientibus hominibus*, incurijs, & negligentibus suam salutem. Ubi *superseminavit*, abiit, ut qui, jacto in alium lapide, abit, & subducit se, nolens videri auctor: idque est tantò perniciosius, quòd se *transfigurat in Angelum lucis*, ut ex Deo videatur semen. Nam ab initio non apparet tritico absimile, sic mali homines, semen diaboli, bonis se initio accommodant, eadēque simulant studia, videlicet induunt vestimenta ovium. Abit etiam diabolus, quia desistit à tentando, ut post interval- lum invadat incautos periculosius.

Zizania  
mali  
omnes,

Dæmon  
venit  
dormiē-  
tibus ho-  
minibus;

## PUNCTUM II.

Servi dicunt patrifamilias, *Nōne bonum semen seminasti in agro tuo? unde ergo habet zizania?* post sementem Evangelij à Christo factam, ac post abundantiam gratiæ in omnes effusam, qui zelum habent Dei, mirantes dicunt, un-

Admira-  
tio de zi-  
zanijs,

Bb

de



Mat. 13.

28.

Iac. 1.

13.

Ioan. 8.

44.

1. Ioan.

3. 8.

Cur finit  
zizania  
Deus  
crescere.

de tantum scandalum in agro dominico; & inter eos ipsos, qui sal & lux esse debuerunt: & inter illos, qui perfectione profitentur? dicam etiam ego & intra me, unde tot imperfectiones, & peccata, quæ suffocant spiritum? Respondet Dominus: *Inimicus homo hoc fecit. Deus intentator malorum est.* Diabolus autem Tentator per excellentiam dicitur, & Sathan, sive adversarius, cuius semen & filij sunt, qui ejus desideria perficiunt: nam, qui facit peccatum, ex diabolo est. Sed & homo ipse peccator intelligi potest nomine inimici, qui animam suam perdit propria voluntate. Ergo & homo sibi ipsi inimicus hoc facit. In altero etiam sensu accipi potest superior interrogatio: Cum tuus, Domine sit ager & ipse seminaveris, quare finis superseminari zizania? Ad hunc sensum non respondet Christus Dominus, quia non oportet scrutari arcana divinæ providentiæ: illud est certum, & sufficit absque magna & justa ratione id non permittere, indeque multa bona elicere in salutem electorum.

## PUNCTUM III.

Zelus nimius patet.

1.

2.

3.

Servi autem dixerunt ei, *vis imus & colligimus ea?* hic est justorum zelus, qui potest esse intempestivus, ex quatuor causis. 1. Si omnia simul velint eradicare, sive ex Ecclesia, sive ex Congregatione Religiosa, sive ex se ipsis, quod non potest ordinaria lege. 2. Si ante tempus, quia malus sustentatus, fortè fiet triticum, & minimum conando, fortè perdes sanitatem. 3. Si cum



cum periculo eradicandi triticum seu emendes malos, seu punias cum damno bonorum, quod accidit in bellis suscipiendis. 4. Si spiritu vindictæ, ut cùm Apostoli petebant ignem mitti in *Luc. 9. Samaritanos*, quòd non reciperent Christum. 54. Respondit Dominus: *Non, ne fortè colligentes Mar. 13. zizania, eradicetis simul & triticum.* Considera 29. charitatem erga hominem: nam Angelos peccantes, quasi zizania statim extirpavit, ignique Dei charitas. tradidit: homines autem sustinuit, dum in triticum, si vellent, verterentur. Parcit etiam zizanijs propter bonos, sicut cùm paratus fuit Sodomitis parcere, *si vel decem reperirentur in eis Gen. 18. 32.* *justi*: quod magno solatio est bonis, & spem facit, quod eis non oberit inter malos conversari, & versari. Nihilominus quando absque damno tritici possunt zizania extirpari, Dominus id nequaquam vetat.

## PUNCTUM IV.

Significat Dominus tempus collectionis. *Si Mali cū Snite, inquit, utraque crescere usque ad messem,* bonis. quo monemur semper in hac vita futuros malos mixti. permixtos, & quantumvis semper seminet Diabolus zizania, nunquam defuturum triticum. Putabat Elias, se relictum solum cultorem Dei, cùm audiit à Domino. *Reliqui mihi 3. Reg. 19. 18.* *septem millia virorum.* Deinde simul utrumque crescit, & lolium, & triticum, juxta illud. *Qui Utrique sordidus est, sordescat adhuc, & qui justus est, crescunt. Apo. 22. 11.* *justificetur adhuc.* Sed triticum ex Dei voluntate,

B b 2

tate,



Judiciū  
genera-  
le.

tate, & per ejus gratiam; zizania autem ex per-  
missione illius tantum. Messis tempus erit du-  
plex, & particulare, in morte cujusque; & uni-  
versale, post resurrectionem, quando *Angeli*  
*colligent de regno ejus omnia scandala*; & eos,

*Mat. 13. qui faciunt iniquitatem, mittent in caminum*  
*41. ignis. Colligent autem ea in fasciculos ad combu-*  
*rendum*, ut ejusdem culpæ socios similiter cru-  
ciandos tradant: & quemadmodum fasciculi  
se mutuo accendunt, ita infelices illi sibi mu-  
tuo sint ad tormentum. *Eritque ibi fletus &*  
*stridor dentium*, præ rabie invicem excandescen-  
tes, & in eos, qui sibi damnationis occasio ex-  
*Mat. 13. titerunt. At triticum*, inquit, *congregate in hor-*  
*43. reum meum. Tunc fulgebunt justi, sicut sol in*  
*regno Patris sui.*

## MEDITATIO XLVI.

*De grano sinapis. Matth. 13.*

### PUNCTUM PRIMUM.

Granum **G**Ranum sinapis refert Christum: nam est  
sinapis. minimum, nec specie, nec odore æstima-  
Christus. bile, intus tamen efficax & calefactivum, præ-  
*Ps. 21. 7. fertim si teratur. Ita Christus de se: Ego sum*  
*Colos. 2. vermis & non homo*: at intus secundum ani-  
*2.* mam, *In eo erant omnes thesauri sapientie &*  
*scientia DEI*, quin habitabat in eo divinitas  
corporaliter: qui attritus in cruce vim suam  
exeruit;



exeruit, ut inflammaret omnes, & traheret omnia ad se. In Evcharistia est etiam minimus, quando in grani minima particula totus est, & manducatus accendit & condit, quamvis insulsa & ingrata. 2. Deinde refert justos, foris despectos, intus à charitate ferventes, qui persecutionibus vexati virtutem suam produnt, exemplo Christi. Hinc Ecclesia dicitur *nigra, sed formosa*. 3. Refert etiam eas virtutes, quibus Regnum cœlorum acquiritur, quarum prima est fides in Christum, mundo despecta: nam credere in Christum crucifixum, *Judeis quidem scandalum, gentibus autem stulticia habetur, ipsis autem vocatis Judeis & Grecis, est Dei virtus & sapientia.* Pariter octo illæ beatitudines à Christo pronuntiatae judicio mundi minimæ sunt tales, sed potius miseriæ maximæ: at intus degustatæ deprehenduntur omnino tales. Denique *stulta mundi elegit Deus, ut confundat sapientes, & infirma, ut confundat fortia, & contemptibilia, & quæ non sunt, ut ea, quæ sunt, destruat, ut non gloriatur omnis caro in conspectu Dei.*

## PUNCTUM II.

Quomodo granum hoc terræ mandatum simile germinet in arborem præ omnibus oleis, ut ex uno plurima grana existant: Ita Christus in terra mortificatus, evasit in caput hominum & Angelorum, sortitusque est nomen super omne nomen. Et impletum est illud, in die illa



*Isa. 4. 2. erit germen Domini in magnificentia & gloria,*  
 Apostoli & fructus terra sublimis. Eodem modo Apo-  
 stoli evaserunt in magnas arbores per multas  
 tribulationes, sicut prædixerat eis Christus; fa-  
 ctique sunt tot fidelium Patres. Similiter Mar-  
 tyres, & Confessores, atque ego ipse potero.

**Virtutes** Idem accommodari potest ad ipsas virtutes:  
 nam *fides* crescit usque ad contemplationem  
 Dei, *spes* usque ad prægustationem cælestium,  
*charitas* usque ad unionem cum Deo perfectam,  
*obedientia*, ut Dei exequatur voluntatem, tan-  
 quam in cælo sit, *fiducia*, ut montes transferat.

### PUNCTUM III.

**Rami  
Christi  
qui:**

**Q**uod veniunt aves, & habitant in ramis e-  
 jus. Christi quasi rami sunt, ejus prædi-  
 catio, consilia Evangelica, Sacramenta, exem-  
 pla actionum, miracula, & vitæ ejus mysteria: in  
 his ramis habitant non magnæ & rapaces aves,  
 typus servorum, sed parvæ, hoc est, humiles  
 animæ per contemplationem illuc evolantes:  
 qualis erat, quæ dicebat. *Sub umbra illius, quem*  
*desideraveram, sedi, & fructus ejus dulcis gut-*  
*turi meo: Quis dabit mihi alas & volabo, &*  
*ibi requiescam?* Deinde & sancti viri tanquam  
 arbores expanderunt ramos suos, prædicando,  
 scribendo, vivendo; quos intuendo &  
 imitando, proficere de-  
 bemus.

*Cant.*

*2. 3.*

*Ps. 54. 7.*

ME-



MEDITATIO XLVII.

De negotiatore margaritarum.

Matt. 13.

PUNCTUM PRIMUM.

**Q**uod studia negotiantium sint varia pro diversitate rerum, quas quærunt : alij enim bona temporalia , alij scientias, alij politicas virtutes, tanquam margaritas, venantur. Christianus autem quærere debet Christum, & quæ nos cum illo jungunt virtutes. *Hæc est generatio quærentium Dominum, quærentium faciem Dei Iacob.* Ps. 13. 6.

PUNCTUM II.

**Q**uomodo quærere oportet? incessanter petendo à Deo : *Petite, & dabitur vobis.* Mat. 7. 7  
Deinde studiosè meditando circa illa , ubi invenitur Christus. Denique insistendo illis medijs, quæ inspirantur à Deo, & alioqui sunt idonea.

PUNCTUM III.

**B**onus negotiator, inventa una pretiosa margarita, vendit omnia quæ habet, & emit eam. Una & pretiosa dicitur : hæc est Christus Deus homo, non plures, sed unus : vel etiam charitas, quæ est vinculum perfectionis, in quo omnes vinciuntur virtutes : & quæ nos unum facit cum Deo, & proximo, ut sit *cor unum*, & anima una. Dicitur inter conchilia margaritarum. Col. 3. 14. Act. 4. 32.



Cant.

8. 7.

Examen

rum esse unum, quasi dux, quo capto, facile reliqua capiuntur, hæc est charitas : invenitur, cum planè penetratur illius excellentia, & cognita rapit ad se cor, ut parum judicet, pro illa dare omnia, juxta illud. *Si dederit homo omnem substantiam domus sue pro dilectione, quasi nihil despiciet eam.* Inspice, quam margaritam quæras, an hanc pretiosam, vel potius terrenam aliquam. Deinde, quàm serio quæras. Denique quid pro habenda dare velis, quanti eam æstimes?

## PUNCTUM IV.

Religio-  
sa perfe-  
ctio.Marga-  
rita.

Cant.

4. 9.

**Q**UOD hæc margarita pretiosa sit etiam perfectio religiosa, ad Christi imitationem quæ una est, eminenter continens dilectionem duplicem, Iesu, & proximi, quasi lumen duplex oculorum, de quibus ad Sponsam dicit Dominus. *Vulnerasti cor meum, in uno oculorum tuorum. Vnum* dicit, cum sint duo : quia ut unus agunt, & quo unus vergit, etiam alter : tales sunt actiones Religiosorum ex Dei & proximi charitate. Magni fiunt duæ margaritæ similes & pro inauribus appendi solent ad ornamentum. Ita Religiosam vitam ornant dilectio Dei, & proximi. Si intelligerent homines pretium ejus, omnes vellent sua divendere, pro ea comparanda. O intelligam ego ! ô studeam copulare in unum, & duobus, quasi uno oculo, videre Deum & proximum !

ME-



## MEDITATIO XLVIII.

De ove perdita. Luc. 25.

## PUNCTUM PRIMUM.

**H**omo, qui habet oves, est Christus, qui Pastor propter illas descendit de cælo, & mirabiliter eas gubernat, Novit singulas nominatim suo charactere signat, ante eas vadit, præcedens exemplo, curat à scabie peccati, defendit à lupis infernalibus, pascua præbet pingua, doctrinæ, & Sacramentorum: imò seipsum illis in cibum dat. O sic me governa, & pasc!

*Dominus regit me, & nihil mihi deerit.* Cen- *ps. 22.*

tum oves sunt generatim Fideles, sed peculiari- *11.*  
ter electi, quos in numero habet Deus, & scit, *Oves fi-*  
*deles.*  
*Joan. 10.*  
*13.*

*qui sunt ejus, hi vocem ejus audiunt*, obedi-  
tes ejus præceptis, noverunt ipsum per fidem &  
contemplationem, sequuntur imitatione, gau-  
dent illius pascuis, reddunt ei suam lanam, ex-  
terna bona, lætiam internorum affectuum &  
delicias à se abdicant propter ipsum, fœtus item  
bonorum operum, & carnem denique propri-  
am, si opus sit mori illius causa, ut vicem red-  
dant. *Dilectus meus mihi, & ego illi.*

*Cant.**2. 1.*

Ovis  
perdita  
peccator

Ovis periens est peccator, ex cætu justorum,  
& obedientia pastoris proprio suo arbitrio dis-  
cedens, nempe non intelligit, nec æstimat bo-  
na, quæ sub illo habet: grave illi est audire vo-  
cem ejus, dura reputans mandata illius; diffi-  
cile sequi euntem per vias asperas crucis, &

Bb 5

mor-



mortificationis, fastidit pascua spiritualia, præfert carnalia. Retinet sibi lanam, lac, & fœtus, omnia in suum referens commodum. ô quot sic errant usque ad præcipitium inferni ! *Omnes, quasi oves erravimus, unusquisque in viam suam declinavit.*

*Isai. 53.*  
6.

Charitas  
Christi  
quæren-  
tis.

Pastor bonus errantem quærit ovem, totum genus humanum. Ideo in carne venit, triennium prædicavit, & tandem mortem subiit. Et cum propter omnes ea perfecit, studio tamen peculiari per se ipsum quæsit eas, quæ tunc aberrabant, & nunc etiam quærit omnes per suos ministros, & oblata remedia, ac internas inspirationes. Et cum nihil sua intersit, si pereat, quia nec lana earum vestiri, nec nutrirî lacte, nec fœtu ditescere opus habet, referre tamen sua ait. *Et illas oportet me adducere.*

*Ioan. 10,*  
16.

## PUNCTUM II.

**Q**uid agit, cum invenerit ? Matthæus ait : Si contigerit, ut inveniat eam : quo significatur, ipsas oves subducere sese, & occultare, ne inveniantur. O Domine, *Erravi, sicut ovis, quære servum tuum*, ne desistas, quantum vis ego fugiam & me abscondam, sicut Adam, & tergiversari velim, sicut Cain. Inventam ovem non percutit baculo, non raptat, non tundit calce, sed lætus in humeros suos attollit. Docet, benignè excipiendos peccatores, in humeros imponit, quia *peccata nostra ipse tulit in corpore suo*, & quia sua gratia facit eis suave iter salutis.

Christus  
perdi-  
tam re-  
ducit.

*1. Pet. 2.*  
24.



lutis. Quidni ego vicissim : Tollam jugum ejus, quod suave est, & onus leve ? Quin instituit publicam gratulationem, convocans amicos & vicinos, Angelos & justos, dicens illis : Congratulamini mihi, quia inveni ovem meam, quæ perierat. Matt. 11. 29.

## PUNCTUM III.

**E**piphonema. Dico vobis, quod ita gaudium Gaudium  
erit in cœlo super uno peccatore pœnitenti- conver-  
am agente, quàm supra nonaginta novem justis, sionis.  
qui non indigent pœnitentia. Quemadmo-  
dum si pater aliquis habeat plures filios sibi  
charissimos, ac ex eis unus ad mortem infirmitur, & præter spem convalescat, extraordinarium gaudium concipit ipse, & familia tota, quale non ex reliquis sanis : ita in hoc discam gaudere & gratulari de salute peccatorum, & non ut Phariseus murmurare. Ac si aliquando aberrem, vel ideo redire studeam, ut Deum & Angelos lætificem : contra, averset peccatum, ne contristem.

## MEDITATIO XLIX.

De Filio prodigo. Luc. 5.

## PUNCTUM PRIMUM.

**D**uo genera filiorum, bonus est major natus, Boni &  
quia virtus antiquior vitio est, & confert mali filii  
senilem maturitatem, & prudentiam : malus au-  
tem



tem est junior, ab imprudentia & levitate animi, quam ostendit petendo à patre portionem suam, quasi Deus quidpiam alicui debeat, & præsumens, quòd possit per se eam gubernare. Adverte, quomodo Deus talenta distribuat naturalia, nec non etiam supernaturalia dona, ut  
*Eccl. 15.* utantur pro libertate. *Deus enim ab initio constituit hominem, & reliquit illum in manu consilij sui:* ita tamen, ut bonum usum suggerat, & auxilium præbeat. Disce bene agi cum eo, qui in domo patris cœlestis amat manere sub ejus gubernatione, nec præsumit seipsum regere, ut iste prodigus, qui in regionem longinquam abiit, elongatus à Deo per peccatum, & oblivionem sui Creatoris, jacturamque faciens omnium acceptorum, inhærendo creaturis: fit, ut superbus degeneret in luxuriæ sordes. Cogitabo, me ejusmodi fuisse, qui me subtraxerim à Patre, & mille peccatis involverim per hoc.

## PUNCTUM II.

- 1.** *Fames.* **M**iseriæ recedentis à patre. 1. Fames, non panis, sed cibi spiritualis, in regione illa longinqua, non usus Sacramentorum, non exhortatio, aut lectio pia, non exempla virtutum, non internæ à Deo consolationes. 2. Adhæret uni civium, diabolo, qui ad indigna servitia servientem abjicit. 3. Pascit porcos, in id tantum intentus, ut sensuales cupiditates expleat, vel ipsos etiam dæmones pascit, qui turpitudinibus hominis, quasi cibis oblectantur. 4. Neque miser



fer satiatur, quia est cibus bestiarum, non ho- Insatia-  
 minis. Misericordiæ divinæ est affligere pec- bilis vo-  
 cantes, ut resipiscant, sicut iste doctus malis. luptas.  
*Sepiam, inquit, viam ipsorum spinis.* Contrà est Osea  
 periculosa prosperitas peccatori. *Misereamur* 2. 6.  
*impio, ait Dominus, & non discet justitiam.* Et Isa. 26.  
*quiescet indignatio mea in te, & auferetur zelus* Ezech.  
*meus à te, & quiescam, nec irascar amplius.* 16. 42.

## PUNCTUM III.

**R**esipiscit prodigus. Initium conversionis, Gratia  
 reflectere super statum suum. *In se autem* præve-  
*reversus, præventus gratia; quæ etiam pecca-* niens.  
*tores non deserit. Redite peccatores ad cor.* Et Isa 46.  
*audite duri corde, qui longè estis à justitia; pro-* 8. 12.  
*pe feci justitiam meam, non elongabitur, & salus*  
*mea non morabitur.* Tantùm velitis. Deinde Adju-  
 promovet conversionem, si suum cum statu ju- vans.  
 storum conferat, etiam minus perfectorum :  
*Quanti mercenarij in domo Patris mei abun-*  
*dant panibus? ego autem hîc fame pereor.* Atque  
 id tanto efficacius fit, si ipse ex illis aliquando  
 fuit. *Vadam & revertar ad virum meum prio-* Osea. 2.  
*rem, quia bene erat tunc magis, quàm nunc.* Et 7.  
*convertimini & videbitis, quid sit inter justum* Mal. 3.  
*& impium, & inter servientem Deo, & non ser-* 18.  
*vientem ei.* Præterea ex his sequitur proposi- Proposi-  
 tum firmum & efficax nixum agnitioni sui, & tum effi-  
 fiduciæ in Deum. *Surgam & ibo ad patrem* cax.  
*meum, & dicam : jam non sum dignus vocari*  
*filius tuus, fac me sicut unum de mercenarijs*  
*tuis.*



*tuis.* Tandem festinato opus est ad exequendum propositum, ut iste; *Et surgens venit ad patrem suum.*

## PUNCTUM IV.

**E**Xcipitur à patre: *Cùm adhuc longè esset, vidit illum pater ipsius, Et misericordiâ motus est.* Cùm adhuc in peccato esset, & resipiscere cogitaret, imò ante hoc: quomodo enim cogitaret, nisi Deo præveniente per gratiam? Iubet reddi *primam stolam* iustitiæ, *annulum in manus*, ad exercitium bonorum operum, *calceamenta pedibus*, ad mortificationem pravorum affectuum, & convivio adhibet sui sacratissimi corporis: atque hæc omnia agit significatione maxima lætitiæ. Quid tunc filius, quando non inter mercenarios se receptum, sed in priorem statum videt?

Reddit  
gratiam

## PUNCTUM V.

**Q**Uod senior filius ægrè fert: sic innocentiores quidam solent indignari ob indulta dona peccatoribus, defectu videlicet humilitatis & charitatis, cùm potius dicere deberent, quod Moyses: *Quis tribuat, ut omnis populus propheter, Et det eis Dominus spiritum suum?* Deinde per hoc responsum senioris voluit Christus declarare, tantam esse misericordiam Dei erga peccatores, ut possit invidiam provocare in ipsis justis: tametsi illi divina consilia venerantes acquiescunt.

Invidia  
aliquo-  
rum.

Num.  
11. 29.

Et



Et tandem obedientem filium mirificè solatur : *Fili ! tu semper mecum es, & omnia mea tua sunt* : quid ergo est, quod de stola & vitulo queraris ? Tale est hoc, ac quod de ove perditā : *Majus & gaudium, &c.* nec ideo præjudicatur justis, qui non indigent pœnitentiâ.

## MEDITATIO L.

De saucio à latronibus. Luc. 10.

## PUNCTUM PRIMUM.

**H**omo hîc est quivis Adæ filius, qui cùm es. Homo  
 ser in gratia, & civis Ierusalem cœlestis, lapsus.  
 descendit in Iericho, quod lunam significat,  
 per affectum rerum caducarum. Hic incidit in *Luc. 10.*  
 latrones, hoc est, dæmones insidiatores, & a-<sup>3.</sup>  
 pertos etiam invasores, qui mundi, & carnis no-  
 stræ ministerio utuntur, ad nos perdendos, nem-  
 pe opera mundanorum hominum, & nostris  
 appetitionibus. Expoliant bonis, charitate, & *Quibus*  
 aliis donis Spiritûs Sancti, eam comitantibus, & spoliant.  
 nominatim alium alia virtute, aut castitate, aut  
 patientia, &c. vel etiam ipsa fide, ac spe, cùm  
 obesse quamplurimum intendunt, dicentes :  
*Exinanite, exinanite usque ad fundamentum in* *ps. 136.*  
*ea.* Plagæ sunt, quæ ex peccato manent in po-<sup>7.</sup>  
 tentijs, obstructio intellectûs, debilitas volun-  
 tatis ad resistendum vitijs, inordinatio passio-  
 num. *Semivivus relinquitur* cum sola fide, &  
 lumine naturali. Hunc me fuisse cogitabo.

PUN-



## PUNCTUM II.

Qui non  
subve-  
niunt.

Samari-  
tanus  
Jesús.

**Q**ui sunt illi transeuntes? *Sacerdotes & Le-  
vite* sunt, qui licet in dignitate positi, non  
valent subvenire, (tale vetus Sacerdotium) vel  
qui propriis; commodis intenti, non tangun-  
tur aliorum miseria, vel qui satis esse putant, si  
ipsi periculum vitent suum. Denique nulla pura  
creatura potuit remedium afferre. *Samaritanus*  
autem (quod significat custodem desertorum)  
est Filius Dei, qui ex cœlesti Ierusalem veniens  
in hunc mundum instabilem, & ut homo ingre-  
diens per vias communes absque peccato, pro-  
que Samaritano in contemptum habitus, nostri  
misertus est.

## PUNCTUM III.

1.  
Appro-  
pinquat  
peccato-  
ri.

2.  
Ligat  
vulnera.

3.  
Infundit  
vinum.

4.  
Tollit  
peccata.

**Q**uid egit Samaritanus? Appropriavit ipse  
vulnerato, cui non erant vires surgendi vel  
accedendi ad medicum. Talis est peccator  
ex se, nec juvare se potest, nisi præventus gratiâ.  
2. *Alligavit vulnera*, exterso cruore, cohibens  
ulteriorem fluxum, quod est ab affectu peccati  
cessare, non solum ab actu. 3. *Infudit oleum &  
vinum* ex vasis Sacramentorum, quæ de cœlo  
attulit; oleum misericordiæ leniens, & vinum  
charitatis confortans. Tale etiam est Verbum  
Dei, partim blandè alliciens, partim perstrin-  
gens, ut parturiamus Spiritum salutis. 4. Im-  
ponit in *jumentum suum*, transferendo in se  
peccata nostra, & opportunis auxilijs debiles  
adhuc



adhuc ex plagis sublevando. *Abduxit ex via,*  
 & peccandi occasionibus subtrahit, *inducitque*  
*in diversorium* Ecclesiæ, vel etiam in tutum  
 hospitium Religionis, & *curam illius agit,* tan-  
 quam Pater amantissimus. Non deserit, quos  
 justificat. 5. Altera die, quando tempus fuit re-  
 deundi ad cœlum, unde venerat, *protulit duos*  
*denarios, deditque stabulario, ut curam illius*  
*ageret.* 6. Substituit sibi vicarios, & suppeditavit  
 sumptum ad curationem. *Duo denarij sunt*  
 scientia & potestas. Hortatur autem, ut non  
 solum curam adhibeant necessariam, & quam  
 ex officio tenentur; sed ut exquisitam, supràque  
 debitum: id enim ipsis ad præmium fore. Tanta  
 est Christi sollicitudo de incolumitate nostra.  
*Quid retribuam Domino pro omnibus quæ re-*  
*tribuit mihi?*

5.  
Et occas  
siones  
peccari.

6.  
Superio-  
ribus  
com-  
mittit

Ps. 121.  
12.

## PUNCTUM IV.

**C**onclusio, *Quis horum trium videtur tibi* Christi  
*proximus fuisse illi qui incidit in latrones?* imitatio  
*qui fecit misericordiam in illum. Vade & tu fac*  
*similiter.* Vult, ut invicem id officium præste-  
 mus in necessitatibus, tam corporis, quam ani-  
 mæ, pro nostra facultate, & se in exemplum in-  
 sinuat, *redditurum mensuram bonam & super-* Luc. 6.  
*fluentem.* 38.

Nota. Hæc parabola potest considerari, vel  
 de genere humano percusso, & spoliato in Ada-  
 mo per peccatum originale, vel de quovis pec-  
 catore, ratione peccati actualis proprii.

Cc

ME



## MEDITATIO LI.

*De servo debitore decem millium talentorum. Matt. 18.*

## PUNCTUM PRIMUM.

**T**Empus rationis reddendæ est punctum mortis: solet tamen citius præmonere nos Dominus, inspirando, vel morbo, vel aliter visitando, & tunc melior spes est componendæ rationis; & interest, ut in vita fiat, quod est misericordiæ tempus. Debitum *decem millium talentorum* dicitur, quando quis oneratus est peccatis.

**Peccator debitor.**

**1.** 1. Quia sunt contra decem præcepta, & quando  
*Iac. 2.* etiam contra unum, *factus est omnium reus, qui*  
**10.** *enim dixit: non mœchaberis, dixit non occides:*  
 ac proinde in singulis offenditur legislator, unde  
**2.** de habet rationem peccati mortalis. 2. Quia  
 sunt innumerabilia, & eo magis, si venialia ad-  
**3.** numeres. 3. A gravitate, instar talenti, quia  
 contra infinitam Dei bonitatem, & eximia beneficia, & in conculcationem sanguinis Christi,  
 & interitum animarum ab eo redemptarum, &  
**4.** destructiva donorum gratiæ. 4. Quod nec pro  
 uno potest homo satisfacere, cum per peccatum  
 constituatur inimicus Dei, & debitum sit infi-  
**5.** nitum ab offensi dignitate. 5. A pœna, quâ di-  
 gnus est, ut *ipse, uxor, filii & bona* divendantur.  
 Quis non exhorrescat peccatum?

PUN-



## PUNCTUM II.

Media  
impe-  
trandi  
veniam.

**P**atentiam habe in me, & omnia reddam tibi. Aptè servus iste egit ad obtinendam remissionem. 1. Agnoscit sincerè debitum. 2. Humiliat se, procidit ad pedes. 3. Orat instantè, ut sibi detur tempus satisfaciendi. 4. Proponit, ac promittit se omne redditurum: id fit intervenientibus meritis Christi, & gratiâ. Faciam similiter. Vide Domini bonitatem: *Misertus servi illius dimisit eum, & debitum dimisit ei.* Plus facit, quàm petebatur, revocata sententia de ipso, & cæteris vendendis, nec modò moram concedendo solutioni, sed planè condonando. Utrique quoad culpam & pœnam æternam, pro quibus satisfacere nequimus: remittit etiam temporalem, pro contritionis fervore. Tam bonus & misericors Dominus est, nobisque tam miseris valde opus erat.

1.  
2.  
3.  
4.Omnia  
Deus re-  
mittit.

## PUNCTUM III.

**I**dem servus tanto beneficio affectus, *conservum suffocat pro centum denariis.* 1. Solet unus homo alteri esse debitor, quia facilè contingunt offensiones verbo aut factò, pro humana fragilitate. Et habent inde iusti materiâ virtutis, ex corde orando, *Dimitte nobis, sicut & nos:* sed ista debita præ nostris erga Deum instar sunt paucorum denariorum, respectu millenorum talentorum, & adeò etiam minora, quod injuria ab excellentia offensi æstimeretur,

1.  
Plus Deo  
debes,  
quàm ti-  
bi pro-  
ximus.

Cc 2

&amp; quæ



2. & quæ fit Deo, infinita. 2. Magna extitit servi  
 Crudeli- crudelitas, quod tam violenter invasit, quod  
 tas servi. supplicem, & iisdem verbis deprecantem repu-  
 lit, quod trussit in carcerem, quod non habuit  
 rationem Domini communis, & qui ipsi indul-  
 serat, cui sine dubio ingrata erat futura illa vis,  
 3. Dicitur, quod *egressus à Domino* ista perpe-  
 Oblivio travit, extra illius positus conspectum: sic nos,  
 Dei. cum oblivioni Deum tradimus, quod sit inspe-  
 ctor, iudex, benefactor tam eximius.

## PUNCTUM IV.

**N**Arratur factum Domino, qui animadvertit.  
*Conservi contristati sunt*: sic iusti ob inju-  
 riam proximi tristantur, ex affectu in læsum;  
 lædentiis damno & Dei offensa. *Conservi nar-*  
*raverunt Domino*: & ille ipse dolor, quem con-  
 cipiunt iusti de talibus, clamor est apud Deum.  
*Tunc iratus Dominus vocavit illum*. Fit, ut ob  
 quædam peccata Deus acceleret tempus red-  
 dendæ rationis. Et absque hoc versari semper  
 deberet ante oculos illud ultimum tempus, alio-  
 qui incertum: *Traditur tortoribus, quoadusque*  
*reddat universum debitum*. Ita provocat iram  
 Dei & exacerbat ingratitudo acceptæ remissio-  
 nis, quando propter Deum non exhibemus si-  
 milem benignitatem proximis.

## PUNCTUM V.

Injuria  
 condo-  
 nanda  
 cui.

**C**Onclusio, *Sic & Pater meus faciet vobis, si*  
*non remiseritis unusquisque fratri suo de*  
 cor-



*cordibus vestris.* Tanta est charitas Dei erga hominem, ut velit omnes similiter invicem se amare : & indicantur quatuor causæ hoc faciendi.

1. Quia Pater cœlestis ita jubet.
  2. Quia sumus fratres inter nos.
  3. Quia unusquisque habet, quod ab alio sibi remittatur.
  4. Quia ipse Pater remittit nobis tantò majora.
- Accedit severitas divinæ ultionis, ni fiat.

## MEDITATIO LII.

*De villico.* Luc. 16.

### PUNCTUM PRIMUM.

**H**omo *dives* est Deus ipse, cujus sunt omnia, Deus dicitur quæ ad corporis vitam & oblectationem faciunt, tum bona gratiæ & gloriæ, quæ ad animam præcipuè spectant. *Villicus* est quilibet homo, cui ita Deus bona corporis & gratiæ tribuit, ut rationem reddere debeat de usu illorum, qui debet esse juxta Dei voluntatem : quare dissipator est, qui secus illis utitur. *Diffamatur* autem de dissipatione, non ex rumore hominum, sed ex facto ipso, quòd Deum non possit latere.

### PUNCTUM II.

**E**xigitur ratio à villico, & exiit officio : *Redde rationem : jam non poteris villicare.* Fit aliquando, ut Deus provocatus peccatis prævertat tempus rationis. Unde ait : *Ne impiè*

Cc 3

agat Eccl. 7.

17.



agas multum: & noli esse stultus, ne moriaris in tempore non tuo. Contingit autem duobus modis, vel absque præmonitione, non dato tempore præparationis; vel dato, quod petebat Da-

*Ps. 101.* vid: *Pauca dierum meorum nuntia mihi.*  
*24.* Atque tunc ait: *Quid hoc audio de te?* quo dicto repræsentabat nobis universa peccata, & vitæ remissionem. Idipsum dicit in abscessu animæ, quando non est amplius pœnitentiæ locus.

*Reddes rationem.* Sed quàm terribile illud: *Redde rationem villicationis tuæ;* in quo plurima continentur. *Ve-*  
*Joan. 9.* *nit nox, quando nemo potest operari:* & manifestari oportet ante tribunal Dei, ut referat quisque  
*4.* *que propria, prout gessit, sive bonum, sive malum.*  
*2. Cor. 5.*  
*10.*

## PUNCTUM III.

*Confundit nos villicus.* **V**illici commentum. Non commendat Christus fraudem, sed industriam & studium consulendi sibi met, quo incitari oportet, estque nobis ad confusionem, qui tam studiosi non sumus pro animæ salute. Quod ait: *Fodere non valeo,* ad asperum vitæ genus referri potest. Et *mendicare erubesco,* ad vitam contemplativam, quæ est assidua oratio, & quasi mendicatio à Deo. Monet Christus, ut qui hæc sublimiora nequit, saltem bene alijs faciat, quomodo potest, vel in corporalibus, vel in spiritualibus, juxta  
*1. Tim.* Pauli consilium: *Exerce te ipsum ad pietatem,*  
*4. 7.* *quæ ad omnia utilis est promissionem habens vitæ, quæ nunc est, & futuræ.* Divitias autem vocat Christus *mammona iniquitatis,* quamvis li-

cité



citè acquisitas, quia iniqui tantùm in eis felicitatem ponunt: *Beatum dixerunt populum, cui hæc sunt*: vel, quia fortè sunt instrumenta peccandi. *Qui volunt divites fieri, incidunt in tentationes, & laqueum diaboli, & desideria multa inutilia & nociva.* Possunt tamen servire salutis. Unde ait Dominus: *Facite vobis amicos de Mammona iniquitatis, ut Tobias: Fiducia magna erit coram summo Deo, omni facienti elemosynam.* Et: *Conclude elemosynam in corde pauperis, & hæc pro te exorabit ab omni malo.* Quare Paulus Timotheo: *Divitibus hujus sæculi præcipe non sperare in incerto divitiarum, sed in Deo vivo, divites fieri in bonis operibus, facile tribuere.*

ps. 148.

25.

1. Tim.

6. 9.

Tob. 4. 18.

Eccl. 29.

15.

1. Tim.

6. 17.

## MEDITATIO LIII.

De Publicano &amp; Phariseo. Luc. 18.

## PUNCTUM PRIMUM.

**A**ffectus superbiæ in Phariseo. 1. Quòd se Actus  
putat perfectum. Unde nihil petit, nec ve-  
niam peccatorum, nec gratiæ augmentum, aut  
conservationem. 2. Quòd prætextu gratia-  
rum, commendat seipsum ab operibus bonis. 3.  
Quòd se præfert alijs. 4. Quòd exilia sua ope-  
ra bona cum sceleribus aliorum confert, & ope-  
ra tantùm externa, quæ jactantiæ causâ facie-  
bat, uti *sepulchrum dealbatum intus autem ple-*  
*num omni spurcitiâ.* 5. Quòd contemnit alios, 25.

superbiæ

1.

2.

3.

4.

Matt.

25.

Cc 4

etiam 5.



etiam eum, qui secum orabat, quem temere  
judicat. Tam est cæca superbia, ut illius, qui  
Apoc. 3. dicebat: *Dives sum & nullius egeo: & nescis*  
17. *quia miser es, & pauper, & cecus, & nudus.* Hi  
Matt. 7. *vident festucam in oculo fratris sui, & in suo tra-*  
3. *bem non considerant.*

## PUNCTUM II.

Actus humili-  
tatis.  
1.  
2.  
3.  
4.  
5.

**H**umilitas Publicani. 1. *A longè stat, indi-*  
gnum se reputans, propinquare Deo, vel  
etiam Phariseo. 2. *Non audet levare oculos præ*  
*pudore, ob sua peccata.* 3. *Pectus percutit ex ani-*  
*mo contrito, & cupido satisfaciendi.* 4. *Veniam*  
*sibi ipsi petit, se solum considerans peccatorem,*  
5. *Paucis orat, confidens de misericordia Dei,*  
*qui non exaudit in multiloquio: Deus propitius*  
*esto mihi peccatori.*

## PUNCTUM III.

1.  
2.  
3.

**S**ententia Christi de utroque: *Descendit hic*  
*justificatus in domum suam ab illo.* 1. *Decer-*  
*nit Dominus non ex verbis, sed ex affectu cordis*  
*utriusque,* 2. *Effectus superbiæ inanes reddere*  
*virtutes, humilitatis autem destruere peccata,*  
*interveniente pœnitentia,* 3. *Universè: qui se*  
*exaltat, humiliabitur, & qui se humiliat, exal-*  
*tabitur.* Id verum in omni statu & conditio-  
ne hominum. Contingit autem, tum in hac  
vita frequenter, tum maximè in altera semper, ut  
qui in hac se humiliat, in illa exaltetur.

ME-



## MEDITATIO LIV.

De operariis conductis. Matth. 20.

## PUNCTUM PRIMUM.

**P**aterfamilias est Deus, qui licet amplum Deus regnum possideat in cœlo & in terra, ta- omnibus men eo dicitur Paterfamilias, quod singulis ita providet providet, ac de minutis ita disponit, atque si par- vae præesset familiæ. Deinde, quia parabola su- mitur à re domestica. Familia est fidelium con- gregatio, & præcipuè justorum; operarii autem, qui eam excolunt, Prælati & alij. Ubi nota, Prælati, quod familia & vinea in idem recidunt; ac proinde fideles sunt vites, & filijfamilias, seu Ecclesiæ; unde David dicebat: *O Domine! quia* ps. 115, *ego servus tuus, & filius ancillæ tuæ*: quin ope- 6. rarij dici possunt singuli fideles. Conducit ope- Ioan. 6. rarios ipse Deus, *quia nemo venit ad Christum, 44. nisi Pater traxerit eum*: utitur autem medijs, *Exit primo manè*: quia ex quo incipit lumen rationis lucere in hominibus, eos vocat: licet plerique detrectent, nec tamen omittit iterum atque iterum vocare, per omnes ætates, & allit- cit alios, mercenarios, ut spe præmij, alios in- tus corripiendo, & simul mercedem suam of- ferendo, alios denique, veluti jubendo, ut vir- tuosè occupentur. Amabo hanc sollicitudinem Affectus Patris pro salute hominum, dolebo, quod mul- ti non obsequantur, & ego aliquando restite- rim. *Exijt etiam primo manè mundi vocare*

Cc 5

opera-



operarios, & in utraque lege, naturæ & scriptæ, & tandem factus homo. Rogabo, ut mittat operarios idoneos in amplas Gentilium regiones, ad gloriam suam.

## PUNCTUM II.

**1.** **R** Edditio mercedis. **1.** Committit procuratori suo: hic est Christus, cui Pater potestatem dedit iudicium facere, quia filius hominis est, & fit in cuiusq; vitæ fine: nam vita est tanquam dies, quæ præterijt, comparata æternitati: unde David dicebat: *mille anni ante oculos tuos, tanquam dies hesternæ, quæ præterit*: & quia ita vivendum, ac si quotidie vocandi essemus ad mercedem percipiendam. **2.** Nec unius horæ labor fraudatur mercede, quæ tamen æqualis non erit, quia *reddet unicuique secundum opera sua*. **3.** Magis fervor operis, quam diuturnitas æstimatur: quo fit, ut novissimi accipiant eundem denarium: nam hi solent cum majori humilitate & fervore operari, se indignos mercede putantes: alij autem solent plus præsumere de suo merito: hinc illi vocantur priores ad mercedem, in eo quasi accidentali honore cæteris prælati. Collige si una hora tantum profecerunt, quid si ab initio venissent? Quàm beati id vellent, & primo manè paruisse vocanti, & tota vita ferventer operati fuisse! tu jam facito.

PUN-



## PUNCTUM III.

**M**urmuratio priorum. Non murmurabunt Murmu-  
 Sancti; sed per hoc Christus declarare vult, ra remis-  
 quanti sit meriti, & gloriæ apud Deum, ferven- forum.  
 ter egisse, ut cæteris Sanctis ad invidiam foret,  
 si ratio statûs pateretur. Deinde judicantur pro-  
 prietates remissorum. 1. Præsumunt de suis o-  
 peribus ob diuturnitatem, unde dicunt: *Hi no-*  
*vissimi una hora fecerunt*: ferventes non ita:  
*portant pondus diei & æstus*: quia remissè operan-  
 tibus onerosa sunt, licet non gravia opera: con-  
 tra ferventibus levia, quæ alioqui gravia. 2. De-  
 inde exaggerant suos labores. 3. Illi sunt mer-  
 cenarii, & queruli, tacitèque obmurmurant Deo  
 & hominibus, quasi non pro merito suo hono-  
 rentur & promoveantur in hac vita. At fervidi  
 solo Dei amore operantes nihil tale cogitaret:  
 sed quovis favore, divino & humano, reputant  
 se indignos. 4. Illi sunt invidi, & obtrectant  
 ferventibus, quasi novitiis: isti tacent, & optant  
 omnes abundare divinis & humanis favoribus.

## PUNCTUM IV.

**C**onclusio: *Sic erunt novissimi primi, & pri-*  
*mi novissimi.* Nam sunt, qui iudicio ho-  
 minum habentur primi, & alij contra novissimi,  
 cum iudicio Dei secus sit. *Multi enim sunt vo-*  
*cati, pauci verò electi.* Multi vocantur ad fi-  
 dem, & gratiam, sed pauci obediunt: ita etiam  
 inter multos ad perfectionem vocatos.

Multi  
 peccato-  
 res, pauci  
 just.

ME-



## MEDITATIO LV.

De Vineâ. Matth. 21.

## PUNCTUM PRIMUM.

**P**ROVIDENTIA Dei circa vineam Ecclesiæ suæ.  
 1. *sepem circumdedit ei*, custodiam Angelorum, qui arcant feras, dæmones à vinea; quin Dominus in circuitu populi sui vallavit etiam præceptis, & maximis tum præmiis propositis, tum pœnis. 2. *Fodit in ea torcular*. Hæc sunt Sacramenta sanguinem Christi continentia, qui expressus est in torculari crucis; unde Sacramenta vim habent suam, ac imprimis Evcharistiæ mysterium. Lex etiam divina dici potest torcular, quia eius finis est charitas, optimum videlicet vinum, quod ipsius etiam Dei cor lætificat; quodque exprimitur studio mortificationis & humiliationis, quasi prælo. 3. *Et edificavit turrim*. Hæc est divini oculi omnia contuentis providentia. Item domus Dei, seu sacra ædes, in qua invocatur illius nomen, quod est turris fortissima. Idem sacra Scriptura per quam elewantur corda nostra à terrenis, & quæ ut turris David, edificata est, cum propugnaculis: mille clypei pendent ex ea, omnis armatura fortium. Habet omnia præsidia contra adversarios, tum visibiles, tum invisibiles. 4. *Et locavit eam agricolis*: ij sumus nos, quisque pro sua parte, pro anima propria, & pro sibi commissis. Locavit, non vendidit, quia dominium sibi retinet: vult autem ut eam  
 exco-

1.  
Sepes  
Angeli.  
Psalm.  
124. 2.

2.  
Sakra-  
menta  
torcular

1. Tim.  
1. 5.

3.  
Turris  
provi-  
dencia  
Dei.  
Pro 9.

18. 10.  
Cant. 4.  
4.

4.  
Locat  
nobis.



excolamus, ita ut fructum afferat, fructus autem sibi reservat. *5. Et peregrè profectus est, ut liberè pro arbitrio agamus, ac si ille abesset, nec inspiceret : sic probat fidelitatem nostram.*

## PUNCTUM II.

**E**Xactio fructûs. Tempus fructus est tota *Gal. 6.*  
*hæc vita : Dum tempus habemus, operemur* *18.*  
*bonum ad omnes, & pro nobis & pro aliis. Misit* *Deus*  
*servos suos ad agricolas, ut acciperet fructus. Sem-* *mittit*  
*per misit Deus hortatores, olim Patriarchas &* *servos*  
*Prophetas, & tandem Filium suum, quem simi-* *varios.*  
*liter malè exceperunt : ut meritò queratur, quid* *Isa. 5. 4.*  
*est, quod debui ultra facere vinea mea ? nec de-*  
*sistit adhuc urgere nos per servos suos, internâs-*  
*que motiones, quas repellimus. Et, dum pecca-*  
*mus, iterum Filium Dei crucifigimus. Quin Fi-*  
*lium in medio nostrum reliquit, in Venerabili*  
*Sacramento, ut saltem ejus respectu movere-*  
*mur ad bene agendum : sed nihil satis duro cordi.*

## PUNCTUM III.

**S**ententia in malos agricolas. Ipsimet pro- *Dei justa*  
*nuntiant, malos malè perdet, & vineam su-* *senten-*  
*am locabit aliis agricolis, qui reddant ei fructum* *tia.*  
*temporibus suis. Tam sunt judicia Dei justa, ut*  
*idem contra se proferant rei : quanta etiam ho-*  
*minis malitia ; qui, cum ita sentiat, non tamen*  
*sibi applicat ad emendationem ! Tum Domi-*  
*nus approbans, ad ipsos applicat : Ideo dico vo-*  
*bis,*



*bis, quia auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus. Terribilis & iusta sententia, quam executus est Dominus in populo suo. Exequitur etiam quotidie, dum aliis abnegantibus fidem, alios substituit, & regna ipsa propter peccata transfert ad alios: ac si ego non respondero vocationi meæ, pro uno ingrato plures sibi obsequentes suscitabit.*

## MEDITATIO LVI.

*De invitatis ad nuptias & ad cœnam.*

Matt. 22. Luc. 14.

Consentiunt ambæ Parabolæ, & eodem spectant.

### PUNCTUM PRIMUM.

Rex Deus  
Filius  
Christus

**S***imile est Regnum cœlorum Regi, qui fecit nuptias filio suo.* Rex hic est Pater cœlestis, qui naturam humanam Filio suo in unitate personæ mirabiliter copulavit, utique vilem & deformem, sed copulatam insignivit omni lapide pretioso. Cur non potius Angelicam? quia humana magis indigebat. Et in hoc commendatur bonitas & charitas Dei. Neque id modò, sed Filium suum jam hominem factum desponsavit Ecclesiæ, animabus fidelibus, in fide & charitate, ornans illam, ut decebat sponsam filii Dei. Agnosce, ô anima, dignitatem tuam.



tuam. Neque id beneficium voluit esse paucorum, aut tantum nobilium, sed planè omnium, absque exceptione gradus & conditionis.

## PUNCTUM II.

**I**nstituit nuptialem cœnam, & misit vocare invitatos. In hac cœna tria proponuntur fercula. 1. Doctrinæ cœlestis, quia intellectus illustratur, & pascitur. 2. Præceptorum & consiliorum, quibus perficiendis voluntas impinguatur, & mirificam capit delectationem. 3. Sacramentorum, vitam præbentium, & nutrientium, quod maximè præstat Evcharistia, in qua ipse sponsus sumitur, *omne delectamentum Sap. 16. in se habens.* Ad hanc cœnam vocamur per Prædicatores, & inspirationes & alia media. Accurram avidè, ut tantis fruar delitiis.

## PUNCTUM III.

**I**nvitari prætendunt excusationes, quò minus veniant. 1. *Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam.* Hæc est superbia vitæ, vanitatis, & curiositatis studium. 2. *Inga boum emi quinque, & eo probare illa.* Hæc est sollicitudo nimia temporalium. 3. *Vxorē duxi, & ideo non possum venire.* Si concessa carnis cura avocet, quid faciet inconcessa? 4. *Reliqui tenuerunt servos ejus, & contumelijs affectos occiderunt:* hoc jam crimen inextinguibile: faciunt hoc, qui bene consilium & momentium honorem, & famam gladio detrudentes Prædicatoribus.

3. Fercula parat.

1.

2.

3.

20.

Impedimenta tria.

1.

2. Superbia.

2.

Si Avaritia

3.

Voluptas.

Luc. 4.

20.

Detrahentes

Prædicatoribus.



dio linguæ concidunt eosque vellent perditos,  
In tales excandescit Rex, & *occidi iubet*, ever-  
sa civitate ipsorum, rebusque omnibus in-  
censis.

## PUNCTUM IV.

Obvios  
vocat si-  
ne respe-  
ctu con-  
ditionis.

**S**ubstituuntur alii convivæ. Non frangi-  
tur divina bonitas ingratitudine spernentium  
ipsius cœnam, quamvis ex iis sint, qui mi-  
nimè debuerant, quippe cultiores: sed pergit  
invitare abjectiores, qui quod in mundo pa-  
rùm habent, liberiores sunt ab impedimentis ve-  
niendi. Iubet autem *vocari pauperes, ac debiles,  
& cecos, & claudos*, & obvios quosque, & *com-  
pelli ad intrandum*. Non vult haberi rationem  
vel defectuum naturæ, vel etiam virtutis, quia  
illi non obstant: ab his autem accedentes sanan-  
tur per gratiam justificationis. *Compellendos* di-  
cit, ad vim gratiæ divinæ significandam, quæ et-  
iam rebelles ad se compellit voluntates, non co-  
gens, sed fortiter, suaviterque trahens, ut quis  
amore trahitur. Denique vult domum men-  
samque suam repleri discumbentibus. Quare  
ne cadamus animo, ob multorum pereuntium  
ruinas: potens enim est illas reparare, suorum-  
que numerum implere.

## PUNCTUM V.

Sola fi-  
des non  
sufficit

**R**ex discumbentes lustrat, & *videt hominem  
non vestitum veste nuptiali*. Hæc est cha-  
ritas & iustitia, sine qua non est accumben-  
dum



dum huic mensæ, præsertim corporis Domini. Imò quicumque intra Ecclesiam est, & de bonis illius participat, si ad finem mundi aut vitæ suæ fuerit repertus absque charitate, quando Dominus visitatum venerit, expelletur foras, & *pro- jicietur in tenebras exteriores*. Sed quomodo inter tot, unus tantum inventus absque tali veste? significatur, quod nemo effugiet divinos oculos, etiamsi vel unicus sit inter innumerabiles: & tantum id esse malum, ut si vel unicus ex omnibus projiciendus foret, sufficeret, ut omnes contremiscerent. Quid autem, quando contra accidet, ut paucissimi salventur præ numero per-euntium? Denique quis ferat illam objurgationem? *Amice, quomodo huc intraisti, non habens vestem nuptialem?* unde tantum ausus? O quanta confusio futura est tali in præsentia Angelorum & Sanctorum! & ad hæc *obmutescet*: quomodo enim excuset? Obmutescam ego nunc à propria conscientia redargutus, ac emendationem vitæ medirabor.

Deum  
nemo ef-  
fugiet.

Confun-  
det ma-  
los.

## PUNCTUM VI.

**S**ententia in reum: *Ligatis manibus & pe-* *Pœna.*  
*dis, mittite eum in tenebras exteriores.* *1.*  
*Pœna quadruplex. 1. Perpetui carceris, in quo* *Carce-*  
*vincietur. 2. Obstinationis, ligatis pedibus, ut* *ris.*  
*nullos affectos bonos concipiat, & manibus,* *2.*  
*ne bona operetur: siquidem in hac vita morta-* *Obsti-*  
*li fuit inordinatis passionibus obnoxius, & ad* *nationis.*  
*bona opera præpeditus. 3. Horribilium tene-* *3.*  
*brarum,*

D d

brarum,



Tene-  
brarum.4.  
Fletus.

*brarum*, quod visionis Dei clara luce privabitur, & iudicii lumen in illo tenebrescet: sed & corporeæ tenebræ offundentur, quando ignis ille infernalis uret, sed minimè lucebit. 4. *Ibi erit fletus & stridor dentium*: flebit, quia tanti boni iacturam fecit, & crucians malum, lachrymas exprimet irremediabiles.

## MEDITATIO LVII.

*De decem Virginibus. Matth. 23.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Fatui  
qui.

**I**N Ecclesia sunt boni & mali, prudentes & insipientes, & utrique adventum Christi sponsi exspectant, ad nuptias cum Ecclesia triumphante celebrandas. Fatuis similes sunt, qui lampades habent, sed non oleum, ad fovendum lumen. Veritates fidei tenent, sed non charitatem, lucent exterius per opera quædam, sed interna virtute carent: sunt integri corpore, sed non spiritu; profitentur perfectionem, à qua longè fatui absunt. Quidni stultus sit, qui iudicem omnia pervidentem, & præsertim interna requirentem non aliter paratus expectat? contraria omnia faciunt prudentes.

## PUNCTUM II.

Mo-  
ram fa-  
cit spon-  
sus.

**M**oram faciente sponso, dormitaverunt omnes & dormierunt. Mora fit, quia boni & mali ferè sibi persuadent longiorem vitam, & ut



&, ut David loquitur, *annos æternos in mente habent.* Unde boni remissiùs vivunt, & mali peccant liberùs, quod est dormire: *Surge, qui dormis, & illuminabit te Christus.* ps. 76. 6.  
Eph. 5.  
14.

Item dormitio vocari potest ægritudo, aut senectus, aut alia causa disponens ad mortem, cuius imago quædam est ipse somnus. Privat enim usu delectabilium, ut mors, & quamvis repellatur, tandem obruit vigilantem. Cum me ad somnum compono, mortis memoriam revocabo. Dormire  
quid?

*Media autem nocte clamor fit: Ecce sponsus venit, exite obviam ei.* Cum minimè cogitatur, ex improvviso: proinde hanc vocem insonare auribus meis assiduè curabo. Venit autem ut sponsus prudentibus, at stultis ut iudex. Eandem vocem audire mihi videor, cum ad sacram communionem accedo. Judici-  
um re-  
pentini.

### PUNCTUM III.

**A** Adventus sponsi. *Tunc surrexerunt omnes virgines illæ in adventum sponsi, & quasi ex somno gravi experrectæ circumspicient seip-  
sas, & lampades suas, quas stultæ deprehendent inconcinneas, ad occurrendum sponso, & serò de oleo cogitabunt, cumque irratione mittentur ad vendentes, qui nulli ibi erunt, quando omnis sublata erit auxilii occasio. Ergo nunc mihi prospiciam.* Stultitia  
rum.  
peccato-  
rum.

At prudentes paratæ occurrent. O quàm sibi gratulabuntur! quanta gestient lætitia à visio-  
ne Justorū  
exulta-  
tio.



ne clara sponſi, à complexu & osculo beatificæ charitatis, à deliciis mensæ illius, Tunc lampas cujusque lucebit centupliciter, à lumine vultûs sponſi. Et flammæ emittet sincerissimæ charitatis, redundante oleo divinæ consolationis, sine metu, & absque periculo extinctionis in æternum.

## PUNCTUM IV.

Clausa  
janua.

Vigilate

**C**lausa est janua, tum prudentibus, quæ nunquam ab illa felicitate excidere poterunt, tum fatuis, quibus nunquam patebit ingressus, objecto illo quasi pessulo inviolabili: *Nescio vos.* Conclusio parabolæ est: *Vigilate itaque, quia nescitis diem neque horam.*

## MEDITATIO LVIII.

*De Talentis. Matth. 25. Luc. 19.*

## PUNCTUM PRIMUM.

Talenta  
quinque

- 1.
- 2.
- 3.
- 4.
- 5.

**Q**uæ sunt ista talenta? 1. bona naturæ tam corporis, quàm animæ. 2. bona externa, & acquisita, ut scientiæ officia, honores. 3. propria Fidelium, sed communia cum malis, ut fides, spes, jus Sacramentorum. 4. propria iustorum, Charitas & dona quibus negotiantur, & merentur sibi incrementum gloriæ. 5. gratis data, pro ædificatione Ecclesiæ, & animarum salute promovenda.

Da-



Dator omnium est Deus à quo recognoscenda sunt : dantur autem non æqualiter, sed juxta triplicem mensuram in parabola expressam : *Quinque, duo, unum* : de quo nemo queri potest, quia nulli Deus debet, & distribuit pro sapientia sua. Dat autem secundum propriam cujusque virtutem, prout videt cuique convenire, respectu finis, propter quem dantur. Finis autem est salus & perfectio, tum nostra, tum proximorum, pro cujusque viribus. Dantur enim, ut negotiemur. *Negotia- mini, dum venio* : quo prohibentur duo extrema, & cessatio, & profusio : nam utendum est talentis, nec temerè impendenda cum periculo amittendi. O Domine, da mihi non spiritum hujus mundi, sed *spiritum, qui ex Deo est*, ut sciam, *quæ à Deo data sunt mihi*, ut illis bene utar, nec prætereat me dies sine lucro. Grati- as autem agam pro acceptis, non inde superbi- ens, aut aliis me proponens : sed nec plura appe- tens, quàm ejus visum est providentiæ.

Deus

dator.

Dat, ut  
negotie-  
ris.

1. Cor. 2.

12.

## PUNCTUM II.

**U**sus Talentorum : qui duo, & quinque acceperant, totidem lucrati sunt : par industria in talentis inæqualibus. Ut nemo putet, minus sibi contentendum, quòd pauciora acceperit. Imò Lucas ait : quod *una mna* lu- crata sit in alio *quinque mnas*, in alio *decem*. Tantum valet conatus, sed non sine gratia, si- cut dicit Paulus : *Abundantiùs illis omnibus*

Fervo-

rem lu-

cramur.

Luc. 19.

16.

1. Cor.

Dd 3

la. 15. 10.



*laboravi : non ego autem, sed gratia Dei mecum.*

Piger autem talentum fodit in terram : nec excusat, quòd cæteris minùs acceperat, quia & una mna potuit decem facere ; sed contingit ut, minùs se habere vident, despondeant animi, ut pigritiæ se claudant : ac si circa terram, ut pigritiæ se claudant : ac si circa terram se aliquid posse advertant, illuc omne applicant studium, posthabitis melioribus. Cæterum qui plus accepit, plus exigitur ab illo : nam cum augentur dona, rationes etiam crescunt donorum.

Minus habentes desperat.

Luc. 12.

48.

S. Gre-

gor. Ho-

mil. 9.

### PUNCTUM III.

1. **E**Xactio rationum. 1. post multum temporis. Ut nemo excusari possit defectu temporis ad negotiandum, & quia iudicium generale erat differendum. 2. Fiducia bonæ negotiationis in fine vitæ, cum dicere poterit : Domine ecce alia quinque superlucratus sum. 3. Remuneratio : Euge serve bone & fidelis. O magnum à Deo testimonium ! bonus à vita, fidelis ex usu donorum. Quia super pauca fuisti fidelis : pauca, & parva sunt præ cœlestibus quæ rependam tibi. Intra in gaudium, absorbere prorsus gaudio, atque circumflue. Inebriare ab ubertate domus meæ, & torrente voluptatis satiare. 4. Eadem verba dicuntur ei, qui duobus duo lucratus est, quia, etsi talenta inæqualia, non item labor & industria, siquidem accepta duplicavit : æstimatur autem meritum ex comparatione

Tempus dat Deus.

2.

Remuneratio.

Ps. 53. 9

4. Diligentia ratio habebitur.

ne



tionem ad gratiam, quæ fuit in utroque par. Et potuit etiam esse major cooperatio in eo, qui minus habuit: unde plus accepisset præmii, ut qui una *mna lucrata est decem*, accepit *decem civitates*: qui autem quinque tantum, totidem accepit. Vide anima, quanti sit ferventer cooperari gratiæ Dei.

## PUNCTUM IV.

**E**Xcusatio pigri: *Scio quia homo austerus es, Servi pigri metis ubi non seminasti!* hæ sunt excusationes in peccatis, timores fingere, & pericula. Nequaquam austerus est, blandus; nec metit, ubi non seminavit, imò seminans multum, colligit ferè parum. Objurgatio pigri sanè terribilis coram Angelis & Sanctis. 1. Compellat: *Serve male & piger*, atque ex ipsiusmet verbis Reprimendum redarguit: Cogitabas me esse talem, & tamen neglexisti operari? 2. jubet ab eo *auferri talentum*, quod etiam in hac vita contingit ob Privationem desiderii, in altera autem irremissibiliter in perpetuum. Jubet autem *dari habenti decem* quod ablatio talenti cedat in gloriam accidentalem bonorum applaudentium, iusto Dei iudicio. 3. *Ejicitur in tenebras exteriores*: quod si is, qui Tenebræ tantum non est usus, sic plectitur, quid ei futurum, qui fuerit abusus ad injuriam Dei?

*Finis Tomi primi,*




ERRATA sic corrigenda.

**P**ag. 2. lin. 5. effectus. *lege affectus.* p. 4. l. 7. & *lege est.* p. 19. l. 1. confitentes *lege confidentes.* p. 26. l. 12. Hunc *lege* Huc. p. 27. l. 6. exhibentis *lege exhibeatis* p. 28. l. 12. & sanctitas *lege est sanctitas* p. 30. l. 15. oblectarens *lege oblectarent.* p. 35. l. 7. à dilecto *lege à delicto.* p. 36. l. ult. pro ea *lege pro eo.* p. 47. l. 2. agunt *lege angunt.* p. 50. l. 6. à fin.. trahat ad te iudicem *lege trahat te ad iudicem.* p. 51. l. 10. habuit, non *lege habuit, aut non.* p. 57. l. 1. Propterea : *lege Propheta..* p. 71. l. 10. omine *lege nomine.*




It. p.  
lege  
. &  
ple-  
ca  
tra-  
ha-  
re.


















Th<sub>1</sub>  
4515